JACOBI GRETSERI SOCIETATIS JESV THEOLOGI LIBRI DVO

De BENEDICTIONIBVS, Et TERTIVS DE MALEDICTIONIBVS.

Ad

PERILLVSTREM ATQVE GENEROSVM DOMINVM RVDOLPHVM BARONEM A POLVVEIL, &c. DOMINVM in Masmünster, &c.

ANNO M.DC.XV.

Cum gratia & priuilegio Cæsar. Maiest.

INGOLSTADII,

Ex Typographeo Ederiano, apud Elisabetham Angermariam, Viduam.

Impensis Ioannis Hertsroi Bibliopolæ Monacensis.

PERILLVSTRI ATQVE GENEROSO DOMINO, DOMINO RVDOLPHO, LIBERO BARONI A POLWEIL ET WILLERTHAL, DOMINO IN MASMÜNSTER, HILKERSBERG ET Blumberg, Sacræ Cæs. Maiestatis, & Sereniss. Archiducum Austriæ Consiliario, &c.

JACOBVS GRETSERVS

BENEDICTIONEM CÆLESTEM A DEO PRECATVR.

BEnedictionum frequētissimus mos & vsus est non tantùm in sacris Christianis, sed etiam in communi hominum conuictu & commercio. Hunc morem & vsum, *Perillustris atque Generose Domine Baro,*

 hac.

hac lucubratione explicare, &, si fas est dicere, illustrare conatus sum. An conatui responderit euentus, aliis arbitrandum relinquo, & inprimis *Perillustri Dominationi Vestræ*, à cuius claritate huic meo Operi non satis suapte indole illuminato, lucem accendere volui, præscripto nobilissimo *D. V.* nomine, tanquam non vano benedictionis in hunc librum à Deo & ab hominibus effundendæ augurio, & insuper, ceu amuleto, ad propulsandas veneniferarũ faucium maledictiones, quæ libro huic ab illis impendent, qui non modò benedictiones nolunt, sed & impiè spernunt.

Nec tamen hac in re mei duntaxat & Operis ornãdi, sed & decori rationem nonnullam habui; decebat enim, vt tandem ad *Perillustrem D. V.* aliquid vigiliarũ mearum destinarem, de quo non solùm alij sæpius aurem mihi vellicarunt, sed & meus ipse animus crebrò submonuit, vt quod faciendum erat, remota omni cunctatione facerem; quippe tot beneficiis à *Perillustri D. V.* in Societatem nostram profectis;

hoc

hoc etiam recentissimo, quòd sibi cõquiescendum non putauit, donec Nostri *Ensisheimium* erudiendæ iuuentuti aliisque functionibus ad proximorum vtilitatem obeundis accerserentur, vt taceam insignes benedictiones, hoc est, eximia ornamẽta, quibus Deus *Perillustrem D. V.* cumulauit, pietatem, inquam, quæ, teste Apostolo, *ad omnia vtilis est*, liberalium artium cognitionem, reique militaris peritiam. Ternio sanè mirus, quia non facilè in aliquo inueniendus: nam ab illis, qui Marti litant, pietas fermè exulat vel exulare existimatur. Ex qua persuasione poëta nescio quis:

Nulla fides, pietasq; viris, qui castra sequuntur.

Cuius sententiam vel vnica *Perillustris D. Vestra* refellit ac manifestæ vanitatis arguit, quæ fidei, pietatis, & auitæ religionis retinentissima & obseruantissima, etiam inter media arma clangentesq; tubas, semper fuit, nec diuino amori cultuique quidquam vnquam anteferendum existimauit.

Eadem ferè multorum opinio est de *Aulis*, vt quidam in hanc quoque vocem erumpere non formidârit;

Exeat ex Aula, qui cupit esse pius.

Ex qua tamē nihil periculi *Perillustri D.V.* imminuit; quæ siue vitam ageret inter Aulicos, siue inter alios, eundem perpetuò recti honestiq; cursum tenuit, nec ad dexteram, nec ad sinistram declinans, quia in medio securissimè itur.

Quapropter merito suo Summorum Principum, & in his quoque ipsius *Sacræ Cæs. Maiest.* gratiam ac fauorem promeruit, amplissimis officiis & dignitatibus, hinc ab *Archiducibus Austriæ*, inde à *Ducibus Bauariæ* cohonestata: ab his quidem Vrbis & munitionis Ingolstadiensis Præfecturâ; ab illis totius superioris Alsatiæ *Capitaneatu* & *Præsidatu*. Quibus omnibus insuper habitis, ætate iam in senectutem deuexa, quietem priuatam publicis negotiis anteposuit, sic tamen vt semper ius integrũ Reipublicæ, dubiis in rebus, adyta *Perillu-*

stris

ſtris D.V. adeundi & conſulendi conſtet: quam obnixè rogo, vt hoc opuſculum de *Benedictionibus* placido vultu aſpicere dignetur; & ita ſpero, aſpiciet, tum ipſius argumenti gratia, quod eſt de *Benedictionibus*, tum quia ex Academia Ingolſtadienſi proficiſcitur, cuius antiquiores incolæ & Profeſſores necdum obliuioni tradiderunt commemorabilem illam humanitatem & beneuolam affectionem, qua & literas & literatos, cum nobiſcum verſaretur complexa eſt. Valeat *Perillustris D.V.* feliciter. Dicerem & *perenniter*, ſi perennis proſperitas in huius vitæ tam turbulentæ conditionem caderet. Ingolſtadij 16. Februarij, Anno Redemptoris M. DC. XV.

LECTORI.

LECTORI.

Catholicæ Ecclesiæ ritus sacros illustrare, & ab impugnatorũ & irrisorum criminationibus & sannis asserere, dudum animus fuit: cuius iam nõ semel publicum, prout vires ferebant, specimen dedi. Nunc, quod bene eueniat, ad benedictiones veni; etiam ad illas, quas Hebræi per Ironiam aut Antiphrasin Benedictionis nomine afficiunt; ex quorum more impia illa lingua patientissimo Iobo: Benedic Deo, & morere. Nec tamen omnes in specie benedictiones persecutus sum. Qui possem, & quis posset? sed præcipuas & vsitatiores; vixque illas attigi, quæ solo sanctæ Crucis signaculo, perficiuntur; quia iam in Opere de sancta Cruce explicatæ sunt.

Ab illis quoque abstinui, quæ piis sæpè obuenerunt, ex Cælitum Reliquiis, imò & ex puluere ad Sanctorum tumulos; ex oleo &

cera

cera ardentium lampadum & cereorũ; quia huius classis benedictiones pertinẽt ad libros de Reliquiis, quos mente iam conceptos, cum otium dabitur, Deo vires & gratiam largiente, aliquando pariam.

Exempla miraculorum per benedictiones & res benedictas patrata, satis multa, nisi me sensus meus fallit, attuli ac recensui; licet non abnuam plura ab illo proferri posse, qui plura legit, quàm ego.

In profligandis benedictionibus illis, quæ solo nomine tales sunt; reipsa autem vanissimæ superstitiones, quas Germani vocant Segen / Segnen vnnd Anspzechen / nolui me multum occupare, quia sæpius iam à nõ paucis contra hanc Hydram fortiter pugnatum est; sed vno resecto capite, alia mox cum fœnore succrescunt; ita vt mihi persuadeam, hoc vitium, dum homines erunt, penitus exstirpatum non iri, quod blandissimè in animos mortalium illabitur, tum quia malitiam & nequitiam suam specie boni solerter plerunque occultat, inque Angelum lucis se transformat;

formatur;

transformat; tum quia Dei permissu, at Cacodæmonis ope & ministerio, speratus & optatus effectus interdum obtinetur; Quo, velut suauissima dape, miseri inescantur & illaqueantur; vt à profano incœpto facilè nō desistant, neque etiam vllas rationes admittant, quibus perspicuè demonstratur, huiusmodi actiones non benedictionibus, sed maledictionibus annumerandas esse.

Porrò inter benedictiones Ecclesiasticas frequentissima est benedictio aquæ; quam aquam precibus sanctificatam, quo magis Orthodoxi amant, & vsurpant, eaq; priuatim & publicè sese & res suas adspergunt, eò magis Hydrophobi *Lutherani & Caluiniani ab ea refugiunt, & ceu stygiis vndis lymphati aduersus illam debacchãtur. Interim insanis horum vociferationibus susque deque habitis, priscæ religionis cultores operam dant: vt hæc salutifera lympha vbique & in Templis, & in priuatis ædibus præsto sit. Quocirca ad initus & exitus Ecclesiarum statuitur, vt ineuntes & exeuntes ea se irrorent; estq; meritò*

nitò Christianis loco labri, *ex quo, Dei iussione, Aaron & filij eius ingressuri* in Tabernaculum testimonij, *manus pedesq; abluere debebant; & loco itidem fontium, qui olim ad vestibula Christianorũ templorum visebantur, quando scilicet fidelibus nõ nisi lotis manibus preces fundere consuetum erat; cuius consuetudinis varij testes suppetunt, Clemẽs Romanus, Tertullianus, Chrysostomus, Anastasius Sinaita, Paulinus & alij, oportebat ergo aquam in prõptu esse; sed temporis progressione, cum mos iste palam lauandi manus ante orationem, passim exoleuisset, subierunt in locũ fontium aquæ profanæ, fontes & vasa aquæ consecratæ, ex quibus sumpto sacro latice, sacra limina intraturi, & inde exituri non tam corporis, quàm mentis labes expurgarent, & à Diabolicis insidiis & machinamentis sese tutos redderent, salutari omnino permutatione; non quòd hæc sit aquæ benedictæ origo; quæ ad Apostolicam ætatem referri debet, vt suo loco videbimus, sed quia fontibus illis & malluuiis vndæ communis sublatis suffecta est iam antea generali fidelium*

Exod. 30.

Clem lib. 8. Constit. cap. 38.
Tertull. lib. de Oratione.
Chrysost. Homil. 72. in Ioan. & Homil. 36. ad Pop. Antioch.
Anast. Homil. de sacra synaxi.
Paulin. Epist. 31. & 12.

vsu recepta aqua lustralis. Quanquam quid vetat credere; consecratæ limphæ hydrias ad ipsas quoque Templorum fores paratas fuisse, etiam tunc, quando sordibus corporis abluendis fontes profanæ aquæ in Ecclesiarum atriis visebantur?

Verùm satis Procœmij. Vnum adiicio, finemque impono. Omnis benedictionis fons & origo proculdubio Deus est; qui, Apostolo teste, benedixit nos in omni benedictione spirituali, in cælestibus, in Christo, *qui vberrimos benedictionis suæ fontes humano generi liberaliter perpetim recludit, pluitque super iustos & iniustos; tam temporalia, quàm diuina charismata, cum* ipse det omnibus vitam & inspirationem, & omnia; *vt cum Atheniensibus Apostolus disputans affirmauit. Quæ cum certa & indubitata sint, miror tamen Logodulos Lutheranos vix vlla in re copiosiorem benedictionem Dei agnoscere, ac in polypædia, seu in multitudine sobolis; & hoc maximè cū diuina beneficia suos in symmystas collata, pro concione prædicant. Non inficior prolem à benedictione Dei esse; istud*

Ephes. 1.

mihi

mihi exoticum videtur, quòd illi, qui se Ministros verbi diuini, imò interdum Euangelistas & Episcopos *nominitant, nulla propemodum alia benedictione insolentius gloriantur, quàm numerosa prole. Quare si Prædicans Prædicanti funebre encomium pangat, certus esto te vel auditurum vel inuenturum bene longum liberorum catalogum; vt mihi his diebus, dum libri de Benedictione ad calcem decurrerent, euenit.*

Incidi enim in orationem, qua Andreas Osiander Cancellarius Tubingensis, parentauit M. Ioanni Koch, (qui Græcè maluit esse Magirus;) Prædicanti Stutgardiano. Statim quæsiui benedictionem Prædicanticam, hoc est, liberos, nepotes & pronepotes. Quid censes Lector? An Cocum *istum fuisse improlem ac infæcundum? Falleris. Ex lumbis viuentis ac videntis processerunt partim* immediatè, *partim* mediatè *quindecim liberi, septuaginta duo nepotes, & decem pronepotes, qui vnam in summam redacti conficiunt nonaginta septem, vt proinde magnas gratias mereri videatur, qui lineam descen-*

 den-

dentium in Arbore consanguinitatis *tot indigenis adauxerit.*

Hîc Orator Tubingensis in altum sese tollit; & huius tantæ benedictionis admiratione propemodum in exstasin rapitur; sonoraq; voce demodulatur illud: Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum. *Plus ergo timuit Deum Cocus iste, & beatior fuit quàm omnes Apostoli etiam simul & coniunctim spectati; neq; enim vel aliquis illorum, neq; omnes simul, nonaginta septem filios, nepotes & pronepotes suos viderunt; neq; benedictio hæc obtigit quatuor Ecclesiæ Doctoribus Latinis S. Hieronymo, S. Augustino, S. Ambrosio, S. Gregorio, neq; Græcis, S. Basilio, S. Athanasio, S. Gregorio Nazianzeno, S. Chrysostomo; & fortè nulli ex septuaginta duobus Saluatoris nostri discipulis; vt nec alicui ex septuaginta duobus sacræ scripturæ in Græcum sermonem Interpretibus, quamuis eo tempore cælibatus rarior auis esset, quàm post Euangelij doctrinam in orbe terrarum promulgatam.*

Facilè

Facilè patior, vt Stetores nostri Polypædiam dilaudent ac commendent in illis, quos vocant Laicos; *at vt in illis, quos ipsi à vulgo segregant & pro Ecclesiasticis venditant numerositatem prolis laudibus super æthera tollant, & vt diuinæ benedictionis peculiare testimonium exaggerent; id ferre nequeo, donec mihi ex Ecclesiastica antiquitate simile exemplũ vel Apostoli, vel Apostolici viri, vel Orthodoxi alicuius Doctoris vel Concionatoris vel animarũ pastoris prolatum fuerit, exemplum, inquam, simile eius, quod sua in Oratione de Coquo Stutgardiano tãta verborum profluentia Osiander decantauit: qui Psalmum illum*, Beati omnes, qui timent Dominum; *Iudaicè nimis intelligit; quasi quis beatus sit & à Deo benedictus eo ipso, quod magna filiorũ phalange cingitur; cum sæpè improbissimi quiq; plurimos habeant, liberos; probissimi, vel nullos, vel paucos. An ideo illi benedicti; isti, maledicti, aut minus, q̃ illi, benedicti? Ego sanè benedictionem istam, quam in omnibus funereis declamationibus tantopere Prædicantes in Prædicantibus extollunt;*

*tollunt; non assequor, nam si tanta & tam expetenda esset; Apostoli vtique, & quotquot hos subsecuti sunt, Catholicæ Ecclesiæ Doctores & Antistites, ei non renunciassent, rati ministrum Ecclesiæ ab vxorio iugo liberum & expeditum esse debere, quò se diuinarum rerum procurationi in solidum consecrare possit. Sed quinti verbi buccinatores ac lyro*di *omnia simul esse queunt; toti mariti, toti vxorij, toti in suggestu, toti ingeniali thalamo.*

Sed de hac Prædicantica benedictione plura in libris de funere Christiano, *& in* Gratiis Cramerianis *lector reperiet, quem valere, diuinisque benedictionibus circumfluere opto.*

APPRO-

APPROBATIO COLLEGII THEOLOGICI IN ACADEMIA Ingolstadiensi.

Cum ora hominum sint duplicia, benedica & maledica, fieri non potest, vt qui aliquid lucubrationis euulgat, semper benedica, nunquam maledica ora inueniat, hac præsertim ætate, qua benedicentium tantulus, maledicentium autem tantus est numerus. Quæ fortuna quamuis huic quoque Operi subeunda sit, è re tamen communi erit, vt in publicum exeat, multisquè amorem benedictionum rerumque benedictarum, & horrorem maledictionum ingeneret.

PETRVS STEVARTIVS, *Leodius, SS. Theologiæ Doctor, Professor, Academiæ Ingolstadiensis Procancellarius, & Facultatis Theologicæ pro tempore Decanus.*

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS SOCIETATIS IESV.

Tres istos libros de benedictione & maledictione, à P. Iacobo Gretsero conscriptos; & à deputatis patribus lectos & probatos, ego MELCHIOR HÄRTELIVS Societatis IESV per Germaniam superiorem Prouincialis, potestate ad id mihi facta ab Admodum R. P. N. Claudio Aquauiua, Societatis IESV Præposito Generali, typis mandari permitto. Quod hoc chirographo meo, & sigilli impressione testor. Ingolstadij. 5. Ianuarij Anno M.DC.XV.

MELCHIOR HÄRTELIVS.

AD

AD LIBROS DE BENEDICTIONIBVS.

PROVERB. 10.

Benedictio Domini super caput iusti.

Commoda seruandi capitis munimina sarti
Inuentrix variat mens, inuigilatque nouandis,
Defensura caput, sedem, qua principe regnat;
Dextræ subseruit famulæ studium; impiger ardet
Assiduusq; labor, præceptaq; tegmina format
Atque imponit hero capiti, manus æmula mentis.
Nec defendendo tantum tegumenta parantur,
Quin gnaua irrequietis acus sollertia, cultum
Conspicuæ pingit ditem, ornamentaque fronti.
Non tutam esse iuuat solum; placet esse superbam.
Iamque coronatæ viridi certamine laurus
Frons certat fronti. Illa pari cessisse veretur
Dum fastigato sudat gestamine regni;
Hæc calamistratâ turri subrecta ferocit;
Illa laborato nouiter se plegmate comit;
Hæc pridem incolumis galeæ tutamine perstat,
Aduersasque minax cristato fulmine terret.
Frons alia in mitra fulgescit, iuraq; cælo
Æternum valitura effert. Trepidanda potestas.

At Iusti *demissus apex, caput inclinatum*
Hæc videt, ac ridet breuium spectacula rerum,
Seu veri obiicias, seu falsi insignia honoris;
Quod melior Virtus præsenti robore firmat,
Cui galeam, atque decus capiti immortale potentis
Dextera, & ipse fauor prolixus Numinis addit.
Quem iugis mulcet, clemensq; refrigerat aura,
Quæque diu cælesti opulentat munere sanum.
O caput, *ô saluum* caput, *ô immune malorum,*
O caput *intrepidum* Iusti, *quod amicus obumbrat*
Æther, ac validum custos defensat Olympus.
Eia aude tutum caput, *irrisoque tumultu*
Longæua poteris securum pace fruisci:
Ipse licet moueat furiatus & irruat Orcus,
Obnixa perdurabis statione locatum.
Firmior ista salus, quam Styx spoliata salute.
Ecquis vero istanc monstrat tibi, Iuste, *salutem?*
Quis bene *tam* dicit? *propulsatisque periclis*
Quis tectum saluat caput? *Hæc* benedictio *cuius*
Aut fonte aut riuo manat? quis dirigit auctor,
Vnde salutiferi per amœna vireta fluenti
Decurrat, stagnetque latex in vertice iusti?
Sane etiam qui tam dias effoderat vndas,
Atque catenato traxitque hausitq; labore,
Et qui semper adhuc sitientibus, indice libro
Principium viuaci intentat origine felix
Famâ heros celebris, locupleti hoc flumine dignus,
Quem salientis aquæ tam proluat ebrius haustus;
Vt bene dicendi *fortunatissimus auctor*
Scripturus superet lustrali ac sospite lymphâ.
Ite per exacti repetitos temporis orbes,
Secula digestus superaddite desita seclis,
Ætatumq; gradus expensat ote priorum

Occurret

Occurret prompte, scrutantibus obuia cura,
Qua bene dicendi, *quæsiuit cura Magistros.*
Atque rotundato licet ore effundere verba
Et studio triti facundo dicere *nossent,*
Ex tamen innumeris apte ac bene dicere *paucos*
Linguatæ præcepta artis clamata docebant;
Hic annus donec cupientem misit in orbem,
Vulgauitque librum, docilem vulgauit & artem,
Qua pretio nullo quiuis bene dicere *discat.*
Vade, liber velox, artes docturus inemptas,
Præcipitato moras, festinatoque medelam.
Iam cita, iam facilis petitur medicina paratu:
Inueterata vrgent mala: tantum porrige fontem,
(Ecquid enim leuius, quam se contingere lympha?)
Subrige languentes, medicatâ aspergine morbos
Dilue, fœdatæ neglecta piacula mentis
Elue, & albatos elotis sordibus ante
Siste Deum maculæ puros, Geniisq́; propinquos
Constitue ætheriis, quos nec labecula culpat.
Curre iterumque, iterumq́; liber; plantaribus alas
Indue pernices, propera vt benedictio *pergat*
Ægro, ac iam conclamato succurrere mundo.
Vndique materiam sanandi affecta ministrant
Corpora, quæ gignit tellus enataq́; pascit.
His persanandis occultas exere vires.
Sacrum sparge salem, morsu qui siccet acuto
Vlcera, & egesta sanie, qui vulnera purget.
Sed placidum misce pacatæ munus oliuæ
Dissidia vt suaui coëant lenimine inuncta.
Profecture liber multis, te nomina latè
Publica commendant irritatura legentem.
Nil rigidam vereare notam, frontique seueræ
Audax frontem oppone tuam, tituli que fauorem

 Quem

Quem bona verba *sonant*, *& quem* bona dictio *spondet*;
Respuimus nihil, apportat quodcunque salutem;
Quod beat Eulogiis, *&* honoro munere *ditat*.
Præluceto facem, supero quæ flammet ab igne,
Atque tenebrosæ pulsa caligine noctis
Ceram restituat castam, quæ lumine cassos
Stringat, & erectos cogat sustollere vultus,
Conuincatque ipsum flagrantem fulgere solem.
Vt capiti *obueniat* benedictio *plurima* Iusto,
Ad primos etiam fructus, alimentaque vise,
Noxia quò pellas, sancteque piata ministres.
Sed validâ (ante omnes) prece, consecratio cedat
Vino, qua sanum, quæ iustum temperet haustum;
Cerrito turbet ratio ne mota cerebro,
Inque profanato ne Diuos ore lacessat.
Nec ferri cineres vento patiaris in auram,
Sed metanœarum lacrimis capitique reserua:
Adque triumphales succendito pectora palmas:
Quas olim meritas heroo puluere campi
Flammea inardescat cœlo desigere Virtus.
Ritus instaura reliquos, vrgeq́ue vetustos,
Nec deuotarum sileant miracula rerum.
Viuaci liber, ô æternature sub æuo
Quod bene *non* dixi, *malo id indulgeto poëta*.
Compensant, quod tam bene *tota volumina* dicant.

INDEX

INDEX CAPITVM LIBRI PRIMI.

Cap.
I. Variæ ſignificationes Benedictionis.
II. De benedictione, quam dat Deus & Angeli.
III. De benedictionibus, quas filiis & nepotibus ſuis dederunt Noë, Iſaac & Iacob; & prius Abrahamo Melchiſedech.
IV. De formulâ Benedicendi, quam Deus Moyſi præſcripſit; deque Moyſis & Aaronis aliiſq; nonnullis Benedictionibus.
V. Quotuplex ſit benedictio, & primùm de publica in Miſſæ ſacrificio.
VI. A re diuina non niſi percepta benedictione diſcedẽdum eſſe, & de Canone quodam Concilij Agathenſis.
VII. De illo Paulino Axiomate, *ſine vlla contradictione quod minus eſt, à meliore benedicitur.*
VIII. Benedictionis dandæ & accipiendæ facultas nonnullis in pœnam ablata eſt: & num hæc poteſtas mulieribus competat.
IX. Quanti olim Benedictiones æſtimatæ.
X. Ipſos Infideles benedictionem ſanctorum virorum maximi muneris loco habuiſſe, eandemque etiam brutis animantibus datam.
XI. Valedicentes, abeuntes, redeuntes cum benedictione dimiſſi, aut recepti.

XII. Viri

XII. Viri sancti sub extremam horam benedictionẽ dare soliti.

XIII. De Benedictione mensæ.

XIV. Morem propinãdi apud Christianos nihil aliud esse, quam petitionem Benedictionis.

XV. Varia miracula per Benedictionem edita.

XVI. Benedictione res mirabiliter multiplicatas fuisse.

INDEX CAPITVM LIBRI SECVNDI.

Cap.

I. Quænam in Ecclesia Catholica benedici, hoc est, consecrari soleant.

II. Defenditur prima ratio Cardin. Bellarmini, pro salutari Benedictionũ vsu aduersus Danæum Caluinistam.

III. Defensio secundæ rationis Bellarminianæ aduersus eundem Danæum Caluinistam.

IV. Quotuplex sit benedictio aquæ, & quis benedictionis huius Auctor.

V. Refelluntur Nugamenta Caluini, Hospiniani, & Danæi.

VI. Refelluntur calumniæ Hospiniani Caluinistæ in Decretum S. Alexandri Papæ & Martyris.

VII. De Exorcismo, qui nonnullis benedictionibus, nominatim salis & aquæ adiungitur.

VIII. De paruo & magno Hagiasmo Græcorum.
IX. Refutantur næniæ & calumniæ Danæi, contra Doctrinam Cardin. Bellarmini, de Effectibus rerum benedictarum.
X. Varij Effectus aquæ benedictæ: deq; incorruptione eius.
XI. Per aquam benedictam Diabolicas machinationes, fraudes, incantationes atq; præstigias infringi ac disiici.
XII. Morbi per Aquam benedictam depulsi, & mortui excitati.
XIII. Periculum Aborsus aqua benedicta depulsum.
XIV. Loca Dæmonibus infesta per aquam benedictam purgata.
XV. Dæmones aqua benedicta ab obsessis exacti.
XVI. Cibi aqua benedicta à diabolicis inquinamentis mundati.
XVII. Bruta per aquam benedictam curata.
XVIII. Aqua benedicta variæ res multiplicatæ.
XIX. Locustæ & animalia noxia per aquam benedictam fugata.
XX. Num aqua benedicta addita ad non benedictam, eandem sanctificet, ac benedictã reddat.
XXI. Miracula per salem benedictum edita.
XXII. Variæ benedictiones Olei.
XXIII. De Miraculis oleo benedicto editis.
XXIV. De benedictione panis, vbi præcipuè de Eulogiis differitur.

XXV. Miracula per panes benedictos, seu Eulogias edita.

XXVI. Benedictionem & Eulogiam accipi etiam pro munusculis non benedictis.

XXVII. Eulogiæ missæ à Lucinio Bætico ad S. Hieronymum, & huius ad illum; Itemque Sulpitij Seueri ad S. Paulinum; & huius ad illum.

XXVIII. Eulogiæ ex Venantio Fortunato, & ex Epistolis S. Bonifacij.

XXIX. Eulogiæ, quas S. Gregorius Magnus ad amicos missitare consueuerat.

XXX. S. Bonifacium & alios nonnullos pro Xeniis libros potissimùm petiisse.

XXXI. De benedictione Cereorum, præsertim Cerei Paschalis.

XXXII. Benedictiones Cereorum in die Purificationis B. Virginis.

XXXIII. De Cereis S. Blasij.

XXXIV. De benedictione Imaginum cerearum, quas Agnos Dei nominamus.

XXXV. Miracula quædam sacris Agni Dei sigillariis patrata.

XXXVI. Refelluntur calumniæ Hospiniani & Vergerij contra Agnos Dei.

XXXVII. De benedictione nouorum fructuum.

XXXVIII. De Benedictione vini in festo S. Ioannis Euangelistæ.

XXXIX. De benedictione cinerum in Capite Ieiunij Quadragesimalis.

XL. De benedictione Rosæ in Dominica Lætare.

XLI. De benedictione Palmarum.
XLII. De benedictione Agni Paschalis; seu Carnium, ouorum, lactis & mellis in festo Paschæ.
XLIII. De benedictione Sponsi & Sponsæ.
XLIV. De benedictione vasorum & paramentorũ Ecclesiasticorum.
XLV. De benedictione Campanarum.
XLVI. De Effectibus benedictarum Campanarũ.
XLVII. Benedictio Zonarum seu Cingulorum, & similium rerum.
XLVIII. De Benedictionibus & Exorcismis tempestatum.
XLIX. Miscellanea de variarum rerũ benedictionibus.
L. De Abusu benedictionis.
LI. Cur hodie per benedictiones, rerumq; benedictarum vsum non videantur miracula patrari.

INDEX CAPITVM LIBRI DE MALEDICTIONIBVS.

Cap.

I. Quid ſit maledictio.

II. Maledictionem aliquando eſſe licitam.

III. Exemplum maledictionis à S. Iacobo Niſibeno Eremita aduerſus puellarum quarũdam impudentiam prolatæ.

IV. Terribile exemplum maledictionis ex S. Auguſtino.

V. Aliud maledictionis exemplum ex S. Gregorio Magno.

VI. Maledictiones, quas S. Ephræm in ſuo Teſtamento coniecit in Hæreticos & Apoſtatas à fide.

VII. Alia maledictionis exempla & effecta.

VIII. Plura eiuſdem generis exempla.

IX. Etiam res rationis expertes fuiſſe aliquãdo maledictioni à viris Sanctis ſubiectas, non propter ſe, ſed propter homines.

X. Maledici in Sanctos puniti.

XI. Vtrũ per maledictionem diuinam rerum naturæ ſint mutatæ.

LIBER

LIBER PRIMVS DE BENEDICTIONIBVS.

CAPVT PRIMVM.

Variæ significationes Benedictionis.

VErbum *Benedicendi* varias habet significationes in sacra scriptura, quas suo in Thesauro diligenter collegit Ioannes Ferdinandus, & post illum M. Antonius Marsilius Columna in *Hydragiologia*. Nobis tres potissimum in hoc opere vsui erunt. Nam I. *Benedicere* est alicui bona, prospera atq; fortunata precari. Ita accipitur aliquoties in ipso Geneseos vestibulo, vbi Deus rebus nonnullis ab se creatis, benedictionē impertiisse legitur: *Benedixitq; eis dicens: Crescite & multiplicamini.* Alibi; *Benedixit Iacob filiis Ioseph &c.* Nam hic *benedicendi* modus communis est tam Deo, quàm hominibus, vtriusq; frequentissima exempla in vtroq; Testamento occurrunt.

Ioan. Ferd. lib. 2. cap. 30.
Mars. in Hydrag. p. 1. cap. 1.
Gen. 48.

Est tamen discrimen inter benedictionem datam à Deo, & datam ab homine. Nam benedictio Dei practica est, eiusq;, quod optat, effectrix: at benedictio hominis consistit solùm in optando & vouendo, vt id, quod adprecamur, à Deo concedatur. Quocirca non absurdè forsan illam, *Datiuam*; hanc, *optatiuam* appellaueris: cui, vt efficacior ad bonum, quod optatur, producendum euadat, imploratio diuinæ opis, plerunq; interponitur, *Benedixit Iacob filiis Ioseph, & ait: Deus in cuius conspectu ambulauerunt patres mei, &c. Benedicat pueris istis, &c.* Hac notione Germanis *benedicere*

Gen. 48.

S. Ambros. lib. de Benedict. Patriarch. est, segnen; & *Benedictio*, Segen. Et definitur à S. Ambrosio, *sanctificationis & gratiarum votiua collatio.* Votiua; quia benedicẽs vouet & optat.

Secundò, *Benedicere* idem est, quod *consecrare* & *dedicare*: *Matth. 26.* *Accepit Iesus panem & benedixit.* Et apud S. Lucam, coram discipulis euntibus in Emaus; *Luca 24.* *Accepit* Christus *panem, & benedixit*, id est, consecrauit in corpus suum conuertens; vt exponunt Theophylactus & Beda super Lucam & S. Augustinus. *S. August. lib. 3. de cõsensu Euãgelist. cap. 25.* Eadem notione vsurpari videtur à S. Paulo: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Huius benedictionis materia amplissima est; comprehẽdit enim res anima constantes, & anima carentes; cuius amplitudinem etiam S. Paulus designauit. *1. Tim. 4.* *Omnis creatura Dei bona est, & nihil abijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.* Quapropter more Christianis vsitatissimo, benedicuntur, id est, consecrantur homines, templa, aquæ, vinum, oleum, sal, panis, olera, palmæ, cerei, & id genus alia. Germani vocãt weyhen. Hinc Sacerdotum benedictio seu consecratio, die Priesterweyh. Aqua benedicta, Weyhwasser. Consecratio seu benedictio tẽpli, Kirchweyh. Panis benedictus, ein geweyhtes Brot. sæpe etiam ein gesegnets Brot.

Tertiò accipitur benedictio pro munere seu dono. Quo sensu dicebat Abigail Dauidi: *1. Reg. 25.* *Accipe benedictionem, quam tulit ancilla tua, &c. Attulerat autem ducentos panes, & duos vtres vini*, & similia, quæ benedictionis nomine affecit. Naaman Syrus ad Helisæum. *4. Reg. 5.* *Obsecro, vt accipias benedictionem à seruo tuo.* Et Dauid ad *Seniores Iuda, proximos suos*, post victoriã ab Amalecitis reportatã. *1. Reg. 30.* *Accipite benedictionem de præda hostium Domini.* Iacob Esau fratri suo: *Accipe munusculum de manibus meis: & suscipe benedictionem,* *Gen. 33.* *quam attuli tibi, & quam donauit mihi Deus tribuens omnia.* Græci, quin & Latini, *Eulogias* appellãt; quanquam hoc nomen etiam ad res benedictas seu consecratas refertur, maximè ad *panem benedictum*, vt suo loco videbimus.

Quærat quis: Cur *benedictionis* nomen tribuatur donis. Ideò, opinor, quia sunt cœlestis benedictionis caussa: Munera enim seu beneficia in alios, amore Dei collata, diuinam benedictionem cõciliant. In quem sensum interpretari licet illud, quod quidam ex famulis ad Abigail, vxorem Nabal, dixit: *Ecce Dauid misit nuncios*

de deserto,

de deserto, *vt benedicerent Domino nostro, & auersatus est eos*: hoc est, vt muneribus ab eo acceptis, essent illi causa diuinæ benedictionis impetrandæ: Nabal enim gratissimum Deo obsequium præstitisset; si Dauidem, eiusq; comitatum aliqua esculentorum & poculentorum parte dignatus fuisset. Quod obsequium Deus, copiosa benedictione vbertim compensasset. Sed quia renuit & quidem non sine conuiciis & opprobriis, maledictionem loco benedictionis sibi acciuit: quemadmodum è diuerso Abigaili, munera Dauidi, sociisq; oblata, magnæ benedictionis causa fuêre. Quamobrem non immeritò munera illa *benedictionem* appellauit.

De his ergo tribus benedictionum generibus hoc in opere disputare est animus, & primo quidem de benedictione primæ; secundo, de benedictione secundæ, & tertiæ notionis seu significationis; illud initio monentes; benedictionem, etiam sola mente perfici posse; neque enim soli ori; sed & menti est sua *dictio*: tam bona, ex qua benedictio; quàm mala, ex qua maledictio; tametsi benedictiones ab hominibus fieri solitæ, plerunq; vocali dictione peraguntur. Nec ad benedictionem simpliciter necessaria est seu oris seu mentis bona dictio; nam & solo externo signaculo, vt solo signo Crucis, aliquem vel alicui benedicere licet: Crucis enim efformatio manibus super aliquem expressa, vel ei etiam impressa, vera est benedictio. Nec tamen absolutè loquendo verbis opus habet: satis est, Crucem, tanq̃ sacram tutelam, firmumq; præsidium effigiare velle; & reipsa itidem effigiare.

Quia verò non tantùm homo homini; sed & Deus & Angelus homini benedictionem impertiri potest & solet; ideo prius de Benedictione, quam Deus & Angelus dat, differemus. Vbi tamen lectori antea in mentem reuocauero, Pelagianos Hæreticos, benedictionis huius euersores fuisse; saltem obliquè & indirectè; & si minus verbis, at ipso facto & opere. Cùm enim sceleratè docerent, quemlibet viribus naturalibus, absq; vllo auxilio diuino, peccata vitare; tentationes vincere, inque fide ac salute perseuerare posse; rectè animaduerterũt sancti patres, sequi hinc omnes benedictiones, quæ ab Episcopis aliisque sacerdotibus populo impertiuntur, inutiles, inanes ac friuolas esse. Quid enim opus est aliquid alicui diuinitus optare, (vt fit per benedictionem) quod ipse in sua manu habet, & absq; Dei ope consequi potest? *Benedictiones, fratres mei*, exclamat S. Augustinus: *Benedictiones nostras, quas super vos facimus*, *S. August. in fragmẽto*

contra Pelagianos Tom. 10. Edit. Louaniens.

cimus, euacuant, exinaniunt, elidunt. *Audistis me, credo, fratres mei quando dico conuersi ad Dominum, benedicamus nomen eius, det nobis perseuerare in mandatis suis, ambulare in via recta eruditionis suæ, placere illi in omni opere bono, & cætera talia. Prorsus, inquiunt, hoc totum in nostra potestate est constitutum. Ergo nos inaniter talia vobis optamus. Defendamus & nos & vos, ne & nos sine causa benedicamus, & vos sine causa Amen subscribatis. Fratres mei, Amen vestrum subscriptio vestra est, consensio vestra est, adstipulatio vestra est. Ne fortè aliqui ipsorum & nos condemnent & vos: defendamus nos de Apostolo Paulo, videamus, si talia optauit plebi suæ, qualia oramus super vos.* Postea refutat S. August. insaniam istam ex Apostolo, nominatim ex illo loco: *Oramus ad Deum, ne quid mali faciatis.*

2. Cor. 13.

Eandem impietatem Pelagianorum detexerũt Patres Concilij Carthaginensis, inter quos & ipse Augustinus erat, in Epist. ad Innocentium Papam: *Contradicitur etiam istorum (Pelagianorum) contentione benedictionibus nostris, vt incassum super populum dicere videamur, quidquid eis à Domino precamur, vt rectè ac piè viuendo illi placeant: & illa, quæ pro fidelib. precatur Apostolus dicens: Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur, vt det vobis secundum diuitias gloriæ suæ virtute corroborari per spiritum eius. Si ergo voluerimus benedicendo super populum dicere: Da illis Domine virtutem corroborari per spiritum tuum: istorum nobis disputatio contradicit, affirmans negari liberum arbitrium, si hoc à Deo poscitur, quod est in nostra potestate. Virtute enim corroborari si volumus, inquiunt, possumus ea possibilitate naturæ, quam non nunc accepimus, sed cum crearemur accepimus.*

Epistola 90 inter Epist. S. August.

Ephes. 3.

CAPVT II.

De Benedictione, quam dat Deus & Angelus.

DEum benedicere rebus tam ratione præditis, quàm ratione carentibus, notius est ex sacris literis, quàm vt operosè demonstrari debeat: initio enim mundi conditi benedixit Deus rebus nonnullis abs se creatis; vt piscibus, volatilibus, bestiis terræ, & ipsis etiam hominibus: *nam masculum & fœminã creauit eos; & benedixit illis.* Idem *benedixit diei septimo. Benedixitq; Deus Noë, benedixit domui Israël, benedixit domui*

Aaron,

Aaron, benedixit omnibus, qui timent Dominum, pusillis cum maioribus, &c. Quid est, benedixit? inquit S. Chrysostomus. *Impleuit bonis innumerabilibus. Etenim homo quoq; Deum benedicit; vt quando dicit:* Benedic anima mea Dominum. *Sed qui Deum benedicit, ipse lucratur; seipsum enim reddit clariorem; illi autem nihil largitur: Deus autem benedicens, nos reddit clariores; ipse autem nihil accipit; Deus enim nulla re indiget; itaq; vtrinq; lucrum nostrum est.* Gen. 5. Gen. 2. Gen. 9. Psal. 113. Chrysost. in Psal. 113.

Secundò, Deus in scripturis aliquando promittit suam benedictionem: signum igitur est, eum benedicere posse, atq; adeo solere; neq; enim quidquam pollicetur, quod non præstet, cum sit fidelis, seq; negare nequeat. Quocirca ad Abraham: *Benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisq; benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, &c.* Et ad Isaac: *Eroq; tecum, & benedicam tibi.* Ibid. *Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, &c.* Gen. 12. Gen. 26.

Tertiò, viri sancti optant, vt & ipsi, & alij à Deo benedicantur. *Deus misereatur nostri; & benedicat nobis. Benedicat nos Deus, Deus noster; benedicat nos Deus. Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cælum & terram. Benedicat tibi Dominus ex Sion, & videas bona Hierusalem omnibus diebus vitæ tuæ.* Quare ipsi etiam homines, cum alicui benedicunt; id non nisi Dei auctoritate, & maiestate interposita, faciunt. Hinc Iacob in benedictione filiorum Ioseph: *Deus in cuius conspectu ambulauerũt Patres mei Abraham & Isaac, &c. benedicat pueris istis.* Et in formula benedicendi, quam præscripsit Deus Aaron & filiis eius, suum quoq; nomen adiecit. *Sic benedicetis filiis Israël, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus, & custodiat te.* Benedicit autem Dominus præcipuè iustis. *Benedictio Domini super caput iusti. Tu benedices iusto. Habitacula iustorum benedicentur.* Præterea, *innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec iurauit in dolo proximo suo; hic accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo.* Adde timentes Deum, de quibus scriptura sæpius: *Timenti Deum bene erit in extremis; & in die defunctionis suæ benedicetur.* B. Dauid: *Beatus vir qui timet Dominum, qui ambulat in viis eius, &c. Vxor tua, sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ, &c. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.* Et misericordes: *Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur.* Psal. 66. Gen. 48. Num. 6. Prouer. 10. Psal. 5. Psal. 23. Ecclesiast. cap. 1. Psal. 127. Prouer. 22.

Cauendum autem, ne benedictionem Dei spernamus, ne audiamus illud: *Noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.* Quod sanè miserum. Psal. 108.

miserum. Satis calamitosum esset carere benedictione cœlesti; cæterum non modò carere, sed & ita comparatum esse, vt à te benedictio refugiat, & quàm longissimè abscedat, id verò longè calamitosissimum iudicari debet: quia benedictio Dei est locupletatio, & munerum tam cœlestium, quàm temporalium collatio: tametsi primariò cœlestium. *Benedicit nos Deus, nos crescimus*, inquit S. Augustinus, *& cùm nos benedicimus Dominum, crescimus; vtrunq; nobis prodest. Non augetur ille benedictione nostra. Nec minuitur maledictione nostra. Qui maledicit Domino, ipse minuitur, qui benedicit Dominum, ipse augetur. Prior est in nobis benedictio Domini, & consequens est, vt & nos benedicamus Dominum;* ad quod sedulò faciendum tota propemodum scriptura verbis & exemplis propositis nos cohortatur, præsertim B. Dauid in Psalmis; vbi toties intonat illa; *laudate, exaltate, magnificate, glorificate* Deum; quæ nihil aliud significãt, quàm *benedicere* Deum, quemadmodum & ista: *cantate, iubilate, psallite, psalmum dicite, confitemini, exultate Domino*; synonyma sunt eius, quod est *benedicere Domino;* quo toties vsus Psalmographus. *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto eius. Benedic anima mea Domino; Domine Deus meus magnificatus es vehementer.* Et istud *benedicere*, nihil aliud est, quàm implere illud monitum alterius Psalmi: *Afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius.* Nam benedicens Deo, optat, & optando, quantum consequi potest, efficit, vt nomen Domini sanctificetur; & ceu sanctum ac terribile, ab omnibus agnoscatur, prædicetur, ac celebretur.

S. August. in Psal. 66.

Psal. 28.

Quia verò humana infirmitas imbecillior est, quàm vt Deo debitas laudes concinat, hinc omnes alias creaturas ad idem ministerium obeundum aduocat; prout factum à B. Dauide, & postea à tribus pueris in fornace Babylonica, vbi accersuntur res tam sensu præditæ, quàm sensu destitutæ, vt benedicant, laudent, & superexaltent Dominum: Et quidem omni tempore, ac indesinenter, ad imitationem sanctissimi Psalmographi; qui de se. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Quando benedicam Dominum? Ait tibi aliquis.* Quando tibi benefacit: *quando abundãt sæcularia: quando multum abundat frumenti, olei, vini, auri, argenti, mancipiorum, pecorum, salusq; ista mortalis inuulnerata & incorrupta persistit, ea, quæ nascuntur, crescunt omnia; nihil immatura morte subtrahitur; felicitas tota abundat in domo, circumfluunt omnia. Tunc benedices*

Psal. 148.

S. August. in Psal. 33.

medices Dominum. Non: Sed, in omni tempore. Ergo & tunc quando ista secundum tempus, & secundum flagella Domini Dei nostri, turbantur, auferuntur, minus nascuntur, iam nata dilabuntur; fugiunt enim hæc: Et inde sequitur penuria, egestas, labor, dolor, & tentatio. Sed tu, qui cantas tibi: Benedicam Dominum in omni tempore; semper laus eius in ore meo; *& quando ista dat, benedic; quando & ista tollit: Benedic; quia ille dat, ille tollit, sed seipsum à benedicente se non tollit.*

Per singulos dies benedicam te, ait alibi B. Dauid. *Lauda ergo & benedic Dominum Deum tuum per singulos dies, vt cùm finiti fuerint singuli dies, & venerit sine fine vnus dies, eas ex laudibus in laudem, sicut ex virtutibus in virtutem. Per singulos, inquit, dies benedicam te, & non transeat dies, quo te non benedicam. Nec mirum est, si læto die tuo, benedicis Deum tuum. Quid si fortè illuxerit aliquis tristis dies, sicut se habent humanæ res; sicut est abundantia scandalorum; sicut est multiplicatio tentationum. Quid ergo, si aliquid accidat triste homini, desines laudare Deum? Desines benedicere creatorem tuum? si desinis, mentitus es dicendo; per singulos dies benedicam te Domine. Si autem non desinis; Etsi tibi videtur in die tristi malè, erit tibi in Deo tuo bene.* Hæc eleganter S. Augustinus. *S. August. in Psal. 144.*

Benedictionem ergo Dei diuinæ benedictioni quasi remunerationis loco reponere debemus: vt benedictio benedictionē non tantùm temporalem, sed præcipuè spiritualem obtineat. *Quam benedictionem petit hæc vox?* Benedicat nos Deus. *Vt benedicat nos Deus benedictione, quam seruat amicis suis; quam solis bonis dat. Non pro magno appetas, quod & mali accipiunt.* Nec tamen nefas, temporales quoq; benedictiones à Deo petere; *Multis modis se volunt homines à Deo benedici. Alius benedici se vult, vt habeat plenam domū necessariis rebus huic vitæ: alius benedici se cupit, vt obtineat salutem corporis sine labe. Alius benedici se vult, si fortè ægrotat, vt reparet sanitatem. Alius desiderans filios, & fortè contristatus, quòd non nascantur, benedici se vult, vt habeat posteritatem. Et quis enumeret diuersa vota hominum se à Domino Deo benedici cupientium? Quis autem nostrum dicturus est, non esse illam Dei benedictionem, si vel agricultura ei fructum ferat, vel domus cuiusque abundet copia rerum temporalium; vel ipsa corporis salus aut teneatur ne amittatur, aut amissa reparetur? &c. Facit hæc Deus, donat hæc Deus, &c. Sed alia sunt dona, quæ dat & inimicis suis; alia, quæ non seruat, nisi amicis suis:* cuiusmodi sunt benedictiones gratiæ & gloriæ. *Benedixit enim nos Deus in omni benedictione spirituali, in cœlestibus, in Christo.* *S. August. in Psal. 66.* *S. August. loc. cit.* *Eph. 1.*

Vbi

Vbi obserua illud: *In Christo.* Nam per Christum omnia cœlestia charismata conferuntur; & quidem omnibus iuxta illud Dei promissum Abrahæ factum. *In te benedicentur vniuersæ cognationes terræ.* De quo iterum: *Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum: cum futurus sit in gentem magnam ac robustissimam, & benedicendæ sint in illo omnes nationes terræ?* Rursus: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Et vt intelligeremus, quanti momenti esset hæc benedictio, repetita est ad Isaac, & ad Iacob eisdem propemodum verbis: Cuius præstantiam explicauit nobis Apostolus ad Galatas: *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius. Non dicit; & seminibus; quasi in multis; sed quasi in vno: Et semini tuo; qui est Christus.* Hæc de benedictione, quam dat Deus.

Gen. 12. *Gen. 18.* *Gen. 26. & 28.* *Galat. 3.*

Angelos hominibus benedicere testimonio est celebris illa lucta Patriarchæ Iacob cum Angelo: cui ille; *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Et benedixit ei in eodem loco.* In benedictione, qua Iacob filiis Ioseph benedixit, eisdem non modò Dei, sed & benedictionem Angeli precatus est. *Deus in cuius conspectu ambulauerunt patres mei Abraham & Isaac, &c. Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis, &c.* S. Columba Scotus, hoc est, veteris Scotiæ quæ Hibernia appellatur, ciuis & indigena; vidit paulò ante mortem suam Angelum, aspectabili specie sibi & fratribus suis benedicentem; vt scribit Adamannus itidem Scotus in Vita S. Columbæ.

Gen. 32. *Gen. 48.* *Adaman. lib. 3. cap. 27.*

CAPVT III.

De benedictionibus, quas filiis & nepotibus suis dederunt Noë, Isaac & Iacob; & prius Abrahamo Melchisedech.

PRimus ex hominibus, quem maledictione & benedictione vsum constet; est Noë, qui irritatus ignominia, qua à filio Cham affectus fuerat, & prouocatus reuerentia, quam sibi Sem & Iaphet exhibuerant; in illum maledictionem strinxit; hos benedictione prosecutus est. *Maledictus Chanaan, seruus seruorum erit fratribus suis.* Vbi obserua, Cham filium non in se; sed in nepote suo Chanaam à Noë maledici: neque enim

enim ausus est filium Cham maledictione impetere; cui Dominus benedixerat; quia Deus *benedixit Noë & filiis eius*, vt dicitur initio Capitis noni: *Benedictus Dominus Deus Sem, sit Chanaan seruus eius. Dilatet Deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem, sitque Chanaan seruus eius.* Gen. 9.

Putat autem Ioannes Ferdinandus in suo *Thesauro*, benedictionum consuetudinem, qua parentes morigeris filiis benedicũt, & qua immorigeris maledicunt, originem ducere ab hoc facto Patriarchæ Noë. Certè simile exemplum, vetustius illo, nullum in sacris literis exstat.

Abrahamo à cæde Regum cum victoria reuerso occurrit *Melchisedech, Rex Salem proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altissimi: Et benedixit ei, & ait: Benedictus Abraham Deo excelso, qui creauit cœlum & terram, & benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt: Et dedit ei decimas ex omnibus.* De qua benedictione grauissimè disserit Apostolus ad Hebræos; ostẽdens & ex benedictione, & ex decimarum pensione, quanto maior fuerit Melchisedech Abrahamo. *Decimas sumpsit* (Melchisedech) *ab Abraham, & hunc, qui habebat repromissiones, benedixit: Sine vlla autem contradictione, quod minus est à meliore benedicitur*; de quo inferius plura. Gen. 14. Hebr. 7.

Sub finem vitæ benedixit Isaac filio suo Iacob, supposito in locum Esau; deceptus sine deceptione: in qua plures cæremoniæ antea sacris literis non memoratæ: vt esculenta & poculenta benedicenti oblata; & osculum. *Dixit enim* Isaac; *Accede ad me, & da mihi osculum. Accessit, & osculatus est eum: statimq; vt sensit vestimentorum eius fragrantiam, benedicens illi, ait. Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus: Dét tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti & vini: Et seruiant tibi populi, & adorent te tribus, esto Dominus fratrum tuorum; & incuruentur ante te filij matris tuæ. Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus. Et qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.* Amplissima sanè benedictio, quam sibi præreptam, doluit Esau, & ex dolore in odium aduersus fratrem suum erupit; sua tamen importunitate ipse etiam benedictionem à patre extorsit; sed longè minorem: *In pinguedine terræ, & in rore cœli desuper, erit benedictio tua, &c.* Gen. 27.

Benedictio, qua Patriarcha Iacob nepotibus suis, filiis Ioseph, benedixit, multa obseruatione digna continet: nam *applicitos ad se deoscu-* Gen. 48.

deosculatus & circumplexus est; quorum alterum, Ephraim scilicet, ad sinistram benedicturi pater constituit; Manassen verò ad dextram, ratus fore, vt dextram super Manassen; sinistram, super Ephraim poneret. At ille manus decussans dextram imposuit stanti ad sinistram Ephraim; & sinistram stanti ad dextram Manassæ, non sine mysterio; cuius tunc ignarus Ioseph, factum parentis corrigere volebat; sed correctus ipse, tacitus cœlestibus arcanis adquieuit. Habemus ergo in hac benedictione impositionem manuum, & quidem decussatam.

Videamus formam. *Deus in cuius conspectu ambulauerunt patres mei Abraham & Isaac, Deus, qui pascit me ab adolescentia mea vsq; in præsentem diem: Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis, & inuocetur super eos nomen meum, nomina quoq; patrum meorum Abraham & Isaac, & crescant in multitudinem super terram.* Vbi inuocationem Dei, & Angeli interpositam vides: imò & inuocationem nominis Iacob; Abraham & Isaac: Expressè enim dicit: *Inuocetur super eos nomen meum, nomina quoq; patrum meorum Abraham & Isaac.* Eadem enim phrasi hæc dicta sunt, qua illa in Numeris; *Inuocabuntq; nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis.* Ergo quemadmodum nomen Dei, ceu Primarij omnium benedictionum Auctoris, in benedictionibus inuocatur; ita & Iacob nomen suum, & patrum suorum exprimi voluit, quoties quis Ephraim & Manassæ bene precaturus esset: nam inuocare nomina istorum super pueros, erat optare ac vouere, vt Deus Abrahami, Isaac & Iacob rebus gestis, vitaq; inculpatè transacta permotus, illis benefaceret. Quo fine trium Patriarcharum istorum nomina implorationi opis diuinæ adhibita fuisse frequentia sacrarum literarum exempla declarant. Et ipse Deus non semel testatur, se propter Abraham, Isaac & Iacob, quædam vel omisisse, vel gessisse; quæ absque hoc respectu minimè omissurus vel gesturus fuisset. Quoties occurrit illud? *Propter Dauid seruum meum, &c. Propter Dauid seruum suum.* Intuitu enim Dauidis sæpè pepercit Deus Israëlitis, alioqui nequaquam parsurus.

Num. 6.

Decantatissima est benedictio illa, quam Iacob Patriarcha morti iam vicinus, dedit filiis suis: *Benedixit* enim *singulis benedictionibus propriis.* In Iosephum autẽ vberius benedicendo se effudit: *Deus patris tui erit adiutor tuus, & omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyssi iacentis deorsum: benedictionibus*

Gen. 49.

ctionibus vberum & vuluæ. Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum eius, &c. Vbi *benedictiones cœli desuper,* partim sunt spirituales ex Angelorum præsidio, aliisq; charismatis diuinis; partim corporales, ex influentiis cœlestium luminarium. *Benedictiones abyssi deorsum*, ex irrigatione fluminum, fontium & paludum; ex quibus fructus terræ crescunt & augentur. *Benedictiones* autem *vberum & vuluæ*, ad filiorum procreationem pertinent; vtq; iumenta, armenta & greges multiplicentur, vt in suo Thesauro notat Ioannes Ferdinandus. Quæ benedictio posteris in idololatriam delapsis, iusto Dei iudicio, euanuit, iuxta illud Osee: *Quid dabis eis Domine? Vuluam sine liberis, & vbera arentia.* Osee cap. 9.

CAPVT IV.

De formula benedicendi quam Deus Moysi præscripsit; deq; Moysis & Aaronis aliisque nonnullis benedictionibus.

IN libro Numerorum isthæc legimus. *Locutusq; est Dominus ad Moysen, dicens. Loquere Aaron & filiis eius: Sic benedicetis filiis Israel, & dicetis eis. Benedicat tibi Dominus, & custodiat te. Ostendat Dominus faciem suam tibi; & misereatur tui, conuertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem.* Pulcherrima formula benedicendi, in qua continetur inprimis ipse omnis benedictionis largitor Deus; ab hoc enim petitur, vt benedictionem impertiat: Et hoc est, quod ibidem mandauit Dominus: *Inuocabuntq; nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis.* Quæ inuocatio fit verbis illis: *Benedicat tibi Dominus, & custodiat te.*

Deinde benedictionis effectus considera; quorum vnus, *custodia Dei.* Secundus, *ostensio faciei*; quæ est signum beneuolentiæ & amicitiæ; illa præsertim, quæ est facie ad faciem, & in qua beatitudo hominis posita. Tertius, *misericordia.* Quartus, similis fermè secundo; *conuersio vultus diuini ad benedictum*, quæ & ipsa etiam beneuolentiæ diuinæ argumētum est. Quintus, *pax*, qua nihil optabilius. *Nihil enim illi adæquari potest*, inquit S. Chrysostomus, *In Ecclesiis pacem, in precationibus, in supplicationibus, in præfationibus, & semel atq; iterum, & tertio, & sæpè eandem, qui Ecclesiæ præest, impertit, dicens:* S. Chrysost. Hom. 3. in Epist. ad Coloss.

dicens: pax vobis. Qua de causa? *Quoniam ipsa mater est bonorum omnium, ipsa causa est, & materia gaudij.*

Nihil porrò in hac formula de cæremonia aliqua externa; vt de manuum gestu, aut simili apparet: licet alicubi Aaron *extendens manum ad populum; benedixit ei.* En manus extensionem cum benedictione. Ibidem *ingreßi Moyses & Aaron in tabernaculũ testimonij, & deinceps egreßi, benedixerũt populo.* Non additur tamen: quo ritu.

Leuit. 9.

De eleuatione & extensione manuum in benedictione, luculentum testimonium exstat in Ecclesiastico, de Simone Oniæ filio, sacerdote magno. *Tunc descendens manus suas extulit in omnem congregationem filiorũ Israel.* Græcè, ἐπῆρε τὰς χεῖρας αὐτοῦ, *in altum manus suas sustulit seu eleuauit,* benedictionis nimirum gratia, pronuncians illam formulam, quam Deus in libro *Numerorum* præscripserat: Et istud, peracto sacrificio; tunc enim publicam ac solennem benedictionem dare plerunq; solebant; vt & nunc fit apud Christianos in fine Christiani sacrificij. Notat Iansenius, hanc manuum eleuationem super populum fieri consuetam motione ad quatuor partes; *sursum, deorsum, sinistrorsum, & dextrorsum.* Quod si verum est; haud obscurè sacrosanctum Crucis Mysterium, & per crucem aliquando facienda benedictio, insinuata sunt. Ceterum, quod Aaron *manum,* non *manus* extendisse dicitur, id vel Synecdoche est; singulari pro plurali posito; vel certè dicendum, extensione & eleuatione vnius manus benedictionem æquè dari potuisse, etiam in crucis formam, ac vtraq; manu. Benedictionem Aaronicam expresit idem Ecclesiasticus, cum inter cætera, Aaroni, tanquam Sacerdoti, commissa, numerat & hoc: *Glorificare populum suum in nomine suo*: hoc est, benedicere populo Dei in nomine Dei; iuxta formam præscriptam in Numeris; nam Græcè est; Εὐλογεῖν τὸν λαόν.

Eccles. 50.

Iansen. in cap. 50. Eccles.

Eccles. cap. 45.

Moyses ad vitæ metam prouectus benedixit duodecim tribubus Israel. *Hæc est benedictio, qua benedixit Moyses homo Dei filiis Israel ante mortem suam*; quæ postea speciatim percensentur. Vbi obseruatione dignum: benedictionẽ datam à Moyse Tribui Ioseph re & sensu propemodum conuenire cum illa, quam Iosephus à patre suo Iacob accepit; vt fatebitur, qui alteram cum altera conferre voluerit. *De benedictione Domini terra eius, de pomis cœli, & rore, atq; abysso subiacente, &c. Benedictio illius, qui apparuit in rubo, veniat super caput Ioseph; & super verticem Nazaræi inter fratres suos.*

Deut. 33.

Gen. 49.

Exod. 3.

Verum

Verùm iam ad alias benedictiones procedamus. Iosue lectu- *Ios. 8.*
rus populo Deuteronomium, & omnes benedictiones atq; male-
dictiones in eo scriptas, *primùm quidem benedixit populo Israël*: nam
tanti momenti opus à benedictione inchoandum erat. Idem Iosue *Ios. 14.*
benedixit Caleb. Item Rubenitis, Gaditis, & dimidiæ Tribui Ma-
nasse, cum eos, confectis iam præcipuis bellis, in possessiones suas *Ios. 22.*
trans Iordanem remitteret. Nam discedentib⁹ benedictionē dare
per q̃ vsitatum est. Heli Sacerdos *benedixit Helcanæ & vxori eius.* *1. Reg. 2.*
Benedixit Dauid *populo in nomine Domini exercituum*: idq; post so- *2. Reg. 6.*
lennem illam pompam, qua Arcam fœderis transtulit in ciuitatem *1. Paralip. 16.*
Dauid. Idem Dauid benedixit filio suo Absaloni; & Berzellai Ga- *2. Reg. 13.*
laaditæ, addito osculo. In dedicatione Templi *conuertit Rex* Salo-
mon *faciem suam, & benedixit omni Ecclesiæ Israel.* Nec contentus v-
nam benedictionem dedisse; adiecit & alteram: *nam cùm complesset
orans Dominum omnem orationem & deprecationem hanc, surrexit de
conspectu Altaris Domini, &c.* Stetit ergo & benedixit omni Eccle-
siæ Israel, voce magna dicens: *Benedixit Dominus, qui dedit requiem
populo suo Israel, &c. Sit Dominus Deus noster nobiscum, sicut fuit cum
patribus nostris, &c. Et in die octaua dimisit populos, qui benedicentes
Regi profecti sunt in tabernacula sua lætantes.* Benedictio enim bene-
dictionem parit. Iehu benedixit Ionadab, filio Rechab.

Cum Rex Ezechias Paschæ solennitatem indixisset, & postea
summa omniũ gratulatione peregeret; *Surrexerunt Sacerdotes atq;* *4. Reg. 10.*
*Leuitæ benedicentes populo, & exaudita est vox eorum, peruenitq; oratio
in habitaculum sanctum cœli.* Gabelus quoq; iuniori Tobię benedi-
ctionem dedit, dixit enim: *Benedicat te Deus Israel, quia filius es opti-* *Tob. 9.*
*mi viri, & iusti, & timentis Deum, & eleemosynas facientis, & dicatur
benedictio super vxorem tuam, & super parentes vestros, &c. & sit semē
vestrum benedictum à Deo Israel, qui regnat in secula seculorum*: omni-
bus *Amen* acclamantibus. Iosepho & Deiparæ Virgini benedixit *Lucæ 2.*
grandæuus ille Simeon, postquã Christũ in vlnas accipere meruit.

Ex veteri Testamento translatus est mos benedicendi in nouũ,
& quidem ipso Christo duce ac auspice, qui ascendens in cœlum
eleuatis manibus suis, benedixit discipulis: Vtranq; manum in altum
extulit; recepto scilicet ritu, quo inter benedicendum manus in al-
tum tolli solebant; quod & in omni oratione fiebat: Quò respexit
B. Dauid illo versiculo. *Eleuatio manuum mearum sacrificium vesperti-
num. Et factũ est cum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cœlũ.*

Inter benedicendum ergo paulatim ſurſum attolli, & intuentium oculis ſurripi cœpit. Vtrum autē Chriſtus in hac ſua benedictione quaſi valedictoria, vt ita loquar, ſignū crucis efformauerit; quod quidam piè ſibi perſuadent, non liquet. Credibile eſt efformaſſe, vt diſcipulis ſuis benedicendi formam præſcriberet; cumq; benedictionibus apud Chriſtianos plerunq; ſignum ſanctæ Crucis adiungi ſoleat; veriſimile fit, id fieri traditione à Chriſto accepta: Apoſtolicam enim traditionem eſſe, quis ſanæ mentis dubitet?

Nec aliud, niſi benedictio fuit, illa impoſitio manuum, de qua
Matth. 19. S. Matthæus. *Tunc oblati ſunt ei paruuli, vt manus eis imponeret, & oraret.* Ecce manuum impoſitio & oratio. Hoc autem, quid niſi benedictio? *Et cùm impoſuiſſet eis manus, abijt inde.* Et hic benedicendi ritus per manuum impoſitionem; per ſignaculum ſanctæ Crucis, perq; verba bene ominata & nominata, ab æuo Apoſtolico, ad hanc noſtram ætatem tam publicè, quàm priuatim vſitatiſſimus fuit; eritq;, quoad Eccleſia Chriſtiana erit.

Nec hæretici huius tēporis ab hoc benedictionis genere planè abhorrent; nam & alicubi in Templis, cum concio mittenda eſt; illudq; *licet* exclamandum; benedictione ſuos proſequūtur; abſq; tamen ſacroſanctæ crucis ſignaculo; nam hoc addere; piaculum reputant. Menſæ etiam ſuæ benedicere conſueuerunt. Nec tam ineptè ſcrupuloſi ſunt, vt propinantibus vini meraci hauſtum, benedicere abnuant. Nec poteſt hæc benedictionis ſpecies ex vſu hominum penitus tolli, niſi quis prorſus Miſanthropus effici, & nemini mortalium, quidquā proſperum, ne bonum quidem diem aut veſperum, aut beatam noctem precari velit. Nam ſi precetur, iam benedicit: cum benedicere nobis hoc loco nihil aliud ſit, quàm alicui bona & proſpera precari.

Pro clauſula capitis huius obſerua Iacob Patriarcham etiam Pharaoni, vera fide non prædito, benedictionem impertiiſſe:
Gen. 47. nam in Geneſi hæc legimus. *Poſt hæc introduxit Ioſeph patrem ſuum ad Regem, & ſtatuit illum coram eo: qui benedicens illi, interrogatur ab eo; quot ſunt dies annorum vitæ tuæ, &c.* tametſi enim ambiguum videtur; num Iacob Pharaoni; an Pharao Iacobo benedixerit, attamen ex LXX. Interpretum verſione perſpicuè liquet, Iacob Patriarcham Pharaoni benedictionem dediſſe: quam abiens repetiit; nam *benedicto Rege egreſſus eſt foras.*

Alius Pharao, Rex Ægypti, capitalis Hebræorum hostis, à Moyse & Aarone benedictionem petiit, afflictionibus diuinitus immissis ad id compulsus: *Oues vestras & armenta assumite, vt petieratis; & abeuntes benedicite mihi.* *Exod. 12.*

CAPVT V.

Quotuplex sit benedictio, & primum de publica in Missæ sacrificio.

BEnedictio duplex est; altera, publica; quæ in publicis Ecclesiæ officiis, & conuentibus, & à publicis ministris datur; altera, priuata, quæ priuatim, & à priuatis; non ex officio, sed præcisè ex beneuolo in alium affectu. De prima testes habemus antiquissimos Auctores, & vetustissimas Liturgias: Clemens Romanus. *Pontifex precatus pacem populo benedicat ei, vt Moyses sacerdotibus præcepit, vt his verbis populo benedicerent: Benedicat tibi Dominus, & custodiat te, & ostendat faciem suam super te, & det tibi pacem. Precetur ergo Episcopus his verbis: Conserua Domine populum tuum incolumem & benedic hæreditati tuæ, quam sanguine Christi tui possedisti, & acquisiuisti, & regale sacerdotium, & gentem sanctam appellasti. Postea verò fiat sacrificium, &c.* *Clem. lib. 2. Constitut. cap. 58.*

In cuius fine benedictio populo data est, vt ex eodem Clemente liquet. *Dicat Diaconus: Deo per Christum ipsius inclinate; & accipite benedictionem. Et Episcopus precetur dicens: Deus omnipotens qui verax es, &c. exaudi me per nomen tuum, & benedic iis, qui tibi ceruices suas inclinarunt, &c. & da eis, quæ eorum corda petunt, &c.* Eundem morem dandi benedictionem in fine Liturgiæ seu Missæ testatum reddunt Liturgiæ S. Iacobi, S. Marci, S. Basilij, S. Chrysostomi; Missa Æthiopum, Christianorum apud Indos, & Mozarabum quę duæ Liturgię exstant Tomo secundo Auctarij ad Bibliothecam SS. Patrum. *Clem. lib. 8. cap. 15.*

De Latinorum Liturgiis, quid dicere attinet, cum nihil notius sit, quàm populum à Missa cum benedictione dimitti. In Missa Mozarabum datur alia benedictio, post pronunciatam orationem Dominicam, & particulam hostiæ cum sanguine permixtam; tunc enim exclamat Sacerdos: *Humiliate vos benedictioni:* *Vide Amalariū lib. 3. de offic. Ecclesiast. cap 36.*

Et mox

Et mox populo multifariam benedicit. De qua benedictione accipiendus est Canon XVIII. Concilij Toletani IV. *Nonnulli Sacerdotes post dictam orationem Dominicam statim communicant, & postea benedictionem in populo dant. Quod deinceps interdicimus: sed post Orationem Dominicam & coniunctionem panis & calicis, benedictio in populum sequatur, & tunc demum corporis & sanguinis Domini Sacramentum sumatur, eo videlicet ordine, vt Sacerdos & Leuita ante Altare cõmunicent; in choro clerus; extra chorum populus.* Similis benedictio legitur in Liturgia S. Iacobi & S. Marci.

S. August. Epist. 59. ad Paul. De eadem sanctus Augustinus, qui eam significatam putat ab Apostolo nomine *interpellationis* seu *postulationis*. *Postulationes fiunt*, inquit S. Augustinus, *cum populus benedicitur, tunc enim Antistites, velut aduocati, susceptos suos per manus impositionem misericordissimæ offerunt potestati.* *1. Tim. 2.* Quibus peractis & *participato tanto Sacramento* (ergo ante communionem dabatur ista benedictio) *gratiarum actio cuncta concludit, quam in his etiam verbis vltimam commendauit Apostolus.*

In Concilio Lemouicensi apud Baronium M XXX.IV. *cum ad horam fractionis Dominici corporis ventum esset, atque ex more Archiepiscopus benedictionem populo funderet, super inseruit B. Martialis nominis mentionem, ita dicens: Benedicat & custodiat vos omnipotens Deus, &c.* Videtur autem populo data hæc benedictio, vt ea quasi expiatus, purior ad sacram Eucharistiam accederet. *Dur. lib. 4. cap. 51.* Eiusdẽ, quasi in non nullis Ecclesiis vsitatæ meminit Wilhelmus Durandus, quamuis indicat, non nisi ab Episcopo datam, nec Romanis institutis receptam. Latina Liturgia qua hodie vtimur, post fractionem Corporis Domini pacem populo precatur, & in fine benedicit; vt notum est, nec Romanus mos crucem triplicem, sed vnicam tantùm efformat, etiam in missis solennibus; nisi celebrans sit Episcopus: iste enim ter populo benedicit, vt dicitur in Rubricis Romani Missalis; hoc est, ad nomen *Patris* vnam; ad nomen *Filij*, alteram, & ad nomen *Spiritus sancti* tertiam crucem effigiat.

In quibusdam Episcopatibus, quando Episcopus sub finem Missæ benedictionem daturus est, exclamat Diaconus: *Humiliate vos ad benedictionem*: Quod fit per Quadragesimam in Missis quoque priuatis, vbi, post communionem; quartæ collectæ, quæ benedictiones super populum continet, præmittitur hæc admonitiuncula.

tiunculæ. *Humiliate capita vestra Deo*: nam benedictionem cœlestem non nisi humili animo, & supplici corporis gestu suscipere decet, quamuis hæc benedictio dabatur olim post vltimam, quapropter etiam *vlterior vltimá* vocabatur, vt ex Amalario liquet.

Vide Amalar. lib. 3. de offic. Eccle. cap. 37.

Episcopus Romano more sacris operans, dat solemnem benedictionem, quando infra Missam concio habetur, post factam confessionem generalem, à Diacono, & Indulgentiam à Concionatore promulgatam, prout præscribitur in Cæremoniali Episcoporum. Diaconus cantaturus Euangelium, benedictionem à Sacerdote petit. Ipse itidem Sacerdos celebrans, priusquam Euangelium legat, sibimetipsi benedictionem impendit, verbis illis: *Iube Domine benedicere. Dominus sit in corde meo, & in labiis meis, vt digne, & competenter annunciem Euangelium suum.*

Cæremonial. l. 1. c. 25. & l. 2. in fine.

Nec illud toties in sacris repetitum: *Dominus vobiscum*: aliud est; quàm benedictio; vt & responsio; *Et cum Spiritu tuo*; nam qui hunc in modum respondet; quid aliud facit, quàm quòd benedicenti rebenedicit, vt ita loquar, & illud ipsum, quod sibi precatus fuerat, reprecatur? cuius rei pulchrum exemplum suppeditat nobis libellus Ruth; nam cùm Booz his verbis messores suos salutasset; atque adeo benedixisset: *Dominus vobiscum.* Responderunt ei: *Benedicat tibi Dominus.*

Ruth. 2.

Numeratur benedictio Episcopalis, inter sacramentalia, illo versiculo comprehensa,

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.

De quo versic. lib. 2. plura, An vero hæc benedictio remittat peccata venialia ex opere operato, quæstio est, benedictioni cum cæteris sacramentalibus communis, aliis remittere affirmantibus, aliis negantibus: de quibus videndi Gregorius de Valentia & Franciscus Suarez ad 87. quæstionem tertiæ partis D. Thomæ. Nos cũ libro secundo, de effectibus aquæ benedictæ disseremus, nonnihil de hac controuersia attingemus.

CAPVT VI.

Benedictiones publicæ, etiam extra missam vsurpatæ.

NEc in Missa tantùm, sed extra quoque benedictionum publicarum vsus est, vt in Matutinis, Vesperis, aliisque

Officiis diuinis. Quocirca Patres Concilij Barcinonensis decreuerunt, vt *benedictio in Matutinis, sicut in Vesperâ tribuatur*, idque in fine vtriusque. De Vesperis idem statutum in Concilio Agathensi, & refertur à Gratiano.

Concil. 4. gath. c. 30. cap. Conuenit. *De consecrat. dist. 5.*

In Matutino recitaturus vel cantaturus lectiones, benedictionem petit. *Iube Domine benedicere.* Quod Grecis est, εὐλόγησον πάτερ, *Benedic Pater*; eodem sensu, nam illud Latinorum, idem est; quod *Benedic Domine.* Si tamen Episcopus Matutino præsens sit, & ab illo benedictio petatur, *Domne* non, *Domine*, pronunciatur; quamuis ipsemet Episcopus lectionem nonam cantaturus, non *Domne*, sed *Domine* pronunciet; cui benedictio non accinitur, nisi maior quispiam adsit: De quo vide Romanum Cæremoniale Episcoporum.

Lib. 2. c. 5.

In *Prima* Romani Breuiarij circa finem, duplex benedictio inuenitur; quarum prior est ad imitationem benedictionum in Matutinis, nisi quod lectio, quæ subiungitur, longè breuior est; altera, ad exemplum eius, quæ fit ante mensam: Nam Sacerdos dicit: *Benedicite*: Respondet Chorus: *Deus*: Subaudi; *Benedicat.* Subdit Sacerdos: *Dominus nos benedicat & ab omni malo defendat, &c.*

Nec Completorium sine benedictione finitur; vt norunt omnes, qui *Breuiarium* recitant: Inter Capitula pro Monachis statuta sub Ludouico Pio Anno Christi D C C C. X V I I. Est & hoc. *Vt benedictio post Completorium à Sacerdote dicatur.* Alibi passim diuino officio Benedictiones interspergunfur.

In Processionibus, benedictiones frequentantur; maximè in Processione Corporis Christi; vbi benedictio cum ipso Venerabili Sacramento super populum pronunciatur, non tantum in fine, & initio, sed in ipso etiam Processionis decursu; nam post singula Euangelia ex quaternis Euangelistis decantata; datur cum ipsa sacra hostia benedictio, & quidem verbis efficacissimis: *Benedictio Dei Omnipotentis; Patris † & Filij † & Spiritus sancti † descendat super nos & fructus terræ, ac maneat semper.* Nec corpore Christi duntaxat, sed & imagine Crucifixi; & sacris Reliquiis benedictio dari solet, idque in modum Crucis, de quo more alibi dictum.

Non est hîc omittendum, quod à Clemente Romano, de Episcopo peregrino & aduena præcipitur. *Rogabis eum, Episcope, vt sermonem habeat apud populum, docendi caussa: Est enim hortatio & monitio hospitum grata, & mirum in modum vtilissima, &c. Deinde, Episcope, committes ei, vt offerat Eucharistiam: sin verò, tanquam sapiens,*

Clem. lib. 2. Constit. cap 58.

propter

propter reuerentiam erga te, quò tibi honorem seruet, offerre noluerit, coge, vt saltem benedicat populo.

Nec à re diuina abire fas censebatur, nisi benedictione percepta. In Concilio Agathensi legitur iste Canon, quem Gratianus quoque Decreto suo inseruit: *Missas die Dominico totas tenere* (audire) *speciali ordine præcipimus, ita vt ante benedictionem Sacerdotis, egredi populus non præsumat. Qui si id fecerint, ab Episcopo publicè confundantur.* Simile decretum legitur in Concilio Aurelianensi, quod etiam apud Gratianum exstat.

Concil. Agath. cap. 47. tom. 2. Concil. cap. Missas, de Consecrat. d. 1. Cap. Cum ad celebrãdas, de Consecr. dist. 1.

In Capitularibus Francicis extat insignis lex, cùm de benedictione exspectanda, tùm de Ecclesiis, Altaribus, vasisque Ecclesiasticis, sanctè, & reuerenter tractandis, digna quæ hic lectoribus integrè repræsentetur. *Placuit nobis admonere reuerentiam vestram, vt vnusquisque videat, per suam parochiam, vt Ecclesia Dei suum habeat honorem; simul & altaria secundum suam dignitatem venerentur, & non sit domus Dei, & altaria sacrata peruia canibus: & vt vasa sacrata Deo cum magnâ veneratione habeantur: & vt sacrificia sanctificata, cum magnâ diligentia ab eis colligantur, qui digni sunt, & cum honore seruentur: & vt sæcularia negocia, vel vaniloquia in Ecclesiis non agantur, quia Domus Dei domus orationis debet esse, non spelunca latronum, & intentos habeant animos ad Deum, quando veniunt ad Missarum solemnia: & vt non exeant ante completionem benedictionis Sacerdotalis.*

Lib. 1. c. 78.

Mirus est Canon ille Concilij Agathensis: *Benedictiones super plebem in Ecclesiâ fundere, aut pœnitentem in Ecclesia benedicere Presbytero penitus non licebit.* Non absolutè, sed proprio Episcopo præsente, inquiunt aliqui non improbabiliter. Si quis contendat, presbyteris, simpliciter benedicendi actionem fuisse interdictam, etiam in fine Missæ, respondebimus cum Micrologo, *sententiam prouincialis Concilij tam generali Ecclesiasticæ consuetudini præiudicare non posse.*

Concil. Agath. conc. 44. Grat. 26. q. 6. c. Ministrare. Micrology. de Ecclesiast. obseruat cap. 21.

Ob benedictiones, tam publicas, quàm priuatas, Sacerdotes honorandos esse monuit celebris ille Syrus Ephrem. *Honora Sacerdotem, atque Presbyteros, vt in te benedictio oris ipsorum perueniat.* Alibi idem sanctus Pater. *Honora Sacerdotem, vt in nouissimis benedictionem ab eo accipias: nam qui Sacerdotes dehonorauerit, neque benedictionem ab eo, accipere in nouissimis promerebitur.*

S. Ephrem Serm. de timore Dei. Serm. de Sacerdotio.

Scripsit iam olim antiquissimus Pontifex Telesphorus, Populum debere Sacerdotibus reuerentiam, etiam hoc titulo quòd ab ipsis benedictionem accipiat.

Apud Gratianum, c. 6. q. 1. cap. Sacerdotes.

Concil. Arausic. c. 20. Nec omittendum, in Concil. 1. Arausicano, sub Leone I. sancitum esse, ne Catechumeni cũ aliis publicè, vel priuatim benedicantur. *Ad fidelium benedictionem*, inquit Canon, *etiam inter domesticas orationes, in quantum caueri potest, segregandi informandiq; sunt, vt se reuocent Catechumeni, ad signandos, vel benedicendos, se semotè offerant.* Hoc est, separatim, & priuatim signaculo Crucis, vel benedictione muniantur.

CAPVT VII.

De illo Paulino Axiomate: Sine vllà contradictione, quod minus est, à meliore benedicitur.

Hebr. 7. ASsertio hæc S. Pauli, variis difficultatibus obnoxia est: nam falsa videtur; cum homo Deo benedicat, hoc est, bona precetur, vt vel ex illa sola precatione: *Sanctificetur nomen tuum*; manifestum euadit. Minimus etiam maximo, & infimus mendicus, potentissimo Imperatori, Regi, aut Principi benedicere potest. Ipsi etiam Pontifices maximi, & Episcopi longè imparium, benedictioni, capita sua libenter submittunt: qui etiam sub finem Missæ à Sacerdotibus benedictionem accipere non dedignantur. Præterea Episcopus consecrat & benedicit Papam; & Suffraganei Archiepiscopum; & tamen sunt minores, vt inquit S. Thomas.

S. Thomas lect. 2. in cap. 7. ad Hebr. Clem. lib 8. cap 28. Propter istud S. Pauli axioma, de cuius veritate, vel paululùm dubitare, nefas; variæ consuetudines in Ecclesiam Dei introductæ sunt, quod ad benedicendi ritum attinet; quarum nonnullæ in Constitutionibus S. Clementis Romani leguntur: *nam Episcopus benedicit, & nõ benedicitur.* Et tamen εὐλογίαν παρὰ ἐπισκόπων λαμβάνει, παρὰ δὲ πρεσβυτέρων οὐδαμῶς; *benedictionem accipit ab Episcopis; à Presbyteris, nequaquam.* πρεσβύτερος εὐλογεῖ, οὐκ εὐλογεῖται. Ita habet Græca editio Turriani, & Latina versio eiusdem: *Presbyter benedicit, non benedicitur.* Sed omnino pro οὐκ legendum censeo, καὶ, vt sensus sit; *Presbyter benedicit & benedicitur*: alioqui nullum esset inter Presbyterum, & Episcopum discrimen; de quo paulò ante dixerat: *Episcopus benedicit, & non benedicitur*; à Presbyteris scilicet.

Sub-

Subdit Clemens de Presbytero. *εὐλογίας δέχεται παρὰ ἐπισκόπου καὶ συμπρεσβυτέρου. Benedictionem accipit*, vel, *benedicitur, ab Episcopo & Presbytero*: *ὡσαύτως ἐπιδίδωσι συμπρεσβυτέρῳ. Et dat etiam potestatem compresbytero*; vt benedictionem impertiat: populo scilicet sibi subiecto, in quem ipsi ius, & non alteri sacerdoti; nam vt Episcopus alteri Episcopo hanc facultatem largiri potest, prout capite superiore ex libro secundo Clementis retulimus; ita & Presbyter alicuius Parœciæ potestatem facere potest peregrino sacerdoti, vt populo benedicat. Diaconus *οὐκ εὐλογεῖ, οὐ δίδωσι εὐλογίαν; Non benedicit; non dat benedictionem*; hoc est, non dat benedicendi facultatem, quemadmodum Episcopus & Presbyter dare solent: *accipit verò benedictionem*, hoc est, benedicitur, *ab Episcopo & Presbytero.*

Quod autem Scholiastes annotat; aliud esse apud Clementem, *benedicere*, aliud, *benedictionem dare*; id verum est, in illis verbis de Diacono. *οὐκ εὐλογεῖ, οὐ δίδωσιν εὐλογίαν*; non benedicit; non dat benedictionem; quia hoc loco *εὐλογία* est benedicendi potestas, seu facultas; quam Diaconus dare nequit: alioqui absolutè loquēdo, & seposita hac Clementis Phrasi, *benedicere* & *benedictionem dare*, synonyma sunt. Illud non probo; aliud esse apud Clementem; *benedici*; aliud, *benedictionem accipere; Illum enim, cui committitur, vt benedicat dici, accipere ab altero benedictionem.* At *benedici & benedictionem accipere*, Clementi vnum idemque esse, perspicuum fit ex verbis illis Clementis de Diacono. *λαμβάνει δὲ παρὰ ἐπισκόπου, καὶ πρεσβυτέρου*, *accipit* (benedictionem) ab Episcopo & Presbytero. Accipere enim benedictionem, non potest hoc loco idem esse, quòd, *accipere potestatem benedicendi*, cum in Ecclesia Catholica inauditum sit; Benedictionem solemnem, à Diaconis dari consueuisse. Et cum Clemens de Presbytero agit; *δέχεσθαι εὐλογίαν, accipere benedictionem καὶ ἐπιδοῦναι εὐλογίαν*, &, *facere potestatem benedicendi*, disertè discriminat; ita vt prius illud nihil aliud sit, quàm *benedici.*

Ex Paulino axiomate videtur etiam fluxisse mos ille Ecclesiæ Romanæ, de quo in Rubricis Missalis. *Si Sacerdos celebrauit coram Summo Pontifice, Cardinale, & Legato Sedis Apostolicæ, vel Patriarcha, Archiepiscopo, & Episcopo in prouincia, ciuitate, vel diœcesi sua existente, celebrans, dicto*, placeat tibi sancta Trinitas, &c. *dicit.* Benedicat

vos omnipotens Deus; *& conuertens se ad Summum Pontificem genu-flexus: ad Cardinalem verò, vel Legatum, vel alium ex supradictis Prælatis, capite inclinato, quasi licentiam benedicendi petens, prosequitur.* Pater & Filius † & Spiritus sanctus. *Benedicens astantes à parte, vbi non adest Pontifex, Cardinalis, Legatus, aut Prælatus prædicti. Si autem celebrauit coram Patriarcha, Archiepiscopo, & Episcopo extra eorum prouinciam, ciuitatem, vel Diœcesin constitutis, eis, absque alio respectu, vt cæteris, qui intersunt, more consueto, benedicit.* Eadem de re multa legere est in *Cæremoniali* Romano Episcoporum; quæ prætereo, quia inde peti possunt.

Lib. 1. c. 4.

Strictè olim in Ecclesia Romana obseruabatur, ne minor benedictionem daret, præsente & non annuente maiore. Cuius rei locuples testis est Nicolaus I. Pontifex, ita scribens; *Illi, qui ante nos fuerunt, prouidam in Ecclesiis consuetudinem tradiderunt, hodieq; in Romana Ecclesia, quæ magistra est omnium Ecclesiarum, impraetermissa seruatur, ita vt nullus sacerdos, maiore suo non innuente consacerdote, cuilibet rei benedictionem dare nitatur: sed & anterior stans ad pronunciandam aliquam lectionem, benedictionem quidem postulat, sed ei quilibet inferior non audet penitus benedicere. Cur hoc? Nunquid benedicere peccatum est? Absit. De maledicis enim non de benedicis dicit Apostolus, quia regnum Dei non poßidebunt: sed per hoc innuitur, quantæ censuræ fieno inferiores quiq; à suis præpositis iudicandis coërcendi sint, si his nec etiam benedicendi ius vllum penitus obtineant.*

Nicol. in epist. ad Michaelem Imp. Constantinop. & refertur à Gratiano dist. 21. c. Denique. Et ab Iuone p. 5. cap. 17. & p. 6. cap. 355. Galat. 5.

Sed vt ad locum S. Pauli reuertamur, sunt qui dicant, accipiendum de solenni benedictione, qualis apud nos Sacerdotalis, aut Episcopalis; vt inquit Ioannes Ferdinandus in *Thesauro*; nam priuata benedictione, etiam miserrimum & pauperrimum benefactori suo benedicere. Sed huic doctrinæ obstare videtur; quòd etiam solenniter, hoc est, in Missa, minor maiori; vt Sacerdos Archiepiscopo, vel Episcopo; & æqualis, æquali, hoc est, sacerdos sacerdoti benedicit: quando enim sacerdos celebrat, præsente Patriarcha, Archiepiscopo vel Episcopo, extra suum territorium; benedictionem iisdem impendit perinde ac aliis præsentibus; vt suprà ex Romano Missali audiuimus; nec opus est, vt ab iisdem benedicendi facultatem petat.

Alij respondent; dictum S. Pauli vniuersim & absque vlla exceptione accipi debere; nam benedicentem, formaliter, vt talis est, semper esse maiorem & digniorem eo, qui benedicitur. Et ita fer-

mè

mè Ribera. Nec est, quod doctrinam hanc improbabilem reddat, vel labefactet; nisi fortè obiectiuncula de Deo; cui benedicimus, optando & precando, vt gloria & maiestas eius in omnes orbis partes diffundatur, & ab vniuerso mortalium genere celebretur. Quis autem tam alienus à pietate fuerit, qui dicat, benedicentem Deo, esse maiorem Deo? Hic tamen nodus non est insolubilis. Respondetur enim, S. Paulum locutum de benedictionibus, quas homines hominibus impertiunt, quibus talia bona optant, quæ si obueniant, verè in eorum emolumentum cedunt: at Deo nihil simile optare possumus, quidquid enim benedicẽdo optemus; semper verum manet illud: *Bonorum meorum non eges.* Nec quidquam vtilitatis ex faustis apprecationibus nostris capit. Totũ illud commodum, quod inde resultat, ad nostrum, non ad Dei commodum spectat. Alij, vt Wilhelmus Durandus; aiunt, *ordinariè & regulariter* minorem à maiore benedici. Ex quorum sententia Paulinum axioma non est vniuersale. Alij docent benedicentem benedicere, non sua auctoritate, sed vt ministrum Dei vel Christi; qui maior est, quouis homine. Quæ Paulini axiomatis explicatio satis consentanea est D. Thomæ, cum enim dixisset, Hæreticos, *Pauperes de Lugduno vocitatos, ex dicto Pauli colligere; quemlibet iustum, maiorem esse peccatore, hinc iustum Laicum non benedici à malo sacerdote; sed vice versa, malum Sacerdotem à iusto Laico, eamque ob caussam, omnem iustum esse sacerdotem; & nullum malum, esse sacerdotem*: Respõdet; *Aliquẽ posse aliquid facere dupliciter, aut propria auctoritate, aut alterius; quando agit propria auctoritate, tunc requiri, vt sit iustus; quando autem agit auctoritate alterius, hoc est*, Christi, *vt fit, dum sacerdos benedicit non referre, iustus sit an non, Christum enim esse, qui in ipso benedicit; & sic, sine vlla contradictione eum, qui benedicit, maiorem esse.* Paulò pòst eandem responsionem repetit; cum enim dixisset, nec ab Episcopo consecrari Papam; nec Archiepiscopum à suffraganeis, *sed hunc hominem, vt sit Papa vel Archiepiscopus*: subiungit. *Facit hoc, vt minister Dei, qui maior est quàm Papa.* Quæ doctrina ad omnes omnino benedictiones, etiam priuatas, quas homines hominibus impertire solent extendi potest, & ita generatim absq; vlla controuersia & contradictione, minor à maiore benedicitur.

Ribera in c. 7. Epist. ad Hebr.

Psalm. 15.

Durand. lib. 4. c. 59.

S. Thom. lect. 2. in cap. 7. ad Hebr.

CAPVT

CAPVT VIII.

Benedictionis dandæ & accipiendæ facultas nonnullis in pœnam ablata est: Et num hæc potestas mulieribus competat.

Can. 27. PRimum liquet ex S. Basilio ad Amphilochium. *De Presbytero, inquit, qui per ignorantiam nefariis nuptiis implicatus est, definiui, quòd oporteat quidem Cathedræ esse participem, hoc est, vt sedeat cum aliis Presbyteris à reliquis autem actionibus abstinere: ei enim sufficit venia. Vt is autem aliis benedicat, qui sua debet negotia curare, non est consentaneum; benedictio enim est sanctificationis communicatio. Qui autem eam non habet propter ignorantiæ lapsum, quomodo aliis communicabit? Nec ergo publicè, nec priuatim benedicat, nec Christi corpus aliis impertiat, &c.*

Obserua, cum dicit S. Basilius; *eum, qui non habet sanctitatem, non posse dare sanctitatem;* id intelligi de eo, qui agit, vt priuata persona; non de eo, qui agit loco & auctoritate Dei, quemadmodum capite superiore ex S. Thoma explicatum est. Priore modo considerauit S. Basilius sacerdotem lapsum; non posteriore; neque enim nesciebat sanctus iste Pater, sacramenta & *sacramentalia* etiam à malis ministris, vt Dei vice funguntur, fructuosè, ritè ac validè conferri posse: *Dei enim est effectum tribuere benedictionis*, vt ex libro Quæstionum veteris Testamenti refert Gratianus.

Apud Balsamonem in Canones Conciliorũ quæsierunt Monachi nonnulli; *An liceat Sacerdoti, qui propter crimen est depositus, vel qui sacerdotium sua sponte deposuit præfari illud:* Benedictus Deus; *& hoc;* Deus miserere nostri. Responsum est à Synodo, id non licere; quòd *talis sacerdos in ordinem Laicorũ redactus sit.* Sed hoc propriè nihil ad benedictiones. Nam ποιεῖν εὐλογητὸν, est dicere illud: εὐλογητὸς ὁ θεὸς ἡμῶν νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. *Benedictus Deus nunc & semper, & in sæcula sæculorum.* A qua laudatione Græci suas preces auspicabantur, vt in Commentariolo ad Cnapticam Epistolã Fullonis Rediuiui ostendi: videnturq; Græci hæc verba præfari soliti etiam in priuatorũ congressuum exordio; quemadmodum olim, teste S. Augustino in Psal. 132. Fratres seu Monachi viso fratre, dicebant, *Deo gratias:* quos subsannabãt Donatistæ, quæritantes: *Quid est Deo gratias? Itáne surdus es,* inquit S. Augustin. *vt nescias quid sit Deo gratias? Qui dicit, Deo gratias, gratias agit Deo.*

Inter opera D. Basilij exstat quædam formula pœnarum, quibus delinquentes Ascetæ seu Monachi castigabantur. Præter excommunicationem frequentissimè occurrit: *γενέσθω ἀπευλογίας*: *Qui hoc vel illud fecerit, priuetur benedictione.* Quanquam eulogia seu benedictio fortassis hic pro pane benedicto vsurpatur; cuius, vt suo loco dicetur, creber vsus apud Græcos. Fortè etiam illud, *ἀπευλογίας* disiunctim legendum; *ἀπ' εὐλογίας, ab eulogia seu benedictione separetur.* *1 Q 6.c.96 dictum est a Deo.*

Sciscitati sunt iam olim supra dicti Monachi prope Constantinopolim degentes, quid S. Basilius intellexerit; cùm dixit: *A benedictione alienus sit pro lapsus proportione*: Respondit Synodus Cōstantinopolitana sub Nicolao Patriarcha. *Priuari aliquem benedictione, quæ datur in Ecclesia.* Addit Theodorus Balsamon: *Benedictiones Ecclesiasticæ sunt omnia quæ fiunt, vel dantur ab Episcopis vel sacerdotibus in Ecclesiis ad preces & stabilimentum fidelis populi. Vnusquisque ergo pro sui lapsus proportione, Ecclesiastica benedictione priuetur.*

In Ecclesia Catholica monstri simile iudicaretur, si mulieres solennem benedictionem darent; etiam illæ, quæ diuino cultui adscriptæ sunt. *Diaconissa non benedicit*, ait Clemens Romanus, *neq; facit aliquid eorum, quæ Presbyteri & Diaconi faciunt, nisi quod ianuas custodit, & presbyteris ministrat, cum mulieres baptizantur, idque propter decorum & honestatem.* Diaconissas benedictionem cum cæteris laicis accipere statuit Concilium Arausicanum I. hoc Canone: *Diaconissæ omnimodè non ordinandæ. Si quæ iam sunt; benedictioni, quæ populo impenditur capita submittant.* *Clem. lib. 8. cap. 28.*

Temporibus Caroli Magni abusus irrepserat, vt Abbatissæ benedicendi munus sibi vendicarent; cui tollendo hac lege obuiam iuit Carolus Magnus. *Auditum est aliquas Abbatissas contra morem sanctæ Dei Ecclesiæ benedictiones cum manus impositione & signaculo sanctæ Crucis super capita virorum dare. Nec non & velare virgines cum benedictione sacerdotali: Quod omnino vos sanctissimi Patres in vestris parochiis interdicendum esse scitote.* Longius adhuc progressæ sunt Græcanicæ quædam Abbatissæ, confessiones suarum Monialium excipere volentes. Quæsiuit ex Balsamone Marcus Patriarcha Alexandrinus, an hoc liceret: Respondit Balsamon, nullo modo id licere; cum solis sacerdotibus potestas hæc con- *Lib. 1. leg. Franc. cap. 76.* *Tom. 1. Iuris Græcoromani.*

cessa sit; ita vt ne viris quidem monasteriorum præpositis competat, si sacris Ordinibus non sint initiati. Multò igitur minus mulieri Antistitæ; Κἂν ἡ ἀρετὴ αὐτῆς λάμπῃ ὑπὲρ τὸν ἥλιον, *quamuis virtus eius plusquam sol resplendeat.*

Verùm his omissis, si quæ fœmina sanctitatis opinione admodum memorabilis ac commendabilis esset; benedictionem ab illa tam viri, quàm fœminæ non immeritò petere possent. Nec desunt huius rei exempla; nam S. Hildegardis quendam caduco morbo laborantem, *salubri benedictione consignans*, à tanto malo liberum ac immunem reddidit.

In Vita S. Hildegardi. Tom. 5. Surij.

S. Lioba manus impositione, hoc est, benedictione ægrum iam iam animam editurum, ad vitam simul & sanitatem reuocauit. S. Godeberta manus impositione, & impresso sacrosanctæ Crucis signaculo, cœco lumen reddidit. S. Brigida virgo ex veteri Scotia, hoc est, Hibernia, manus suæ attactu mutæ loquẽdi facultatem restituit; Eademq; caninam cuiusdam famem seu bulimiam benedictione sua depulit; vt refert Cogitosus in Actis S. Brigidæ. In alia vitæ eius historia, quæ tomo primo Suriano inserta est; cõmemoratur S. Brigidam benedictione sua illuminasse cœcos oculos Dariæ Virginis; mutiq; pueri linguam, eiusdem benedictionis interuentu, soluisse, & ad verba formanda aptam effecisse. Similia multa exempla à sanctis mulierib⁹ seu solo verbo, seu addito Crucis signaculo, aut oleo benedicto, aut alia quapiam huius generis re sacra; reperire est in Sanctorum historiis: Et quædam suis locis infrà percensebuntur.

Tom. 5. Surij.

Tom. 7. Surij.

CAPVT IX.

Quanti olim benedictiones æstimatæ.

DE publicis benedictionibus hucusque actum est. Nunc venio ad priuatas; quas expetunt à viris vel ratione status & ordinis; vel ratione sanctimoniæ excellentibus, vel quæ etiam priuatim humana in vita dantur & exercentur; neq; enim sine mutuis benedictionibus Christiana charitas & conuersatio subsistere potest; quarum quiuis eò est amantior, quò salutis suæ cupidior. De S. Antonio D. Athanasius.

Omnes

Omnes Clericos, vsque ad vltimum gradum ante se orare compellens, Episcopis quoq; atq; presbyteris, quasi humilitatis discipulas, ad benedicendum se caput submittebat.

Cum S. Epiphanius Episcopus Salaminæ Cypri Hierosolymis versaretur: *Omnis ætatis & sexus turba confluebat, offerens paruulos,* (ad benedictionem) *pedes deosculans, fimbrias vellens, ita vt gradum promouere non valens, in vno loco vix fluctus vndantis populi sustineret.*

Auctor Operis Imperfecti in illud Matth. 19. *Tunc oblati sunt ei paruuli, vt manus eis imponeret, & oraret;* ita scribit. *Præsens locus instruit omnes parentes, vt filios suos indesinenter sacerdotibus offerant, quia si sacerdotibus offerunt, offerunt Christo: non enim Sacerdos manus imponit, sed Christus, in cuius nomine manus imponitur. Si enim ille, qui escas suas per orationem non offert Deo,* (hoc est, si is, qui, vt vulgò loquimur, non facit benedicite) *coinquinatas illas manducat, secundum quod de illis ait Apostolus; Quoniam omnis creatura Dei bona est, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur;* 1. Tim. 4. Sanctificatur enim per orationem & verbum Dei. Dicens enim: *Sanctificatur per verbum Dei & orationem; ostendit, quia maculata est, nisi per orationem fuerit omnis esca mundata & sanctificata; quanto magis pueros offerri Deo & sanctificari necesse est. Causa autem sanctificandarum escarum hæc est, quoniam mundus totus in maligno positus est. Ergo & omnis res corporalis, quoniam mundi est pars, in maligno est posita: Et ipsum oportet propterea sanctificari, consequenter & infantes, quando nascuntur, & ipsi, quantum ad carnem in maligno positi sunt; quoniam & omnis caro, tanquam pars mundi, in maligno posita est. Propterea necesse est offerri pueros, vt assiduè super eos oratio fiat: quoniam escam semel sanctificari necesse est; manducamus enim, & transit; hominem autem, quem indesinenter aduersarius persequitur & sordidat, semper sanctificari necesse est,* nimirum per benedictionem. Hæc incognitus ille Auctor; qui cum cibos *maculatos* ait, ne Manichæismo afflatum credas; nam *maculatos* dicit, quia in *maligno* positi sunt, hoc est, in loco Diabolicis insidiis exposito, vbi facilè infici possunt; & ne inficiantur, benedictione præcauendum est; aut si infecti sunt; benedictione omnes Cacodæmonis tendiculæ pellendæ sunt. Si igitur cibi, quoties sumuntur, toties benedicun-

tur, inquit iste Auctor; qui tamen non durant, sed mox absumuntur; quanto magis paruuli tot laqueis dæmonum expositi, sæpius benedictione muniuntur, & vt in *maligno* collocati, nullum detrimentum accipiant, quasi vallo quodam benedictionis circumsepiuntur? Ex quibus omnibus intelligis, quanti scriptor iste, quisquis fuit, benedictiones paruulis impertitas fecerit.

Beda lib. 3. Hist. Eccles. cap. 26. Venerabilis Beda: *In magna erat veneratione tempore illo religionis habitus, ita vt vbicunq; Clericus aliquis, aut Monachus adueniret, gaudenter ab omnibus, tanquam Dei famulus exciperetur, & si in itinere pergens inueniretur, accurrebant, & flexa ceruice, vel manu signari, vel ore illius se benedici gaudebant; verbis quoq; horum exhortatoriis diligenter auditum præbebant.*

Tom. 1. Sur. 19. In Vita S. Porphyrij hæc Marcus Gazensis: *Eudoxia, Arcadij Imperatoris vxor, nos accersit; & nobis occurrit in porta cubiculi, portans infantem* (Theodosium Iuniorem) *in purpura. Inclinauit vero caput, dicens; Benedicite patres mihi & filio quem donauit Dominus per sanctas vestras preces. Infantem quoq; tradidit, vt ipsum signarent, sancti autem Episcopi, & ipsam & infantem signarunt signo Crucis.*

Eadem Eudoxia, cum ante partum à duobus Episcopis inuiseretur, his verbis eos prior salutauit: *Benedicite Patres, &c. propter Dominum orate pro me, vt quod est in vtero, in lucem edam cum Dei benignitate. Episcopi dixerunt; Qui benedixit vterum Saræ, Rebeccæ & Elisabeth, benedicat & viuificet id, quod est in tuo ventre;* vt scribit idem Marcus Gazensis. Reuersum ab exilio S. Chrysostomum, *Sozom. lib. 8. cap. 18.* populus in cathedra Episcopali sedere, & benedictionem dare compulit; teste Sozomeno.

Iustiniano Imperatori benedixit S. Sabas; cum autem rogaret, vt sua itidem coniunx Theodora benedictionis particeps fieret; ipsaq; adeo Theodora vehementer instaret, vt per preces & benedictionem suam filium sibi à Deo impetraret; S. Sabas, benedictionem quidem dedit, sed non quam illa optabat, in liberorum procreatione positam; sed tantùm, vt *Sospes & salua esset eius potentia.* Rogatus, cur benedicere & precari noluerit, vt Theodora sterilitate liberaretur; respondit: *Deus non sinet aliquem fructũ ex ea edi, ne ipse quoq; gustet Seueri dogmata, & deteriores quàm prius sub Anastasio tumultus conturbent Dei Ecclesiam.* Erat enim Theodora sectæ Acephalorum addictissima.

De

De Aphraate Eremita Theodoretus. *Eum ego vidi, & sanctæ illius dexteræ percepi benedictionem, cum essem quidem adhuc adolescens, matri autem me adiunxissem, comitem ad illum profectionis. Et cum pro more quidem ianuam aperuisset, illam & suo sermone dignatus est & benedictione: me autem intromissum, impertijt opibus deprecationis.*

Theod. in Histor. Religiosa.

De Petro Eremita idem Theodoretus. *Vir ille diuinus* (Petrus) *sæpe me* (puerulum) *genibus impositum vua aluit & pane: nam cum mater fecisset periculum spiritalis eius gratiæ, iussit me semel in hebdomade decerpere illius benedictionem.* In fine narrationis de Petro idem Auctor: *Ego, cuius dum adhuc esset superstes, percepi benedictionem, ea vt nunc quoq; fruar, precor.*

Cum Theodoretus Zenonem Eremitam inuisisset, iamq; reditum pararet, petijt ab illo *benedictionis viaticum.* Theodoretus de Macedonio Eremita: *Ego eius benedictionem & doctrinam sæpe percepi.* Idem de Zebina seu Polychronio. *Scio me sæpe venisse* (ad Zebinam) *& benedictionem petijsse.* Cum Iulianus sociis comitatus ex Eremo Antiochiam tenderet, *Diues quædam mulier, cum sacrum monachorum audisset venire, cucurrit, vt perciperet eorum benedictionem: & ad eorum pedes prouoluta, rogabat, vt sua domus esset eorum diuersorium. Concessit senex: &c. cum autem admirabilis illa mulier esset in sacris illis viris ministrando occupata, puer septem annos natus, cuius illa erat mater, &c. cecidit in puteum. Cum autem ex eo ortus esset tumultus, mater autem sensisset: iubet quidem omnes quiescere, puteoq; operculo imposito, instabat ministerio. Mensâ verò viris diuinis appositâ, diuinus senex iussit vocari puerum mulieris, & accipere benedictionẽ. Cum autem admirabilis mulier diceret, eum malè habere: perstitit iubere, vt is adduceretur. Postquam ei id, quod accidisset, mulier significauit, mensam quidem relinquit senex, accurrit autem ad puteum, & cum auferri operculum, afferri vero lumen iussisset, videt puerum sedentem super aquæ superficiem: & aquam manu pueriliter pulsantem, & qui reputatus fuerat interitus, eum ludum putantem. Et cum quosdam funes iniecissent, & eos dimisissent, puerum extraxerunt; & statim accurrit ille ad pedes senis, dicens, se eum vidisse in aquis ipsum ferentem, & ne mergeretur, prohibentem. Hanc hospitalitatis mercedem recepit mulier a sancto sene.*

Theod. in Zenone.

Theod. in Iuliano.

Cum S. Fulgentius, Episcopus Ruspensis in Africa ab exilio redux, Carthaginem venisset, *immensus* exstitit *clamor,* altercantib'

In Vita S. Fulgent. Tom. 1. Surij.

omnibus, quis *primus salutaret agnoscendus, quis benedicenti capue subponeret, &c. Postquam verò domos omnium diligentium se visitauit, benedixit, &c. valefaciens fratribus, egressus est de Carthagine, &c.*

Classi, quam Iustinianus Imp. contra Vandalos in Africam misit benedictionem dedit Epiphanius Episcopus Constantinopolitanus: Et quidem *de more*, vt ait Procopius. Ex quo intelligas, solemne fuisse, vt classibus in hostem euntibus benedictio impenderetur.

Procop. lib. 1. de bello Vandal.

Turbæ ad se venienti, & energumenum adducẽti, S. Hilarion *manu benedixit*, exprimens, sine dubio, signaculum sanctæ Crucis.

S. Hieron. in Vita S. Hilarionis.

Ad S. Theodorum Archimandritam Sicæorum; *multæ turbe concurrebant, vt benedictionem susciperent.* Eundem S. Theodorum Constantinopolim aduocarunt Mauricius Imperator, Cyriacus Patriarcha, & Principes, *vt eis benediceret.* Quod & fecit.

Tom. 2. Surij.

Ioannes Abbas, de quo Palladius, *per fenestram benedicebat, & salutabat eos, qui accedebant.*

Pallad. Lausiac. Hist. cap. 39

Venit S. Columbanus *ad Vulciacum villam, supra Matronam fluuium sitam; vbi ab Authario exceptus est, cuius coniunx Aiga dicebatur, erantq; illis filij, etiamnum infantes, quos mater ad benedicendum viro Dei obtulit. Videns ille matris fidem infantulos sua benedictione sacrauit. Tanta autẽ fuit in viro Dei gratia, vt quibuscunq; benedixisset, in boni operis perseuerantia supremum vitæ diem clauderent.*

Vita S. Columbani Tom. 6. cap. 28. Surij.

Ad S. Theodorum Sicæotam venit Georgius Cappadox, qui vinctus ad Imperatorem trahebatur; & custodes eius; vt *benedictionem* à viro sancto *acciperent.*

De Columbæ Abbatis Scoti, hoc est, Hiberni, Sanctimonia, tanta erat existimatio hominum, vt etiam xenia & varia munuscula in plateis exponerent; vt ea transiturus benediceret, teste Adamanno, *sancto aduenienti viro*, inquit, *xenia populi multa in plateis Monasterij strata benedicenda assignantur, quæ cum benedicens aspiceret, xenium alicuius opulenti viri, specialiter demonstrans virum, ait: cuius est hoc xenium? Pro misericordiis pauperum & eius largitione, Dei comitatur misericordia. Itemque aliud discernit, inter alia multa, xenium: inquiens; de hoc xenio viri sapientis & auari nullo modo gustare possum, nisi prius veram de peccato auaritiæ pœnitudinem egerit, Quod verbum citò in turba diuulgatum audiens, accurrit Columbus filius Aidi, conscius, & veram sancto flexis genibus pœnitentiam agit, & de cætero*

Adaman. lib. 1. de Vita S. Columba.

de cætero auaritiæ abrenunciaturum se promittit, & largitatem cum morum emendatione consecuturam: Et iussus à sancto surgere, ex illa hora est sanatus de vitio tenacitatis.

Domnallus, filius Aido Regis, *adhuc puer* ad S. Columbam per nutritores adductus est, vt eius benedictione ditatus rediret: *Quem cum sanctus benedixisset, continuò ait: Hic super omnes fratres suos superstes erit, & Rex valde famosus, nec vnquam in manus inimicorum tradetur.* *Adaman. loc. cit.*

Etiam à Sanctis vita iam functis benedictionem aliquando petitam & impetratam legimus. Ita enim Florentius Wigorniensis in Chronico. *Quidam religiosissimus Fuldensis cœnobij Monachus, nomine VVilhelmus, supradictum Animchadum* (Monachum Hibernum) *iam sepultum rogauit, vt benediceret. Atque sicut postea mihi confirmauit, eadem nocte per visum videt Animchadum, in sepulchro suo stantem, nimio fulgore nitentem, & extensa manu se benedicentem.*

Mater S. Stephani Iunioris, qui pro defensione sacrarum imaginum Martyrium subijt; cum infantem adhuc in vtero ferret, eum à S. Germano Patriarcha Constantinopolitano benedici voluit. Transeunti enim Patriarchæ acclamabat: *Benedic Domine, id, quod in vtero meo est.* Et ille: *Benedicat hunc Dominus per primi Martyris* (Stephani) *intercessiones.* *Vita S. Stephani inter opera S. Damasceni.*

Iustinum Iuniorem Imperatorem benedixit Ioannes Patriarcha Constantinopolitanus. Corippus.

Pontificum summus plenaq; ætate venustus
Adstantem benedixit eum, cœliq; parentem
Exorans Dominum sacro diademate iussit
Augustum vincire caput, &c.

De S. Antonino Archiepiscopo Florentiæ Auctor, qui vitam eius literis mandauit. *Ad transeuntem magna vis populi egressa, domibus currebat, vt noui Antistitis, cuius iam sanctitatis maior tunc fama volitauerat, benedictione muniretur; ad quam, posito genu, & iunctis manibus, ardentius, quàm si Romanus Pontifex illuc præteriret, inhiabat.* *Tom. 3. Surij.*

CAPVT

CAPVT XII.

Ipsos infideles Benedictionem sanctorum virorum maximi muneris loco habuisse, eandemque etiam brutis animantibus datam.

DOcent hoc exempla duorum sanctissimorum virorum S. Hilarionis, & S. Simeonis Stylitæ, prodita à duobus grauissimis & doctissimis Auctoribus Hieronymo & Theodoreto, quorum ille de Saracenis ad S Hilarioné, benedictionis causa, confluentibus: *Peruenerat S. Hilarion Elusam, eo fortè die, quo anniuersaria solennitas omnem oppidi populum in Templum Veneris congregauerat; colunt autem illum ob Luciferum, cuius cultu Saracenorum natio dedita est: sed & ipsum oppidum ex magna parte semibarbarum est propter loci situm. Igitur audito, quod S. Hilarion præteriret (multos enim Saracenorum arreptos à Dæmone frequenter curauerat) gregatim ei, cum vxoribus & liberis, obuiam processere, submittentes colla, & voce Syra* Barach, *id est, benedic, inclamantes. Quos ille blandè humiliterq; suscipiens, obsecrabat, vt Deum magis, quàm lapides colerent, simulq; vbertim flebat, cœlum spectans, & pollicens, si Christo crederent, ad eos se crebro esse venturum. Mira Domini gratia; non prius abire passi sunt, quàm futuræ Ecclesiæ lineam mitteret, & Sacerdos eorum, vt erat coronatus, Christi signo denotaretur.*

S. Hieron. in Vita S. Hilarionis.

De Simeone Stylita Theodoretus. *Ismaëlitarum* (quos S Hieronymus Saracenos vocat) *millia innumerabilia, quæ impietatis seruiebant caligini, illa in columna illuminauit statio: nam veluti super candelabrum aliquod posita hæc lucerna lucidissma, solis instar, emisit circumquaq; radios; & est, vt dixi, videre Iberas venientes & Persas, & Armenios, & diuinum baptismum accipientes. Ismaëlitæ autem turmatim venientes, ducenti simul & trecenti, & nonnunquam etiam mille, errorem quidem patrium negant cum clamore. Quæ autem illi coluerunt simulachra, ante magnum illud lumen conterentes, & Veneris Orgia renuntiantes, ab alto enim repertis temporibus acceperant cultum huius Dæmonis* (vt paulò ante etiam ex S. Hieronymo audiuimus) *diuina percipiunt sacramenta, leges accipientes à diuina illa lingua, & patrios ritus valere iubentes, asinorumq; agrestium & camelorum esum abnegantes.*

Theod. in Histor. Religiosa.

gantes. Eosque ego & vidi, & audiui, & patriam impietatem penitus abnegantes, & doctrinæ Euangelicæ assentientes. Semel autem maximũ adij periculum. Ipse enim (Simeon) *eis dixit, vt ad me accederent, & sacerdotalem acciperent benedictionem; dicens, fore, vt magnum hinc fructum perciperent. Cum illi paulò magis barbaricè concurrissent, alij quidem antè trahebant, alij verò ponè; alij ex obliquo. Qui aliis aberant longius, irruentes & manus protendentes, alij quidem barbam vellebant, alij verò vestes apprehendebant, & à vehementiore illorum aditu fuissem suffocatus, nisi ille clamorem edens, omnes dispersisset.* Hæc Theodoretus.

Ex quibus manifestè apparet, quanti benedictionem Ismaëlitæ fecerint. Subiungit porrò idem Scriptor exemplum satis festiuum de Ismaëlitis. *Obsecrabat vna tribus* (Ismaëlitarum) *diuinum hominem* (Simeonem) *vt deprecationem quandam & benedictionem emitteret suæ tribus præfecto. Alia autem, quæ aderat, tribus contradicebat, dicens, non oportere illi emitti benedictionem, sed ei, qui præest suæ tribui: illum enim esse iustißimum; hunc verò alienum à iustitia. Cum autem inter eos magna fuisset contentio, & barbarica decertatio, tandem in se inuicem irruerunt. Ego autem prolixa vsus oratione, suadebam, vt quiescerent, vtpote quòd vir diuinus sufficeret ad dandam & huic & illi benedictionem. Sed hi quoque dicebant; non oportere illum hanc assequi, & illi ea alterum priuare conabantur. Cum eis autem desuper esset minatus, & eos canes vocasset, vix sedauit contentionem. Hæc dixi, volens ostendere, quanta esset eorum animi fides. Non enim sic inter se insaniissent, nisi diuini viri benedictionem credidissent maximam habere virtutem.*

Scribit idem Theodoretus precibus B. Simeonis Ismaëlitarũ Reginam, depulsa sterilitate, qua laborabat, matrem factam, natumque filium ad Simeonem misisse, *vt eius benedictionem consequeretur.*

De S. Seuerino Noricorum Apostolo ita Eugippius. *Quidam barbari, dum ad Italiam pergerent, promerendæ benedictionis ad eum intuitu diuerterunt; inter quos & Odoacer, qui postea regnauit Italiæ, vilißimo tunc habitu, iuuenis statura procerus aduenerat, &c.* Cum sanctus Chrysostomus ad Gainam Romani Imperij inuasorem, venisset, adeo viri sancti conspectu, efferatus Barbari animus emollitus est; vt ei longius, honoris caussa, obuiam processerit, & dexteram *eius oculis admouerit,* (vtique benedictionis caussa) *& osculatus sit, liberosque suos adductos sacris illius genibus adhibuerit;* vt scribit Nicephorus.

Eugipp. in vita S. Seuer. cap. 7.

Niceph. lib. 13. cap. 6.

Quin & ipsa bruta animalia à benedictionis beneficio interdum se excludi noluerunt. Testantur id duo illi Leones qui sancto Paulo Eremitæ sepulchrum vnguibus suis effoderant; qui quasi mercedem pro opere, ceruice deiecta, flagitantes, *ad Antonium perrexerunt, manus eius pedesque lingentes. At ille animaduertit, ben dictionem eos à se precari. Nec mora, in laudationem Christi effusus, quod muta quoque animalia Deum esse sentirent, ait: Domine sine cuius nutu nec folium arboris defluit, nec vnus passerum ad terram cadit, da illis, sicut tu scis.*

S. Hier. in vita sancti Pauli.

De S. Cuthberto Episcopo Lindisfarnensi Beda in eius vita. *Cœpit in litore flexis genibus orare, quod dum ageret, venerunt continuò duo de profundo maris quadrupedia, quæ vulgo Lutræ vocantur. Hæc ante illum strata in arena anhelitu suo pedes eius fouere cœperunt, ac villo satagebant extergere, completoque ministerio, percepta ab eo benedictione, patrias sunt relapsa sub vndas.*

Cap. 10.

Etiam à B. Theodoro brutis benedictio impertita est: nam, vt in eius vita scribitur, *animalia fera mansuetè cum ipso versabantur, & multa ab eo in homines fiebant miracula. Ex quo enim in ferrea cellula se incluserat, terribilis vrsa per triennium ad eum accedebat continuè, acceptaq; de manu eius benedictione, neminem lædens discedebat. Lupus item ad ostium cauernæ, in qua sanctus erat inclusus, cum accessisset, illic exspectabat. Quamobrem egressus minister eius Marinus, visa repente fera, pertimuit, & intrò rediens, rem Sancto significauit. At ille cum grauitate subridens, ne verearis, inquit, homo timide; neque enim venit, vt iniuriam faceret, sed vt ipsi cibus subministraretur. Da igitur ei aliquid, frater, vt non solùm in homines, verum etiam in feras mandatum illud Dei;* Omni poscenti te tribue; *expleatur. Accepit igitur Minister panis frustum & poma, ex quibus solebat Sanctus cum benedictione aliquid poscentibus impertiri, exiitque, & poma tantùm obiecit feræ, eam propellens. Quæ cum obiecta comedisset, rursum stabat, & non discedebat, tanquam aliquid aliud exspectaret. Tunc ei panis etiam frustum obiecit. Quo accepto, statim discessit.* Ne credideris hæc munera lupo sine benedictione S. Theodori oblata; quandoquidem ex eorum numero erant, quæ non nisi cum benedictione vir sanctus elargiri solebat.

Tom. 2. Surij. P. 736.

CAPVT

CAPVT XI.

Valedicentes, abeuntes, redeuntes cum benedictione dimissi, aut recepti.

DIgressurus S. Augustinus ab ægro amico, quē aliis comitatus inuiserat, reperto ibidem Saturnino, Episcopo Vzalensi; *Accepta*, inquit, *benedictione ab Episcopo discessimus.*

S. August. lib. 22. de Ciuit. Dei, cap. 8. non procul ab initio.

Nectarius Constantinopoli Tarsum in Patriam iturus, venit ad Diodorum Tarsi Episcopum, *vt ab eo, sub cuius scilicet Episcopatu censebatur, cum precatione benedictionem acciperet.*

Niceph. lib. 12. Histor. Eccles. c. 12.

S. Isidorus in Regula Monachorum. *Quando fratres foras proficiscuntur, vel redeunt, congregatis omnibus in Ecclesia, benedictionem accipiant.* Huc sine dubio spectat, quod est in Regula S. Benedicti: *Dirigendi fratres in via omnium fratrum, & Abbatis orationi se commendent*; accepta nimirum benedictione, præsertim ab Abbate. Præcipit idem S. Benedictus, vt *vbicunq; sibi obuiant fratres, iunior à Priore benedictionem petat.*

Cap. 23.
Cap. 67.
Cap. 63.

Accusati fuerant Monachi Cluniacenses, quasi in hoc capite à Regula S. Benedicti deflecterent: quia obuij benedictionem, solo nutu absq; vllo prolato sermone, interdum petebant. Respondit venerabilis Petrus Abbas in Epistola vel potius Apologia ad S. Bernardum. *Vbicunq; sibi obuiant fratres, iunior à priore benedictionem petit, Benedicite, dicendo si extra regularia loca fuerit, & humiliter inclinando; sed nihil ore proferendo, si infra officinas regulares sibi occurrerint. Quod si semper loquendo hanc peti debere dicitis, videant discreti, vtrum superfluæ locutioni vtile silentium imponi, an supponi debeat. Superfluam vero idcirco dicimus, quia ad id, quod æquè bene silentio potest fieri, linguam non esse necessariam, & ideo superfluum existimamus: maximè cum nullius sermonis propter hanc salutationem proferendi in Regula facta fuerit mentio.*

Lib. 1. epist. 48.

Fratres ad Monasterij ædificationem abituros benedictione muniuit S. Benedictus.

S. Gregor. lib. 2. Dialog. cap. 22.

Redeuntes quidam fratres inde, quò à S. Benedicto missi fuerant, *benedictionem Patris ex more petierunt.*

S. Greg. lib. 2. Dialog. cap. 12.

S. Theodorus Sicæorum Archimandrita cum Mennæ, viro claro, & *vxori eius, & omnibus domesticis benedixisset, discessit.*

Tom. 2. Surij, cap. 56.

Sophronius in Prato Spirituali. *Ptolemais Ciuitas est Phœnicis.*

In hac vicus est, qui dicitur Caparasma. In eo vico senex quidam erat magnus, habebatque discipulum Ioannem nomine, & ipsum magnum singularisque obedientiæ. Quadam ergo die misit senex discipulum suum in ministerium, dans ei & modicos panes pro victu suo. Profectus est autem discipulus, & completo ministerio rediit, retulitque panes. Videns autem senior panes, ait ei: Fili, quare non comedisti panes, quos dedi tibi. Prostratus ille coram sene dixit ei: Ignosce mihi Pater: quia non benedixisti mihi cum mitteres me, vt cibum sumerem; idcirco non sumpsi. Admiratusque senex discretionem fratris, benedixit eum.

Cum Theodorus Discipulus S. Ioannis Silentiarij Seuerianũ quendam hæreticum, ad sanctum virum adduxisset, *fenestrisque ex more pulsatis, benedic nos Pater;* inclamasset: *senex aperiens dicit discipulo: Tibi quidem benedico; hic autem nõ est benedictus. Cum autem diceret discipulus: Non sic, O Pater. Respondit senex; reuera ei non benedicam, donec à mala Schismaticorum sententia destiterit, & se Catholicæ Ecclesiæ confessus fuerit communicare. Hæc cum ille audisset, obstupuit senis efficacem gratiam, & miraculo mutatus, certò est pollicitus* se communicaturum Catholicæ Ecclesiæ. Tunc *senex, cum ei benedixisset, & eum erexisset, primus ei intemerata impertiit sacramenta, abstersa ex eius corde omni dubitatione.*

Extant inter Opera S. Basilij.

Inter pœnas delinquentibus Ascetis seu Monachis decretas, hæc primum locum obtinet: *Si quis egrediatur de Monasterio, non accepta benedictione, aut nõ dimissus ab Archimandrita, sit excõmunicatus.*

S. Theodorus Sicæorum Archimandrita mulierem abs se, expulso Dæmone, curatam, cum benedictione dimisit. Ab eodem Sancto Mauricius, (qui postea Imperator) cum sociis, *accepta benedictione, lætus discessit.* S. Cuthbertus fratres cum benedictione dimittit.

Beda in vita S. Cuthberti, c. 36.

Inter cætera, quæ Agrestius seu Agrestinus Pseudomonachus S. Columbano eiusq; discipulis obiiciebat, hoc etiam vnum erat, *quòd in ingressu cuiuslibet domicilij intra Cœnobium, tam ab introeuntis, quàm egredientε bendictio postularetur.* Ex qua calumniatoris accusatione bonus mos benedictionis frequenter petendæ elucet.

Memorabile est, quod Climacus memoriæ prodidit de Menna Monacho quodam, *cuius insignem patientiam pater Monasterij aliquando probare volens, reuersum ad Monasterium prostratumq; Abbati, & benedictionem secundum consuetudinem suscipere orantem, a vespera vsque ad collectæ horam, ita illum humi iacere prostratum permisit.*

Tunc verò iam illum benedicens, & veluti ostentationis gratia cuncta facientem, ac vt impatientissimum obiurgans, erexit tandem. Sciebat enim Sanctus, quàm id fortiter ferret. Quocirca & istud ad cunctorum ædificationem spectaculum edidit. Ex his habes & morem, de quo hic agimus; & eximium patientiæ documentum.

Berachus Monachus ad Æthicam Insulã nauigare instituens, ad S. Columbam Abbatem Scotum *accessit, & ab eo benedici postulauit: qui accepta à sancto benedictione secessit, nauimque ascendit:* Idem factum ab alio discipulo Baithenio; qui cum in cursu nauigationis in grandissimum cetum incidisset, *perterritis omnibus*, ipse solus æquor & *cetum, ambabus manibus eleuatis, benedicit intrepidus; eodemque momento bellua magna se sub fluctibus immergens, nusquam deinceps est apparuit.* S. Fintanus accepta à B. Batheno benedictione, in Scotiam, hoc est, in Hiberniam, nauigauit, vt refert idem Adamanus. *Adamann. lib. 1. de vita S. Columba.* *Adam. li. 1.*

Magno stetit Waltberto Comiti, absque benedictione S. Bertini Abbatis discessisse. Accipe historiam ex vita S. Bertini. *Vir pius Waltbertus crebrò ad Bertinum ventitabat, vt ex eo diuina præcepta cognosceret, & post Corporis & Sanguinis Dominici communionem, sacri oris eius benedictione potiretur. Quodam autem die veniens ad Ecclesiam, in qua beatus Audomarus quiescit, cum preces absoluisset, quadam re necessaria vrgente, ad B. Bertinum non accessit, sed incautus domum abiit. Id vbi animaduertit viri Dei Discipulus Dodo, ait ad eum: Equidem valde, venerabilis Pater, admiror, quod tuus in Christo fidelis amicus VValtbertus ad beati Audomari Basilicam venit, & tamen te insalutato, absq; benedictione tua recessit. B. Bertinus plenus prophetico spiritu respondit: Fili, crede mihi, priusquam ille domum redeat, quo nunc magna contentione festinat, multum dolebit, se sine nostra benedictione reuertisse. Et ecce eadem die, cum iam sol occubuisset, nũcius velox à VValtberto venit ad hominem Dei, eiusq; vestigiis aduolutus, tremula voce ait: Dominus VValtbertus, singularis amicus tuus, cum ipsa iam fermè morte colluctans, obnixè rogat, vt pro se Deum depreceris, quò possit tam præsens discrimen euadere. Cum enim hodie à Basilica S. Audomari properè abscederet, in medio itinere subito ex equo collabens, in petrosam humum decidit, multisq; quassatus membris, & femore penitus confracto, se confestim putat moriturum, nisi precibus tuis, quod fore sperat, diuinitus liberetur. Agnoscit autem idcirco in hoc se coniectum discrimen, quòd callidi hostis machinatione, ob rem necessariam hinc, non munitus benedictione tua, abierit. Cu-* *Tom. 5. Surij.*

ius etiam delicti veniam petit, oratque, vt potum, tuo ore & manibus benedictum & consignatum, ad eum mittere ne grauerit.

His auditis, venerabilis senex, commotus tàm acerbo casu amici, præcipit Dodoni discipulo, vt vinum in sacrario repositum proferat, laboranti VValtberto ocyus mittendum. Ille verò respondit; mensis totus, vt reor, Pater beatissime, iam intercessit, ex quo in eo vasculo vix parum vini relictum est. At vir beatus ait ad eum; abi, fili mi, ad vasculum illud: credo enim, Deum, cui nihil impossibile est, &c. nostro tam male affecto amico salutarem inde potum præbiturum. Paret Dodo, & veniens in sacrarium, cernit vas plenum optimo vino, & eius odore admirabili totam domum sentit repletam. Eo nuntio accepto, sanctus Christi confessor immensas agit gratias omnipotenti Deo, dicitque ad ministrum VValtberti Comitis. Ex hoc vino perfer celeriter ad herum tuum. Ille nihil moratus, eadem nocte lætissimus redit ad Dominum suum; narrat ei, quid gestũ sit, vinumque illi bibendum offert. Posteaquam ille bibit è vino sacrato, eâdem horâ sanatur, & mirifice laudans Deum, auctorem salutis suæ, bonam possessionum suarum partem Deo & beato Bertino largitur.

Clarus, ciuis Florentinus, ad S Zenobium Episcopum eiusdem vrbis, benedictionis gratia venit, & vt perferẽdum committeret, si quid S Ambrosio Mediolanensi nunciare vellet. Ille editis, quæ nunciata cupiebat; manum extendens benedixit Claro, qui in pace Mediolanũ *abiit: qui ad* Ambrosium admissus, ex more Christiano, *benedictione primùm impetrata, magna deinde reuerentia Præsuli, quæ à Zenobio acceperat, enarrabat.*

Cæsar. [illegible] cap. 58.

Monastici moris benedictionem petendi in abitu & reditu iucundum simul & lepidum exemplum recenset Cæsarius. *Apud Cistercium, vbi caput est ordinis nostri, plurimæ nidificant ciconiæ: quod ideo à fratribus religiosis permittitur, quia per illas, non solum monasterium, sed omnia in circuitu loca, ab immundis vermibus mundantur. Hieme appropinquante recedunt, & tempore certo redeunt. Die quadam cum acies suas ordinassent ad peregrinandum, ne hospitalitatis concilia immemores esse viderentur, conuentum, qui eadem hora in agro laborabat, circumuolantes, eumque crebrius gratulando circumuolantes, omnes in admirationem verterunt, ignorantes quid peterent. Ad quos Prior; puto quod licentiam optant: & ea arbitrans, eleuansque manum benedixit eis. Max, mirum in modum, cum multa alacritate simul auolantes, monachis exeuntibus in viam, qui regularem benedictionem accipere, siue expectare paruipendunt magnam verecundiam incusserunt.*

Opusculum *ad virginem deuotam* concludit S. Ambrosius hac benedictione: *Benedicat te Pater, & Filius, & Spiritus sanctus benedi-*

Bene, qua patres nostros benedicere dignatus est Abraham, Isaac & Iacob. Qua benedictione idem Virgini valedicit.

Redeo ad vitam S. Columbæ ab Adamanno veteris Scotiæ circumscriptam; quæ plura benedictionis exēpla nobis subministrat; quæ sæpe vidimus, sæpius idem adhuc visuri: Ex quibus & hoc: cum S. Columba Ernanum Presbyterum, auunculum suū, ad Monasterium, quod in Himba Insula erat, ablegaret, eumque *proficiscentem benediceret, hoc de eo intulit vaticinium dicens: Hunc meum egredientem amicum, non me spero iterum in hoc sæculo visurum.* Et ita euenit, vt vir Dei vaticinatus fuerat. Adam. lib. 1.

Idem sanctus Episcopum quendam, qui quis esset, occultauerat, agnita occultatione sic affatus est. *Benedicat te Christus frater.* Videtur hæc phrasis significare illud, quod simili in casu vsurpamus. *Ignoscat tibi Deus.* Germani, verzeyhe dirs Gott: quo vtimur non tantum tunc, quando quis deliquit, sed & tunc, cum quis vel nos latere volentes patefecit; vel cum ipse contra voluntatem nostram incognitus esse volens, à nobis deprehenditur.

Idem S. Columba peregrè reuertentem fratrem his verbis excipit: *Benedicat te Deus, mi fili.* Adam. lib. 1.

Idem de S. Columbano postquā peregrè abierat: *Vir S. Columbanus cui emigranti benediximus, nusquam in hoc sæculo faciem videbit meam.* De S. Columba Adamannus alibi. *Alio in tempore cum vir sanctus in Iona conuersaretur Insula, quidam de suis Monachis Britto bonis actibus intentus, molestia correptus corporis ad extrema perductus est; quem cum vir venerandus* (Columba) *in hora sui visitaret exitus, paulisper ad eius lectum assidens, & ei benedicens, ocyus domum egreditur, nolens videre morientem. Qui eodem momento post sancti de domo recessionem, præsentem finiuit vitam.* Vbi vides, etiam ad aliam vitam iamiam migraturo benedictionem impensam esse. Adam. lib. 2. Adam. lib. 3.

S. Franciscus auiculas & alia animalia, sæpe cum benedictione dimittere consueuerat, teste S. Bonauentura in eius vita. Cap. 8. & 12.

Nec nostræ valedictiones aliud sunt, quàm benedictiones, Behüt dich Gott. *Custodiat te Deus.* Gesegne dich Gott. Ad verbum: *signet te Deus,* hoc est, benedictionem suam tibi impertiat, hoc enim significat inter cætera, Segnen. Solent etiam Germani, quando transeunt, aliosq; laborantes intuentur, (quidquid demum id operis sit) faustam hanc apprecationem promere. Gott helff euch. Helff euch Gott. *Deus vos adiuuet.* Quæ formula nihil est aliud; quam benedictio; & quidem vetustissima, vtpote de qua B. David in quo-

Psal. 128. quodam Psalmo. *Et non dixerunt, qui præteribant, benedictio Domini super vos; benediximus vobis in nomine Domini.* Vbi Propheta indicat, laborantibus hoc faustum carmen accini consueuisse; & illis, qui oderant Sion, non adcantatum esse, eò quod *facti sint sicut fænum tectorum, quod priusquam euellatur, exaruit: de quo non impleuit manum suam, qui metet, & sinum suum qui manipulos colliget.*

S. Aug. in Psal. 128. *Nostis, fratres*, inquit sanctus Augustinus, *quando transitur per operantes, est consuetudo, vt dicatur illis; Benedictio Domini super vos. Et magis ista consuetudo erat in gente Iudæorum; nemo transibat, & videbat aliquos facere aliquod opus in agro, vel in vinea, vel in messe, vel aliquid eiusmodi; non licebat transire sine benedictione.* Sed illi, qui *oderunt Sion*, hoc est, Ecclesiam Catholicam, seu malè viuendo, seu falsa dogmata disseminando; nequaquam lætum illud melos audiunt; *Benedictio Domini super vos, &c.* Quod nec beatum Dauidem illis apprecatum esse, testatur sanctus Augustinus. *Supra illos iste transiens non benedixit: & impletum est etiam per illum, quod ipse dixit: & non dixerunt transeuntes viam: benediximus vos in nomine Domini. Et isti transeuntes siue Prophetæ, siue Patriarchæ, siue Apostoli, quicunque transierunt, si bene viuimus, fratres, benedixerunt nos in nomine Domini. Quando me, inquis, benedixit Paulus? Quando me benedixit Petrus? Attende in scripturis. Vide si bene viuis, & vide ibi benedictum te fuisse. Omnes bene viuentes benedixerunt. Et quomodo benedixerunt? In nomine Domini; non in nomine suo, sicut hæretici, &c.*

Nec salutationes, quibus obuios excipimus, aliud sunt, quàm benedictiones; Nam si dicas, *Salue;* quid aliud dicis, quàm, *saluus sis.* Vt & si hoc vocabulo vtaris; *saluto te:* tam hoc, quàm illud à salute est. At salutem optare, quid est, nisi benedicere? Eodem pertinent formulæ optandi, *beatum fortunatumq; diem; felicem vesperam; bonam noctem; bonum annum, &c.* nihil enim aliud continent & indicant, quàm benedictionem; cuius præsertim ab innocentibus puerulis datæ admodum cupidus fuit Wilhelmus de Breusa, de quo Gyraldus in Itinerario Cambriæ sequentia memoriæ prodidit. *Quoties pueros in via obuios habet, eos illico salutatione præueniens ad reciprocam inuitat salutationem, vt sic innocentum benedictio vel extorta cum salutationis Eulogio refundatur.*

CAPVT

CAPVT XII.

Viri sancti sub extremam horam benedictionem dare soliti.

ET hoc ad imitationem Patriarcharum Isaac, Iacob, & Moysis, adeoq; ipsius Christi, qui in cœlum ascendens, discipulis suis benedictionem impendit. Aliqua exempla enumerabimus. S. Plato confessor, morti vicinus, visitantibus se, tam Monachis, quàm aliis benedictionem impertiit. *Tom. 6. Surij.*

De S. Isidoro Hispalensi Lucas Tudensis in Chronico. *Anno primo Regis Cinthilani Doctor & Legumlator Hispaniorum Isidorus, stans in Ecclesia, peracto sermone ad populum, & expandens manus, benedicens omnibus, Deo hactenus sibi traditum Regem commendans, felicissimo somno obdormiuit in Domino.*

Thomas Patriarcha Constantinopolitanus, *cum omnibus præsentibus benedixisset,* migrauit ad Dominum, vt est in Historia de rebus gestis S. Theodori Sicæotarum Archimandritæ. *Tom. 2. Surij.*

Cum S. Columba Abbas iam animam ageret, *Diormicius* (discipulus & minister eius) *sanctam subleuat ad benedicendum Monachos sancti dexteram manum. Sed & ipse venerabilis pater, in quantum poterat, simul suam mouebat manum, vt videlicet, quod voce in egressu non valebat animæ, vel motu manus fratres videretur benedicere: Et post sanctam benedictionem taliter significatam, continuò spiritum exhalauit.* *Adaman. in Vita S. Columbæ. Tom. 5. Antiqua lect. D. Canisij.*

Idem sanctus Abbas non diu antequam ex hac vita excederet, in occiduam Insulæ Ionæ partem sese deuehendum curauit; *ibi, vt erat in vehiculo sedens, ad orientem suam conuertens faciem, Insulam cum insulanis benedixit habitatoribus, Ex qua die,* inquit Adamannus, *viperarum venena trisulcarum linguarum vsque in hodiernum diem nullo modo aut homini aut pecori nocere potuerunt. Post eiusdem benedictionis verba sanctus ad suum reuehitur Monasterium:* qui non longo post tempore, cum fido suo ministro *perrexit ad proximum benedicendum horreum; quod intrans Sanctus cum benedixisset, & duos in eo frugum sequestratos vidisset aceruos, hoc intulit verbum cum gratiarum actione, inquiens: Valde congratulor meis familiarib⁹ Monachis,* *Adaman. loc. cit. cap. 27.* *Adaman. cap. 28.*

Adamnan. Cap. 19. *quia hoc etiam anno, si quidem à vobis emigrare me oportuerit, annonam sufficientem habetis.* Huius viri sancti excessum ipse etiam equus, cuius ministerio Monasteriũ vtebatur, occulto instinctu presensit; eaq; ꝓpter ad virum Dei accurrens, ea, quæ poterat, mœroris indicia edidit; quem à se dimissum vir Dei benedixit: *Et inde egrediẽs, & monticellum Monasterio supereminentem ascendens, in vertice paululum stetit, & stans ambas eleuans palmas, suum benedixit cœnobium.*

Sanctus quoq; Liuinus Hibernus, Martyr & Episcop⁹ iam iam ab immanibus latronibus trucidandus, *osculatus est discipulos suos, & dixit: Deus omnipotens custodiat vos charissimi in vitam æternam*; vt scribit S. Bonifacius Archiepiscopus Moguntinns in vita S. Liuini.

B. Robertus Cælestinus in articulo mortis positus, *omnibus fratribus præsentibus & absentibus benedixit: Signans eosdem signo sanctæ Crucis, & dicens: Benedicat vos omnipotens Deus, pater & filius & spiritus sanctus*: vt est in eius vita edita studio Ioannis à Bosco in Bibliotheca Floriacensi.

Tom. 1. Surij. Præclarissima est benedictio, quam morti iam vicinus S. Laurentius Iustinianus Patriarcha Venetus, suis dedit. *Sublato paulisper brachio, quod denudatũ tenebat*, inquit Bernardus Iustinianus in Historia vitæ, *caligantibus oculis, vt Isaac illũ antiquum videre te diceres, astantibus crucis signo, benedicat, ait, vobis Dominus IESVS, fratres & viscera mea, & benedicat filiis meis, qui absunt, quos in Domino parturij, Dei vobis cor, vt colatis eum, aperiat animum in lege sua, neq; vos deserat in tẽpore malo. Benedicat Principi nostro & vniuerso Senatui, &c. Benedicat deniq; populo meo, cuius amorem, pacem, concordiam Dominus indies magis atq; magis conseruare & augere dignetur.*

Lib. 3. cap. 25. Tom. 6. Surij. S. Godefridus Episcop⁹ Ambianensis *adueniente hora, qua migraturus erat, Eucharistiam de manu Lysiardi Episcopi Suessionẽsis accepit fratribusq; benedicens, atq; adeo valedicens, orat, vt in domo Capitulari corpus ipsius sepeliãt.* vt in eius vita memorat Nicolaus Monachus.

Cap. 14. Vitæ S. Francisci. De S. Francisco iam viam vniuersæ carnis ingressuro D. Bonauentura. *Circumsedentibus omnibus fratribus extendit super eos manus, in modũ Crucis brachiis cancellatis, pro eo, quod hoc signũ semper amabat, & omnibus fratribus tam præsentibus, quàm absentibus in crucifixi virtute ac nomine benedicit. Insuper & adiecit; valete filij omnes in timore Domini, & permanete in eo semper.*

Tom. 5. Surij. S. Stephanus Episcop⁹ Diensis sub extremã vitæ horam *benedictionem & consilium petentibus non negabat; & de mutua charitate ac concordia omnes admonebat. Porro quædam ægrota mulier, quæ nulla medicorum arte poterat curari, vt audiuit virum Dei decumbere, pro te-*

recuperanda salute, eius benedictionem summopere expetiit, tandē ad illam intromissa benedicitur, & sana recedit.

S. Malachias Episcopus Hyberniæ, suprema hora instante, *manus imposuit singulis, & benedixit omnibus*, vt scribit in eius vita S. Bernardus; qui vehementer etiā in ipso historię vestibulo sibi gratulatur, quod ab eodem sancto sub extremum vitæ tēpus benedictionem impetrasset. *In extremis positus erat*, inquit D. Bernardus, *ego in principiis, iuxta illud*: cum consūmatus fuerit homo, tunc incipiet: *accurri ego, vt benedictio morituri super me veniret. At ille, cum iam membra alia mouere non posset; fortis ad dandam benedictionem, leuatis sanctis manibus super caput meum, benedixit mihi, & benedictionem hæreditate possideo, &c.*

Hugo Lincolniensis Episcopus, hinc excessurus, *dexteram capitibus singulorum diutius imponens, Deo & verbo gratiæ eius eos omnes commendauit*, id est, benedixit. Tom. 6. Surij.

Clotarius Rex Francorū visitauit vltima infirmitate laborantem S. Medardum, Episcopum Nouiomensem, *eius se non diffidens contra Diabolicas infestationes benedictione muniri & intercessione apud diuinam maiestatem reconciliari*, vt inquit Fortunatus in eius vita. Tom. 3. Surij.

Testamentū S. Ephræmi, quod paulò ante mortem condidit, plenū est benedictionibus: Inter cætera discipulos & filios suos ita alloquitur. *Huc agite discipuli mei: quod reliquum est, sitis benedicti in fortitudine boni pastoris, sanctiq; Magistri IESV Christi Domini nostri; qui est Deus ex Deo. Et quamuis non sim ego, sicut Noē, vos tamen benedicti sitis, vt Sem & Iaphet: Et licet non sim, vt Melchisedech, vos tamen efficiamini, vt Abraham. Etsi non sum ego, tanquam Isaac, vos tamen accedentes sitis benedicti, vt Iacob. Et tametsi non sim vt Moyses, vos sitis, vt IESVS filius Naue, &c.* Exstat. Tō. 3. operum S. Ephræm.

Postea ad imitationem beati Moysis singulis suas impertit benedictiones. *Incipiam & apud vos, mei discipuli, vobis bene precari. Abba vir admirabilis, Christus magnificet monumentum tuum super terram, &c. Et tu Abraham, quia veniens adhæsisti mihi, exaudiat te Deus Abraham in orationib' tuis, &c. Simeon tibi dico, exaudiat te Deus, &c. & in supernam ciuitatem ingrediaris, &c. Maras vir Galilæus, mansuetus & simplex, in meis adiuuisti me perturbationibus: Ipse igitur Deus mercedem tuam inter pios tibi reddat, quam cū sanctis omnibus accipies. Zenobius vir Hisdrazæus, &c. fiat sermo tuus instar ignis, & iniquorum consumat multitudinem, &c. Benedictus, qui catholicam ipsius elegit Ecclesiam, velut sanctam Agnam, quam lupus corruptus non contriuit.*

Idem sanctus Ephræm iam hinc discessurus, clarissimæ cuidam fœminæ benedictionem dedit. *O filia*, aiebat, *priusquam deficiar ac moriar benedicam tibi secundum propositũ ac desiderium tuum. Non deficiat ex semine tuo sanctorum doctrina vsq; in sæcula. Cum venerit Christus ad mutandum cœlum & terram ipse memoriam tuam in libro vitæ inscribet in regno cœlorum. Et pax Dei, quæ Sanctos sertis coronat immaculatis, in vocatione præmium tibi largiatur secundum cortuũ, &c.*

Nec animam agentes aliis solummodo benedictionem dederũt; sed & ab aliis sibi dari petierunt: nam Ludouicus Pius Imp. & Rex Francorum iam iam cũ morte luctam ingressurus benedictionem à sacerdotibus, sibi impertiri postulauit, vt scribitur in eius vita.

Virgo quædam moribunda, viso S. Paulo Apostolo, qui apparuerat, *assurgens in genua, submisso capite, ab eo, quem videbat, benedictionem petijt, dicens*: Benedicite, vt est in rebus gestis S. Odonis Abbatis Cluniacensis.

CAPVT XIII.

De Benedictione mensæ.

REfero hanc ad priuatas benedictiones, quia fit priuatis in ædibus, extra templa; à quibus conuiuia longè abesse debent. Neque ad secundum; sed ad primum hoc benedictionis genus benedictionem mensæ pertinere arbitror: neq; enim per hanc benedictionem consecratur & dedicatur cibus & potus, ita vt cibus & potus benedictus absolutè nominetur; sicut absolutè panem benedictum, carnem benedictam, vinum benedictũ appellamus, panem, carnem & vinum, quæ in festo Paschæ, & S. Ioannis Euangelistæ solenni verborum formula consecrantur: quibus proinde etiam religiosum quendam honorem deferimus; nec patimur, vt talis panis vel caro, vel ipsa quoq; ossa carnis obijciantur brutis animantibus deuoranda: cum tamen tali reuerentia non prosequamur panem, & alia esculenta ac poculenta super quæ benedictio mensæ pronunciata est; qua tantum à Deo petimus, vt & nos & illa benedicat, hoc est, salutaria nobis efficiat: *Benedic Domine nos, & hæc tua dona, quæ de tua largitate sumus sumpturi.* Quocirca si quid de cibo vel potu superet; sine scrupulo, & absq; vllo irreuerentiæ metu, tanquam communis cibus & potus tractatur, & bestiis quoq;, si necesse sit, præbetur.

Memora-

Memorabile est, quod de S. Corbiniano in eius vita proditum legimus. *Quadā die vir Dei cū præfato Principe* (Grimoaldo) *recumbens ad prandium, apposità mensà, salutifero Crucis signo cū laude, superpositam consignauit alimoniam. Prædictus verò Princeps ex mensa dilecto sibi cani panem per incuriam proiecit. Quod vbi vir Dei conspexit, dextro pedi tripodis calcem impegit, & mensam euertit, ita vt argentea vascula per pauimentum huc illucq; spargerentur; & ex scamno prosiliens; aiebat, eum tanta benedictione indignum, quam cani non veritus esset proijcere, domumq; illius egressus, dixit se ab eius cura omnino se abstrahere, & nequaquā cum eo alterius panem communem sumere velle.* Verum hoc referatur inter ea exempla Sanctorum, quæ potius admiranda sunt, quàm imitanda. Videmus enim hoc à plerisq; sine scrupulo fieri. Nec est cur aliquem propter hoc violatæ religionis condemnemus.

Addamus & hoc, quod B. Odo Abbas Cluniacensis, de quodam Episcopo referre solebat; *cibos ab illo benedictos nullum canem ausum fuisse comedere, si quis verò casu id fecisset, & eum subitò mortuum fuisse, perinde ac si pro cibo sumsisset toxicum.*

Cæterum benedictio mensæ dupliciter inchoatur; vt ait Durandus, cuius verbis in hac re explicanda vtar. *Primò, quia Maior incipiens dicit*: BENEDICITE. *Et cæteri respondent*; DOMINVS: *quia sicut debemus Dominū per gratiarum actiones benedicere; ad quod Maior dicendo*; BENEDICITE, *hortatur; sic & indigemus benedici à Domino suæ gratiæ infusione; quam illi optantes postulant, respondendo*: DOMINVS; supple, *nos benedicat suæ gratiæ infusione.* Secundo modo, *Maiore incipiente*: BENEDICITE, *cæteri similiter respondent*; BENEDICITE; *ad ostendendum, quòd ad Dei benedictionem debemus mutuò nos hortari. Potest etiam dici: quod in priore modo reuerentia Dei consideratur: cum enim respondetur*: DOMINVS, *supplendum est*: Benedicat: *quia nos non sumus digni benedicere: in secundo autem reuerentia superioris*: cum enim respondetur: BENEDICITE, supplendum est: Vos PATER: *quia Minor maiore præsente, benedicere non debet: Deinde Maiore versum inchoante, cæteri coadiuuant ad dicendum: vt significetur; quòd inferiores, coadiutores sunt Præpositorum in oneribus supportandis.* Hæc Durandus. *Dur. lib. 4. Ration. cap. 8it.*

Obtinuit autem iste mos in Ecclesia; vt maiore & digniore præsente, minor & inferioris gradus ac conditionis, mensæ non benedicat, nisi à Maiore iussus, vel permissus: Quapropter, præsente

ſente Sacerdote, non benedicit Diaconus; nec hoc præſente, Subdiaconus; neq; hoc præſente, Laicus; cui tamen fas menſæ benedicere, ſi nullus Clericus adſit, *licet viderim* Diaconum *in domeſticis conuiuiis benedictiones presbyteris dare. Diſcant qui hoc faciunt, ſe non rectè facere*, inquit S. Hieronymus.

S. Hieron. Epiſt. ad Euagrium.

Nec ſcio, quàm laudabilis ſit illa conſuetudo, cum munus benedicendi menſæ, etiam apud Prælatos Eccleſiaſticos, pueris, ne primâ quidem tonſura inſignitis, demandatur. Fiat hoc, & cõmendatione etiam dignum fuerit, in laicorum familiis, vt tenera ætas ad precandum à teneris aſſueſiat; at apud Clericos decentius eſt, vt benedictionem iſtam Clericus cibo, potuiq;, atq; ipſis etiam pranſuris vel cœnaturis impertiat.

Solent Germani, ſi fortè cibum ſumentibus ſuperueniant; dicere: Gott geſegne es euch. *Deus benedicat vobis*: Reſpondent Epulis accumbentes: *Deo gratias.* Qui mos laude dignus eſt, & retinendus. Alij Latinè acclamant: BENEDICITE. quod videtur eſſe iuſſio; vt Dominum Deum benedicant, qui illis neceſſaria alimenta ſubminiſtrat.

Obſerua & illud: Catholicos abſtinuiſſe à cibis, quibus Hæreticus aliquis benedixiſſet. Docet hoc memorabilis iſta apud Gregorium Turonenſem hiſtoria; ex qua etiam intelliges, ad ſingula noua fercula benedictionem fuiſſe repoſitam; non vnam, ad omnes miſſus, more nunc recepto, protenſam. *Mulier quædam erat Catholica, habens virum hæreticum: ad quam cum veniſſet presbyter noſtræ religionis valdè catholicus: ait mulier ad virum; peto charitatitua, vt pro aduentu huius Sacerdotis, qui me viſitare dignatus eſt, lætitia habeatur in domo noſtra, ac præparatum dignis impendiis prandium epulemur cum eo. Promittente autem viro eius, ſic ſe, vt illa flagitabat, facturum, aduenit & alius hæreticorum presbyter, dixitq; vir mulieri: Duplicata eſt lætitia hodie, eò quòd ſint ſacerdotes vtriuſq; religionis in domo noſtra.*

Greg. Turon. lib. 1. de gloria Martyrum ſeu de miraculis cap. 80. Vide Tom. 1. de S. Cruce. lib. 4. cap. 18.

Diſcumbentibus autẽ ad conuiuium, vir ille cum Presbytero dextræ partis cornu occupat: Catholicum ad ſiniſtrũ ſtatuens, poſitaq; ad leuam eius ſellula, in qua coniunx eius reſideret: Dixitq; vir ad presbyterum hæreticum: ſi conſenſeris dictionib⁹ meis, exercemus hodie cachinnum de hoc Romanorum presbytero, vt ſcilicet appoſito ferculo, tu celerius ſignare feſtines, cumq; ille manum non poſuerit, illo triſtante, nos cum lætitia comedemus cibum. Cui ille, faciam, inquit, quod præcipis: tumq; veniente diſco cum oleribus, ſignauit hæreticus, poſuitq; primus manum ſuam. Quod

cernens

cernens mulier, ait, ne feceris, quia ingratè fero iniuriam sacerdotis. Et exhibito alio cibo, sumpsit (comedit) *catholicus. In secundo verò & tertio ferculo, similiter fecit hæreticus. Quarto autem exhibito, festinans hæreticus, priusquã ferculum illud vel mensam tangeret, eleuata manu signat, statimq; positum cochleare sumit, non intelligens, an caleret: feruentemq; cibum velociter inglutiuit: protinus accenso pectore æstuare cœpit, & cũ suspirio immenso nequã spiritum exhalauit: ablatusq; de conuiuio, locatus in tumulo terrenæ molis congerie est opertus. Tunc exultans presbyter nostræ religionis ait; vere vltus est Deus seruos suos, & conuersus ad virum ait: Periit huius memoria cum sonitu, & Dominus in æternum permanet. Tunc homo ille perterritus prouolutus ad pedes presbyteri, cõuersusq; ad fidem Catholicam credidit cum domo sua.* Hęc Turonensis, ex cuius verbis planum fieri videtur, benedictionem mensæ interdũ sub Crucis signaculo peractam esse; neq; enim precationis, quam Presbyter hæreticus adhibuerit, meminit: quamuis probabile iudicem, eum precatiunculam aliquã cum sancta Cruce iunxisse.

Hubertus Episcop' Leodiẽsis *ingressus conuiuij domum, oratione inter mensam fusa, epulas benedixit, eulogiasq; omnibus dedit.* Etiam extra prandium & cœnam, si quid potus sumeretur, nõ sumebatur nisi præmissa benedictione. Ægidius Monachus Aureæ Vallis, de Henrico Leodiensi Episcopo, qui percussoribus suis vinũ obtulit: *Afferri vinum iubet, & data benedictione bibit ipse primus, & donat illis. Et biberunt post benedictũ & benedicentem homines maledicti.* Tom. 6. Sury. Ægid. lib. de Episcop. Leodiens. cap. 83.

Benedictionem mensæ nõ repudiant nostri sectarij, vt in eorũ catechismis videre licet, pręsertim in minore catechismo Lutheri; illud tamen cauent, ne crucis signum adiungant, potissimum Caluinistæ, rati huius efformatione cibum potumq; non expiari, [illegible] piari. In quo quantum ab antiquorum pietate diuertant, cognosces ex libro Quarto de sancta Cruce. Cap 18.

Mensæ adhibent viri Ecclesiastici potissimũ Religiosi lectorẽ, qui ex præscripto Regulæ S. Benedicti prius benedictione munitur, quam legendi munus inchoet. In capitulis ad Monasticæ disciplinam instaurationem sancitis Aquisgrani sub Ludouico Pio, Anno DCCC.XVII. etiam istud legitur. *Vt Abbas, Præpositus, vel Decanus, quamuis presbyteri nõ sint, lectoribus benedictiones tribuãt.* Item; *Vt a lectore stando benedictio postuletur.* S. Isidorus in Regula Monachorum: *Vnus in medio residens, benedictione accepta, de Scripturis aliquid legat, cæteri vescentes tacebunt, lectiones attentissimè audientes; vt sicut illis corporalis cibus refectionem carnis præstat, ita mentes eorũ spiritualis reficiat.* Cap. 38. Cap. 9.

Fortu-

In vita S. Germani, cap. 79. Tom. 3. Surij.

Fortunatus Pictauorum Episcopus de S. Germano Episcopo Parisiensi. *Cum venit ad mensam, confestim recitans adfuit minister diuina eloquia, vt inter cibi fercula, animi pastus alimento plus saturaretur conuiua.*

Episcopis lectio ad mensam valde commendatur à sacris Canonibus. Rhabanus in suo Pœnitentiali: In Concilio Toletanensi cap. 7. scriptum est, vt ad mensam Episcopi, scripturæ diuinę legantur. *Pro reuerentia Dei & Sacerdotum, id vniuersa sancta constituit Synodus, vt quia solent crebro mensis otiosæ fabulæ interponi, in omni sacerdotali conuiuio lectio scripturarum diuinarum misceatur: per hoc enim & animæ ædificantur ad bonum, & fabulæ non necessariæ prohibentur.* Vide Burckhardum, Iuonem, Gratianum.

Burk. lib. 2. cap. 169. Iuo p. 6. cap. 260. Grat. dist. 44. cap. 11.

Memorabile est, quod Possidius de S. Augustino literis prodidit. *In ipsa mensa magis lectionem vel disputationem, quàm epulationem potationemq; diligebat, & contra pestilentiam humanæ consuetudinis in ea ita scriptum habebat.*

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam;
Hanc mensam vetitam nouerit esse sibi.

Et ideo omnem conuiuam à superfluis & noxiis fabulis & detractionibus sese abstinere debere, admonebat. Nam & quosdam suos familiarissimos Coëpiscopos illius scripturæ oblitos, & contra eam loquentes tam asperè aliquando reprehendit commotus, vt diceret, aut delendos esse illos de mensa versus, aut se de media refectione ad suum cubiculum surrecturum. Quod ego, & alij, qui mensæ interfuimus, experti sumus. Sed hæc obiter.

Horribilis est benedictio mensæ, qua vtebantur olim Manichei, cuius descriptionem ecce tibi ex S. Cyrillo Hierosolymitano. *Eos, qui adferunt illis cibos, hilari facie recipiētes, pro benedictionib⁹ maledictis insectantur: cum enim ignorans aliquis, illis panem adfert, paululùm inquit, extrà subsiste, & benedicam tibi: deinde in manus recipiens panem (quemadmodum ij, qui ex illis pœnitētiam egerunt, confessi sunt.) Ego te, dicit Manichæus pani, non feci; Et execrans proijcit in altum, & maledicit ei, qui fecit illum.* Hæc S. Cyrillus; qui Manichæum in hunc modum affatur. *Si odisti cibos, cur hilari facie intueris illos adferentem? Si danti habes gratiam, cur factorem & opificem omnium blasphemas?* Sed audi reliqua mirificæ huius benedictionis, *Ego te* (inquit Manichæus panem alloquens) *non seminaui: seminetur seminans te. Ego te non messui falcibus; metatur metens te. Ego te igne*

non

non coxi; coquatur, qui coxit te. Pulchra sanè gratiarum actio, inquit ironicè S. Cyrillus. Auctor Operis Imperfecti in Homil. 17. in Matthæum, distinctionem nescio quàm necessariam inter *sanctificatum & sanctificationem* adducit; interim tamen morem benedicendi mensæ disertè adstruit. *Aliud est sanctificatio,* inquit, *aliud, sanctificatum: sanctificatio enim est, quod alterum sanctificat; sanctificatum autem, alterum sanctificare non potest; quamuis ipsum sit sanctum. Vtputa si signas panem tuum, quem manducas, sicut ait Paulus:* Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem *sanctificasti eum, non fecisti sanctificationem. Quod autem sacerdos de manu sua dat* (intelligit Eucharistiam) *non solum sanctificatum est, sed etiam sanctificatio est: quoniam hic non solum datur, quod videtur, sed etiam illud, quod intelligitur,* (nempe corpus Christi) De sanctificato ergo pane licet & animalibus iactare, & infidelibus dare, (de esculentis videlicet, quæ vulgari benedictione *mensæ benedicta sunt*) *quia non sanctificat accipientem. Si autē tale esset, quod de manu Sacerdotis accipitur, quale est, quod in mensa manducatur, omnes de mensa manducarent, & nemo de manu Sacerdotis acciperet. Vnde & Dominus in via, non solùm benedixit panem, sed de manu sua dedit Cleophæ & socio eius. Et Paulus nauigans non solùm benedixit panem, sed de manu sua porrexit Lucæ, & cæteris discipulis suis. Quod autem de manu porrigitur, nec animalibus dandum est, nec infidelibus porrigendum; quia non solùm sanctificatum, sed etiam sanctificatio est, & sanctificat accipientem.* Hæc Auctor ille. Quæ non examino, quia accuratius discussa, & penitius introspecta vix subsisterent: nam & aqua benedicta, (vt cæteras res consecratas taceam) & *sanctificatum, & sanctificatio est,* prout apertè ex Epistola Alexandri Papæ & Martyris colligitur, vel potius prout Alexander Papa & Martyr disertè asserit, tametsi non sit sanctificatio eo excellentiæ gradu quo *Eucharistia,* seu *panis Eucharisticus.*

1. Tim. 4.

Luc. 24.

CAPVT XIV.

Morem propinandi apud Christianos nil aliud esse, quàm petitionem benedictionis.

ANtiquissimus est mos propinandi; Græcis maximè vsitatus & frequentatus, vt multis allatis exemplis demonstrat Reuerendissimus Dominus Doctor *Fridericus Fornerus,*

Forn. lib. 3. de Temulentia & Ebrietate, cap. 16.

nerus, Proëpiscopus Bambergensis. Ab Ethnicis transiit mos iste ad Christianos, præcipuè Germaniæ ac Septentrionis incolas; qui in conuiuiis vix sine propinatione bibunt: imò nisi id faciant, decori non satis memores à plerisque iudicantur.

Piè tamen olim factum, quod propinandi consuetudo in benedictionem conuersa est: nam propinanti alter respondere solet: *Deus benedicat, sit saluti; prosit, proficiat, &c.* quæ sunt benedictionis formulæ: Quod Germanicâ Phrasi æquè clarum, si non clarius. Nam propinans dicit: **Ich bring es euch.** Respondet alter: **Gott gesegne es euch.** Hoc est, *Deus benedicat vobis hunc potum, eumque, salutarem & conducibilem efficiat*: Est autem *propino* idem, quod *præbibo*: At Germanicum vocabulum pulchrius est; non enim *præbibitionem*; sed oblationē, & vt ita dixerim, allationem denotat. **Ich bring es euch.** Hoc est, *offero* seu *affero* vobis, istud, scilicet, vinum, vel hunc cyathum. Ad quid verò offers aut affers? Liquet hoc ex alterius respōso: *Deus benedicat.* Offert ergo ad benedictionem; offert, vt benè precetur. Quid autem est bene precari, nisi *benedicere*? Nec refert, quòd iam nonnulli, præsertim Aulici, formulam propinandi immutant, non dicentes. **Ich bring es euch.** Sed: **Mein Dienst**: vel, **Es gilt**: quia alter nihilominus respondet; **Gesegne euchs Gott.** *Deus benedicat*: nam nimis absonus lurco fuerit, qui dicenti: **Es gilt**/respondeat: **Ich halts**/tametsi non ignoro, nihil absurditatis à potatorum genio alienum esse, quorum improbitate factum est, vt ista benedictio in maledictionem abierit; tamdiu enim vinum sibi benedici volunt, donec à ratione deiecti, bestiis, quàm hominibus similiores euadant: ita vt videre sit illud spectaculū, quod describitur à S. Hieronymo, vel alio, quisquis ille fuit: *Videas alios pocula in tela vertentes, scyphum in faciem iacere conuiuæ: alios scissis vestibus in vulnera aliena proruere: alios clamare: alios, dormitare: qui plus biberit, fortior computatur. Accusationis occasio est, adiuratum per Regem, frequentius non bibisse. Vomūt, vt bibant; bibunt, vt vomant Digestio ventris & guttur, vno occupantur officio.*

In cap. 1. Epist. ad Titum.

Cæterum nihil à propinandi consuetudine Christiana magis auium est; quàm vt quis sibi vinum benedici postulet; vel, vt aliis etiam benedicat; vsque ad superfluitatem vel ebrietatem: Quæ enim benedictio in ebrietate inesse potest?

Adda-

Addamus & hoc: Olim, vt potus magis salutaris & benedictus esset, bibebant & præbibebant sibi mutuò in honorem *Angelorum, & Sanctorum*: cuius moris testem habemus S. Augustinum, & in Miraculis S. Vdalrici, quæ incertus Auctor literis mandauit, sæpè occurrit, mos bibendi pro *charitate S. Vdalrici*; hoc est, in honoré S. Vdalrici. Cuius consuetudinis religiosa obseruatio, vt multis multum vtilitatis attulit; ita contemptus præsentem *Sancti* vindictam sensit. Nam Adelhardum quendam *ante portam ciuitatis Augustanæ, quidam homo cum aliis bibere rogauit; cumque bibere cœpisset, quidam ibi manentium, pro Charitate S. Vdalrici, postulauit eos potum accipere; præfatus autem Adelhardus sordidum verbum ex ore suo emisit, & poculum rogatæ charitatis accipere renuit: cumque paululum inde recederet, in planicie viæ, equo suo cadente, crus eius fractum est; & usque ad suam domum cum labore deductus, longo tempore debilis permansit. Postea vero votum ad sepulchrum S. Vdalrici vouit, &, Deo donante, sanitati est redditus, & deinde Charitatem, quam antea spreuit, alios frequenter bibere postulauit.* S. August. Serm. 232. de Tem. Vide cap. 10. 11. 12. & 13.

Quidam alius cum audiret postulare sancti Episcopi Vdalrici Charitatem, profano ore, quasi insaniendo, stultissimè locutus est: Quid mihi prodest charitas illius Episcopi? &c. Illo verbo emisso, Diabolo concessus, loquelam hominis amisit, &c.

Verum hæc etiam consuetudo bibendi in honorem *Sanctorum*, in abusum tandem migrauit; nec tam ad honorem, quàm dehonorationem Cœlitum tendere cœpit, dum multi nominibus Sanctorum, quasi illicio vtentes, & se & alios nimio potu ingurgitant ac sepeliunt: *Ignorantes*, inquit sanctus Augustinus, *quòd nullus tam grauem iniuriam sanctis Angelis vel sanctis hominibus, agnoscitur irrogare, quàm illi, qui in eorum nominibus bibendo, per ebrietatem suas animas probantur occidere.* S. August. loc. cit.

Idem non iniuria dixeris, de *benedictione S. Ioannis*; (von S. Johannis Segen) quæ iam iam abituris offertur; quæ sine dubio, à pietate, & ab obseruantia in sanctum Apostolum, originem traxit; quia enim traditur, venenum sine vllo damno bibisse, ideo Christiana vetustas hunc haustum, vel potius delibationem vini introduxit, vt meritis Apostoli, quidquid potus sumptum esset, id ad vtilitatem animæ ac corporis cederet; & vt hac benedicta clausula

potus intra viſcera immiſſus quaſi obſignaretur. **Propterea** *hauſtus S. Ioannis* (**S. Johanns Trunck**) pauxillulum quiddam continet; bibens enim hoc valedictorium poculum non tam bibit, quàm libat, & ſupremis labris vinũ tangit. Quæ conſuetudo non eſt damnanda, ſed potius laudanda, ſi maneat intra debitos terminos. Sed vitiis excreſcentibus, immane quantum etiam hauſtus iſte excreuerit, dum non tantum ſobriis, ſed & iam ebriis offertur, & importunè etiam ingeritur, nec ſemel, ſed ſæpius, poculis capacibus; quæ funditus exſiccare neceſſe ſit, niſi cum mala gratia abire velis; vt proinde omnem benedictionem ab hoc hauſtu tam immoderato exulare oporteat.

Volui porro hanc benedictionis formam, quæ in propinando conſiſtit, ad primum benedictionis genus reuocare; quandoquidem potus ita benedictus non cenſetur benedictus, vt vinum, verbi gratia, quod in Feſto S. Ioannis Euangeliſtæ ſolenni ritu benedicitur; hoc enim ſacrum exiſtimatur; & ab ipſis etiam Germanis vinum conſecratum, **ein geweyhter oder geſegneter Wein** nominatur; cumque affectu quodam religionis, die, qui ſancto Apoſtolo dicatus eſt, bibitur; & contra veneficia itidem doliis vinariis infunditur. Quæ exiſtimatio non habetur de vino, quod ad oblationem propinantis benedicitur. Eſt enim duplex benedictio, quod ad propoſitum attinet; vna, cum conſecratione quadam & dedicatione rei, cui benedicitur; altera, præciſè eſt fauſta apprecatio, vt id, quod comeditur vel bibitur bene eueniat, depulſo omni nocumento. Prioris generis eſt vinum die S. Ioannis benedici conſuetum: Poſterioris eſt vinum, quod à quouis, etiam Laico, ad petitionem præbibentis benedicitur.

Quamuis verò Nouatores huius temporis benedictionibus non admodum delectentur, ab hac tamen, quæ in ſympoſiis petitur ac redditur, minimè abhorrent; quam alacriter & petunt, & reddunt, parum memores illius, quod alioqui aduerſus benedictiones intorquere ſolent: *Nil opus eſſe, vt res benedicãtur; iam omnes à Deo benedictas eſſe.* Si omnes res iam antea à Deo benedictæ ſunt; ergo & vinum. Cur ergo tu poſtulas, vt commenſalis aut compotor tuus, nouam benedictionem potui ſuperadiiciat?

* * *

CAPVT

CAPVT XV.

Varia miracula per Benedictionem edita.

PRimum sit illud, quod à S.Gregorio proditum est de S.Benedicto. *Quadam die dum fratres habitacula eiusdem cellæ construerent, lapis in medio iacebat, quem in ædificium leuare decreuerunt. Cumq; eum duo vel tres mouere non possent, plures ad iuncti sunt, sed ita immobilis mansit, ac si radicitus in terra teneretur, vt palam daretur intelligi, quòd super eum per se antiquus hostis sederet, quem tantorum virorum manus mouere non possent. Difficultate igitur facta, ad virum Dei missum est vt veniret, & orando hostem repelleret, vt lapidem leuare possent. Qui mox venit, & orationem faciens benedictionem dedit, & tanta lapis celeritate leuatus est, ac si nullum prius pondus habuisset.* S.Greg. lib. 2. Dialog. cap. 9.

Alterum suppeditat nobis Venerabilis Beda de Ioanne, Episcopo Hagustaldensi; qui cum venisset ad Monasterium Virginũ, *in loco, qui vocatur Vetadun,* rogatus est ab Abbatissa, vt Sanctimonialem quandam, cui ex incisione venæ brachium mirificè intumuerat, *visitare, ac benedicere dignaretur: quia crederet eam, ad benedictionem vel tactum illius, mox melius habituram; &c.* Tandem obtinuit, *vt ad languentem intraret. Intrauit ergo, me secum assumpto ad virginem, quæ iacebat multo dolore constricta, & brachio in tantum grauescente, vt nihil prorsus in cubitu flexionis haberet: & adstans dixit orationem super illam, ac benedicens egressus est. Cumque post hæc, hora competente, consideremus, ad mensam, adueniens quidam clamauit me, vocans foras & ait: Postulat Coënburus (hoc enim erat nomen Virginis) vt ocyus regrediaris ad eam, &c. Quæ cœpit mihi dicere, quòd ex quo Episcopus orationem pro me, completa benedictione fecit, & egressus est, statim melius habere incipio; etsi necdum vires pristinas recepi, dolor tamen omnis, & de brachio, vbi ardentior inerat, & de toto meo corpore, velut ipso Episcopo exportante, funditus ablatus est, tametsi tumor adhuc in brachio manere videatur. Abeuntibus autem nobis inde, continuò fugatum dolorem membrorum, fuga quoque tumoris horrendi secuta est: & erepta morti ac doloribus virgo, laudes Domino Saluatori, vnà cum cæteris, qui ibi erant, seruis illius referebat.* Beda lib. 5. Hist. Angl. cap. 3.

De eodem Episcopo Ioanne scribit idem Beda, rogatum non sine lacrymis à quodam Comite, vt puero suo desperatè ægrotanti bene- Bed lib. 5. cap. 5.

benedictionem impertiret: *Se enim credere, quia si illi manum imponere, atque eum benedicere voluisset, statim melius haberet. Intrauit ergo illò Episcopus, & vidit eum, mœstis omnibus, iam morti proximum, positumque loculum iuxta eum, in quo sepeliendus poni deberet: dixitque orationem, ac benedixit eum, & egrediens dixit solito consolantium sermone: Bene conualescas, & cito; cumque post hæc sederent ad mensam, misit puer ad Dominum suum, rogans sibi poculum vini mittere, quia sitiret. Gauisus ille multùm, quod bibere posset, misit ei calicem vini benedictum ab Episcopo. Quem vt bibit, surrexit continuò, & veterno infirmitatis discusso, induit se ipse vestimentis suis, & egressus inde intrauit & salutauit Episcopum, &c.*

Idem sanctus Præsul, Herebaldum, vnum ex Clericorum suorum numero, lapsu ex equo grauissimè læsum, benedictione sua sanauit, vt scribit idem Venerabilis Beda.

Beda lib. 5. Hist. cap. 6.

De S. Theodoro Archimandrita commemorat Georgius, discipulus eius, tale miraculum. *Domitius, Patricius, vir clarissimus, domum suam, quæ in Arcadianis est, virum sanctum adduxit, vt familiæ suæ benediceret. Cumque Irenen, coniugem suam, fœminam pietatis amantissimam, adduxisset; Benedic, inquit, Domine huic conseruæ meæ, ex qua ego, cum diu simul vixerimus, nullos adhuc liberos suscepi; quamobrem in mœrore versamur. At vir sanctus, cum ei, precibus suis, benedixisset, Dei gratia, inquit, hæc tibi filios mares pariet. Adduxit denique familiam vniuersam, & famulos, & ancillas, vt omnibus benediceret: inter quos ancilla quædam post omnes sequens, occultum Dæmonium habebat; & magno cum dolore tunc è lectulo surrexerat. Hanc vir verè diuinus procul conspicatus iussit, vt ad se adduceretur. Et cum illam sinistra manu comprehendisset, cœpit dextera manu pectus eius percutere, & vexantem Dæmonem increpare, ne occultus maneret, sed patefieret. Statim igitur Dæmon moueri cœpit, & tanquam vim patiens, vociferari. At vir sanctus, eâ humi proiectâ, & pede super collo eius imposito, ad orientem conuersus tacitè precabatur, &c. Conticuit igitur puella diu; sed cum interim reliquis omnibus benedixisset, ab eo excitata surrexit incolumis, & in omni vita sua sana permansit. Porrò Domitij coniunx Irene, vt vir diuinus prædixerat, tres filios peperit, cum statim post eius benedictionem, primum filium concepisset.*

Tom. 2. Surij.

S. Cuthbertus Episcopus Lindisfarnensis, *iuuenem longæ ægritudinis acerbitate tabefactum, data benedictione,* pristinæ sanitati restituit.

Beda in vita S. Cuthberti, cap. 32. & 33.

stituit. Vt & infantem peste infectum, cui *benedicens osculum dedit*, vt ait Venerabilis Beda. Idem S. Cuthbertus benedictione aquam in vinum mutauit.

S. Augustinus, Doctor & Præsul ille maximus in postrema sua infirmitate infirmum benedicendo sanauit, teste Beda in vita sancti Cuthberti. Cui per aduocatum suum opem imploranti cum S. Augustinus dixisset; *Si aliquid in his possem, mihi hoc vtique primum præstitissem*: subiunxit is qui ægri caussam agebat: *Te visitare iussus sum, siquidem in somnis dictum accepi; Vade ad Augustinum Episcopum, vt eidem manum imponat, & saluus erit. Quo ille audito, mox ægrotanti manum benedicens imposuit; nec mora sanum ad propria remisit.* Cap. 38.

In vita sancti Sabæ refert Cyrillus; insolentiam quorundam pastorum, qui greges suos pastum agebant in agros Lauræ sancti Sabæ, ipsique Lauræ admodum insolenter molesti erant; qui cum sæpius moniti & increpiti non desisterent, *reipsa docentur non contemnere mansuetudinem quæ in Deo multa potest*. Protinus enim, admirabiliter quidem & præter opinionem, *arcetur lac vberibus gregum; intereunt autem nuper geniti fœtus pecorum, cum eis esset miserè exclusum nutrimentum. Cum ergo sensissent pastores, se luere pœnas suæ in Sabam inobedientiæ, ad ipsum veniunt, casum miserabiliter deflentes, peccatum suum acriter confitentes, neque se deinceps ingressuros esse viam, quæ ducit ad Lauram constanter affirmantes. Ille autem tam celeri pœnitentiæ veniam concedit celeriorem, & protinus benedictione soluit calamitatem, & eos liberat à supplicio: nam simul atque ille benedixit, mox solutæ sunt vberum pedicæ, & lac profusè manabat, & agni alebantur & crescebant, & pastoribus in gaudium mutata est tristitia.* Tom. 6. Surij.

Vitam sancti Columbæ Scoti scripsit Adamannus itidem Scotus, de quo inter cætera istud commemorat. *Quadam die quidam bonæ indolis iuuenis Lugneus nomine, qui postea senex in Monasterio Insulæ Elenæ Præpositus erat, ad Sanctum veniens queritur de fluxu sanguinis, qui crebrò per multos menses de naribus eius immoderatè profluebat. Quo propius accito, Sanctus ambas ipsius nares binis manus dexteræ digitis constringens, benedixit: Ex qua hora benedictionis nunquam sanguis de naso eius vsque ad extremum destillauit diem.* Adam. lib. 3. ext. Tom. 5. Antiqua lect. D. Canisij.

Bene-

Adaman. lib. 2.

Benedixit idem S. Columba in gratiam egeni cuiusdam veru, quod si in sylua posuisset, *semper aut ceruum aut aliud syluaticum animal capiebat: si in mari aut flumine; piscium prehendorum certus erat, donec tandem persuasus à stulta muliere veru confregit; metuente insipienter, ne in illud aliquis suorum filiorum incideret.*

Adaman. lib. 2. de S. Columba.

Idem S. Columba maleficium, quo sanguis, instar lactis, candidus, intuentium oculis obiiciebatur, benedictione dissoluit, vt testatur Adamannus, cuius en tibi verba: *Quidam qui maleficus erat à sancto iussus, de boue masculo, qui prope erat, lac arte diabolica expressit. Quod sanctus non vt illa confirmaret maleficia fieri iussit; quod absit; sed vt ea coram multitudine destrueret. Vir itaque beatus vas, vt videbatur tali plenum lacte, sibi ocyus dari poposcit: & hac cum sententia benedixit dicens: Modò probabitur non esse verũ, quod putabatis lac, sed dæmonum fraude ad decipiendos homines decoloratus sanguis; & continuò lacteus ille color, in naturam propriam, hoc est, in sanguinem versus est. Bos quoque qui per vnius horæ momentum turpi macie tabidus & maceratus erat, morti proximus, benedicta à Sancto aqua superfusus, mira sub celeritate sanatus est.*

Conuertit idem S. Columba benedictione sua aquam in vinum, cum adhuc Diaconus esset; vinumque ad sacrificium ab Episcopo immolandum deesset.

Adaman. loc. cit.

Idem sanctus Abbas benedictione sua fructus arboris cuiusdam amaros & noxios in dulces ac salutares mutauit. Res ita ab Adamanno recensetur. *Quædam erat arbor valdè pomosa prope Monasterium Roboris Campi, in australi eius parte, de qua cum incolæ loci quõdam haberent pro nimia fructus amaritudine querimoniam, quadam die sanctus ad eam accessit autumnali tempore, videnśque lignum incassum abundos habere fructus, qui ex eis gustantes plus læderent, quàm delectarent; Sanctus, eleuata manu, benedicens, ait: In nomine Omnipotentis Dei omnis tua amaritudo, ô arbor amara, à te recedat, tuaque huc vsque amarissima, nunc in dulcissima vertantur poma. Mirum dictu, dicto citius eodemque momento eiusdem arboris omnia poma, amissa amaritudine, in miram, secundum verbum sancti, versa sunt dulcedinem.*

Idem S. Abbas benedictione fontem à Dæmonum maleficiis expiauit, Qua de re audiamus Adamannum. *Alio in tempore vir*

beatus

beatus cum in Pictorum Prouincia per aliquot demoraretur dies, audiens in plebe gentili de aliquo fonte diuulgari famam, quem quasi diuinum stolidi homines, diabolo eorum obcæcante sensus, venerabantur. Nam de eodem fonticulo bibentes, aut in eo manus vel pedes de industria lauantes, dæmoniaca, Deo permittente, percussi arte, aut leprosi, aut lusci, aut etiam debiles, aut quibuscunque aliis infestati infirmitatibus reuertebantur, ob quæ omnia seducti gentiles, diuinum fonti deferebant honorem. Quibus compertis, sanctus alia die intrepidus accessit ad fontem. Quod videntes magi, quos ipse sæpe confusos, & victos à se repellebat, & valdè gauisi sunt, scilicet putantes, eum similia illius nocuæ tactu aquæ passurum. Ille verò imprimis eleuata manu sancta, cum inuocatione Christi nominis, manus lauat & pedes: tùm deinde cum sociis de eadem à se benedicta bibit, ex illaq; die dæmones ab eodem recesserũt fonte, & nõ solum nulli nocere permissus est, sed etiam post sancti benedictionem, & in eo lauationẽ, multæ in populo infirmitates per eundẽ sanatæ sunt fontem.

Idem sanctus benedictione sua ferrum quoddam ad vulnera hominibus vel pecoribus inferenda inutile reddidit. Alio tempore, inquit Adamannus, *quidam frater ad sanctum eàdem scribentem horâ veniens dicit ad eum. Hoc ferrum, quod in manu habeo, quæso benedicas. Qui paululum, extensa manu sancta, cum calamo signans, benedixit; ad librum, de quo scribebat, facie conuersa. Quo videlicet supradicto fratre cũ ferro benedicto recedente, sanctus percontatur dicens: Quod fratri ferrum benedixi? Diormicius pius eius ministrator, Pugionem, ait, ad iugulandos tauros vel boues benedixisti. Qui è contra respondens infit; Ferrum, quod benedixi, confido in Domino meo, quod nec homini, nec pecori nocebit. Quod sancti firmissimum eadem hora comprobatum est verbum. Nam idem frater vallum egressus monasterij, bouem iugulare volens, tribus firmis vicibus, & forti impulsione conatus, nec tamen poterat etiã eius transfigere pellem. Quod Monachi scientes experti, eiusdem pugionis ignis resolutum calore per omnia monasterij ferramenta liquefactum diuiserunt inlinitum, nec postea vllam potuere carnem vulnerare, illius sancti manente benedictionis fortitudine.* *Adaman. lib. 2. de vita S. Colũbæ.*

De S. Patricio, Hiberniæ Apostolo, Probus in eius vita. *Vocatus est S. Patricius à Gentibus* (Ethnicis) *ad vescendum cum eis, vt probarent eum in futuris rebus. At ille per Spiritum intelligens, quæ ventura essent, non renuit ire cum illis. Cœnantibus ergo omnibus prædictus Magus Ligitmail, &c. solicitus erat confligere aduersus S. Patricium. Qui tamen, vt initium causæ haberet, intuentibus aliis immiscuit aliquid de* *Probus lib. 1. Tom. 3. Bedæ.*

vase suo in poculum viri Dei, vt probaret, quid faceret. Videns verò S. Patricius hoc genus probationis, orauit ad Dominum, & videntib⁹ cunctis, benedixit poculum suum, versusq; est liquor in gelu, &, conuerso vase, cecidit guttula illa, quam immiserat Magus. Tunc iterum benedixit poculum suum, conuersusq; est liquor in naturam suam.

Ibidem recenset Probus, quomodo idem S. Patricius niues magica ope longè latéq; diffusas, per benedictionem disiecerit ac colliquefecerit. *Tunc benedicente eo per circuitum totum campum*, inquit Probus, *dicto citius, absque vlla pluuia, aut nebulis aut vento euanuit nix.*

Puer quidam valde vultu & habitu despectus benedictione à S. Columba accepta, in alium hominem mutatus est: quem ad virum sanctũ accedere volentem, cùm familiares repellerent; *sinite fratres*, aiebat, *sinite modò. Ad puerum verò valde tremefactum dicit: O fili aperi os tuum & porrige linguam. Iussus tum puer, cum ingenti tremore aperiens os suum, linguam porrexit; quam sanctus sanctam manum extendens, & diligenter benedicens, ita propheticè præfatur, dicens: Hic puer, quamuis vobis nunc despicabilis, & valde vilis videatur, nemo tamen ob id ipsum despiciat; ab hac enim hora non solùm vobis non displicebit, sed valdè placebit, bonisq; moribus, & animæ virtutibus paulatim de die in diem crescet, &c. Hic erat Erenæus postea per omnes Scotiæ Ecclesias famosus, & valde notißimus.* *Adamau. lib. 1.*

Alio tempore, cum sanctus (Columba) *in sua versaretur peregrinatione, infans ei per parentes ad Baptizandum offertur iter agenti; Et quia in vicinis aqua non inueniebatur locis, Sanctus ad proximam declinans rupem, flexis genibus, paulisper orauit: Et post orationem surgens, eiusdem rupis fontem benedixit; de qua consequenter aqua ebulliens abundanter fluxit, in qua continuò infantulum baptizauit.*

De eodem S. Columba Adamannus. *Alio in tempore vir beatus, cum in Sicia insula aliquantis demoraretur diebus, paulò longius solus orationis intuitu, separatus à fratribus, syluam ingressus densam, miræ magnitudinis aprum, quem fortè venatici canes persequebantur, obuium habuit. Quo viso eminus, sanctus aspiciens eum, restitit; tum deinde, inuocato Dei nomine, sancta eleuata manu, cum intenta dicit ad eum oratione; vlterius huc procedere nolis; in loco ad quem nunc deuenisti, morere. Quo Sancti in Syluis personante verbo,* *Adaman. lib. 3. cap. 8.*

non

non solùm vltra accedere non valuit, sed ante faciem ipsius terribilis ferus verbi eius virtute mortificatus, citò corruit.

Gildas Sapiens benedictione mutauit aquam in vinum, vt in eius vita legimus, quæ Bibliothecæ Floriacensi inserta est. Similia miracula prodita sunt à Philippo Ferrario in Catalogo Sanctorum Italiæ, de S. Zita virgine, de S. Vbaldesca virgine Pisana, de S. Brunone Episcopo, de S. Alberto Derthonensi, de S. Homobono, & de S. Maclouio, Tom. 6. Surij. *Pag. 441.*

Auditu mirabile est, quod de S. Coëngino Hiberno, memorat Scriptor rerum ab ipso gestarum, qui in nostra Bibliotheca Ingolstadiensi exstat manuscriptus: *prædictus puer* (sermo fuerat de filio cuiusdam Reguli ægrotante, quem in studio pietatis S. Coënginus informabat) *cum poma desideraret; S. Coënginus arborem salicis benedixit, quæ vsque in præsentem diem poma gignere solet.* Hæc ille. Salicis huius per benedictionem pomiferæ mentio est in vita S. Laurentij Episcopi Dublinensis; cum enim Auctor cap. 16. descripsisset situm loci, in quem olim S. Coënginus secedere consuerat, & ad quem subinde ipse etiam S. Laurentius se recipiebat; subiungit: *Nec sine fontis dulcedine locus est; nam ex eadem rupe riuulus sonorus, &c. erumpit*, apud quem riuulum etiam *salix mirifica reperitur, poma ferens vsque ad hiemale S. Martini festum, crudißima, vt vix à quoquam tum poßint degustari: appropinquante autem Natiuitate Dominica, celeriter maturescunt, solis infirmis pro medicinali remedio reseruanda.*

Berno Abbas de S. Vdalrico Præsule Augustano. *Propter ipsius merita, plurima infirmis præstabantur beneficia, & maximè, qui caduco grauabantur morbo, per eius benedictionem à tanto liberabantur incommodo. Quod ita humilitatis causa studuit occultare, vt si fortè aliqui illorum hanc sanitatis gratiam palam postularent; bonum benedictionis subtraheret, hoc magis asserens Apostolicæ dignitati, quàm suæ congruere paruitati.* *Bern. in vita S. Vdalr. cap. 17.*

S. Brigida Virgo Scotica aquam in cereuisiam benedicendo mutauit; vt & lapidem in salem. Eadem aprum benedictione cicurauit. *Cogitosus in vita S. Brigida. Tom. 5. Ant. lect.*

Sanctus Edmundus Cantuariensis Archiepiscopus quendam magni nominis virum *è genu laborantem* benedictione data curauit. *Tom. 6. Surij.*

Quid, quod ipsum verbum *Benedicite* pronunciatum, Dæmonis insultus irritos reddidit? *Cuidam feminæ propter Christum inclusæ*, inquit Cæsarius, *ita infestus fuit Diabolus, vt etiam lectum illius violenter, & impudenter ascenderet; à quo cùm nullo posset remedio spirituali liberari, non oratione, non confeßione, non signo Crucis, diaboli importunitatem, propriamq́; vexationem cuidam viro religioso conquesta est. Cui ille tale consilium dedit: Cùm tibi, inquit, propius accesserit, dicas, Benedicite. Quod cum illa fecisset, malignus spiritus, quasi turbine impulsus, se in saltus dedit, nec vlterius ad illam accedere ausus fuit.*

Cæsar. lib. 5. cap. 46.

Cap. 47. *Vides nunc*, subdit Cæsarius, *qualiter Deus omnipotens contra diuersas Dæmonum infestationes diuersas creauerit medicinas. Alios à nobis compescit antidoto confeßionis, alios verbo Dominicæ annunciationis; quosdam per verbum* Benedicite; *multos per signum Crucis.*

Finiam hoc caput commemorabili ad omnem posteritatem, benedictionis exemplo, quam Hibernia à S. Patricio accepit, eiectis inde baculo suo omnibus venenatis reptilibus, eaq; gratia regioni impetrata, vt ne toleret quidem eiusmodi animalia, etiam aliunde illata: & vt omnia fermè, quæ insula illa progignit, non inefficax antidotum aduersus venena præbeant. Rem hanc explicabo verbis Hiraldi Cambrensis ex Topographia Hiberniæ desumptis: & quamuis ipse dubitet, vnde hæc felicitas Hiberniæ prouenerit, num à S Patricio; an verò ab innata cœli temperie, & occulto quodã Insulæ genio, & insita naturali antipathia, huiusmodi veneniferis animalibus prorsus aduersa; nos tamen ipsum philosophari, ne dicam fatuari, sinemus, nobisq; id, quod tota Hibernia orthodoxa semper sibi persuasit, pariter persuadebimus, nempe gratiam hanc ex S. Patricij fonte manasse; non enim audiendi sunt, qui vt Sanctorum honorem ac gloriam deterant, ea, quæ ipsis, tanquam supra naturæ vires gesta, attribuuntur; ad naturæ arcanam quandam energiam reuocant; vel saltem reuocare conantur. Iam Giraldo mira prorsus mira memoranti aures præbeamus.

Dist. 1. cap. 23.

Inter omnia vermium genera, solis non nociuis Hibernia gaudet: venenosis enim omnibus caret. Caret serpentibus, & colubris; caret bufonibus, & ranis, caret tortuis & scorpionibus, caret & draconibus. Habet tamen araneas, habet sanguisugas, habet & lacertas, sed & prorsus innocuas. Vnde satis historice, satisq; facete dici vel etiam scribi potest: Ranæ in Gallia & Italia clamosæ & garrulæ; in Britannia mutæ, in Hibernia

bernia nullæ. Quidam verò, figmento satis fauorabili, coniectant sanctũ Patricium, aliosq; terræ sanctos, pestiferis cunctis insulam purgasse. Sed probabilior asserit historia, à primis temporibus longeq; ante omnem fidei reuelatæ gratiam, sicut aliarum quarundam rerum, sic & istarũ naturali quodam defectu, semper insulam destitutam fuisse.

Nec mihi mirandum videtur, quod vermium istorum, sicut & pisciũ auiumque, & ferarum quarundam naturalem defectum terra patitur. Sed hoc stupore dignum occurrit, quod nihil venenosum aliunde aduectũ vnquam continere vel potuit vel potest. Legitur namque in antiquis terræ istius Sanctorum scriptis, quod aliquoties, experiendi gratia, serpentes in ollis æneis delati sunt: Sed quam cito medium maris Hibernici cursum transmeauerant: exanimes & mortui reperti sunt. Toxicum quoque similiter allatum mediis in fluctibus innata malitia benignior aura priuauit. De his autem Beda scribit, in hunc modum de Hibernia loquens. Nullum ibi reptile videri soleat, nullus viuere serpens valeat. Nam sæpe illò de Britannia allati serpentes, mòx vt, proximante terris nauigio, odore aëris illius afflati fuerint, intereant. Quinpotiùs omnia penè, quæ de eadem insula sunt; contra venena valent.

Scrutatores tamen Oceani mercatores, asserentes audiuimus, quòd cum naues in portu Hibernico aliquoties exonerassent: Bufones casu illatos in fundo nauium inuenerunt, quos dum viuos in terram proiecissent, statim verso ventre, videntibus & admirantibus multis, medij crepuerũt & interierunt. Constat igitur quod vel Scotorum meritis, (sicut vulgata per orbem asserit opinio) siue ex aëris noua quidem & inaudita, benignissima tamen clementia, siue ex terræ ipsius vi quadam occulta, & venenis inimica: nec animal venenosum hic subsistere potest, & venenum quodlibet aliunde aduectum, omnem malignitatis efficaciam prorsus amittit.

In tantum siquidem terra hæc inimica veneno est: vt si aliarum regionum seu viridaria, seu quælibet alia loca puluere ipsius aspergantur, venenosos ab inde vermes procul exterminet.

Corrigiæ quoque terræ istius non adulterinæ, sed veræ, & de coriis animalium, quæ hic nata sunt, factæ, contra bufonum serpentumq; morsus, in aqua, rasæ & potæ, efficax remedium ferre solent. Vidi oculis meis, corrigiam huiusmodi strictam & arctam bufoni circulariter, periculi causa, circumpositam, ad quam perueniens & transire volens, statim, tanquã percussus capite retrocecidit: partesq; ad oppositas se trãsferens, & corrigiam vndique inuentam, tanquam pestem quandam fugiens, in

medio tandem circuli spatio terram fimosam subito pedibus effossam multis intuentibus subintrauit.

Quin imò, omnia pene quæ de eadem insula sunt, iuxta Bedæ assertionem, contra venena valent. Asserit enim se vidisse, quibusdam à serpentibus percussis, rasa folia codicum, qui de Hibernia fuerant, & ipsam rasuram aquæ immissam, protinus totam vim veneni grassantis, totum inflati corporis absumpsisse ac sedasse tumorem.

Contigit autem nostris diebus in Borealibus Angliæ finibus, iuuenis os dormientis colubrum intrasse & per guttur apertũ in ventrem descendisse. Qui malè suum in continenti remunerans hospitem, eius intestina rodere dentibus & lacerare nõ cessauit. Adeo vt iuuenis ille tantis angustiis torqueretur, quòd morte mori mallet, quàm vitam ducere mortis: post cibũ tamen sumptum aliquã quietem respectu temporis alterius habebat: ante verò penitus nullam. Cum autem loca Sanctorũ Dei per Angliam lustrasset, diu & incassum: tãdem saniori consilio in Hiberniam transuectus, statim aquis terræ illius salubriter haustis, & cibariis sumptis, letalem hostem letaliter extinctum, per inferiora transmisit, & lætus sanitate resumpta repatriauit. Hæc Giraldus; qui & de Baculo, quo S. Patricius venenifera animalia ex Insula expulisse fertur, ista literis prodidit. *Inter vniuersos Hiberniæ baculos, ligneaq; naturæ sanctorum Reliquias, virtuosus ille & famosus (quem baculum IESV vocant) non immeritò præcipuus & primus esse videtur. Per quem, vulgari opinione, S. Patricius venenosos ab Insula vermes eiecit: cuius siquidem tam incertus est ortus, quàm certissima virtus.*

Girald. in Topogr. Hiber. Distinct. 3. cap. 34.

De eodem S. Bernardus in vita S. Malachiæ *Nigellus* (inuasor Episcopatus) *videns sibi imminere fugam, tulit secum insignia quædam sedis illius, textum scilicet Euangeliorum, qui fuit B. Patricij, baculumque auro tectum, & gemmis pretiosissimis adornatum, quem nominant baculum IESV, eò quòd ipse Dominus, vt fert opinio, eum suis manibus tenuerit, atq; formauerit.* Hæc S. Bernardus.

Eiusdem Baculi fit mentio in manuscripta quadam S. Patricij vita, vbi dicitur, ab ipso Domino & Saluatore nostro gestatum, & per seruum suum Amatorem (cuins meminit Baronius in Notationibus Martyrologij Romani ad diem XVII. Martij, & vita S. Patricij typis excusa tomo tertio Bedæ) Patricio muneri transmissum.

Nec

Nec iste tantũ baculus, sed & alij aliorum Diuorum populis illis in magna veneratione semper sunt habiti: *Hoc etiam nõ prætereundum puto*, inquit Giraldus, *quòd campanas baiulas, baculosq; sanctorũ in superiore parte recuruos, auro & argento, vel ære contectos in magna reuerentia tam Hiberniæ & Scotiæ, quàm & Galliæ populus & Clerus habere solent; ita vt sacraměta super hæc longè magis, quàm super Euangelia, & præstare vereantur, & peierare. Ex vi enim quadam occulta, & ijs quasi diuinitus insita, nec non & vindicta (cuius præcipuè sancti illi appetibiles videntur) plerunq; puniuntur contemptores, & grauiter animaduertitur in transgressores.* *Girald. loc. cit. cap. 33.*

Porrò quod interuentu B. Patricij Hibernis diuinitus concessum est, idem etiam obtigit Melitensibus, B. Pauli meritis; nam ex quo vipera sanctam illam manum inuadere ausa fuit; omnia animantia venenifera venenum innoxium in illa Insula habent: *Act. 28.* Et hoc non accidere ex naturali regionis constitutione; sed B. Pauli meritis, inde liquidum fit; quia incolæ illius Insulæ, cum vidissent viperam ex manu S. Pauli pendentem, existimarunt, eum iam iam in tumorem conuersum, animam exhalaturum. Qua sua opinione & exspectatione cum falsi fuissent; *Deum* esse existimarunt. Signum igitur est, viperarum prius in Melita, vt & alibi, mortiferum morsum fuisse; neq; mutationem viperæ, & aliorum alteri, quàm S. Paulo adscribi debere. Ex cuius specu, in quo trimestri habitasse fertur, non Melitenses tantum, sed & aduenæ lapillos cædunt, ad scorpionum & anguium exitiale virus ab humanis corporibus profligandum, vt ait Thomas Fazellus prioris Decadis de rebus Siculis libro primo. Quamuis autem aliæ etiam terræ, nominatim Gaulus Insula non procul Melita distans; venenifera animalia vel non progignant, vel aliunde illata mox interficiant, quod & de Ebuso non longè à Balearibus dissita proditum est; attamen, quod vni solo naturale est, *Vide Fazellum loc. cit.* ad alicui alteri cœlitus per merita sancti cuiuspiam obtigisse; nihil à fide alienum continet. Quapropter licet particulæ terreæ ex Ebuso aut Gaulo in *Colubrariam* Insulam, serpentium feracem, aut aliò illatæ & allatæ ijsdem exitium adferant; non rectè tamen colliges, id quod vni terræ à natura concessum est; id alteri similiter à natura; non à miraculo alicuius sancti obtigisse. Certè puluis pauimenti circa sepulchrum S. Remigij hoc à natura insitum non habuit, vt serpentes fugaret; Et tamen fugauit.

Flodo-

Flodoardus libro primo historię Remensis, de quodam *Colono villæ Remensis Episcopi, qui secus amnem Saram loco lutoso manebat, & in suis habitaculis à serpentibus molestiam magnam sustinebat; hic ergo accipiens puluerem, quem secum ab Ecclesia* (S. Remigij) *pauimento collectum detulerat, per habitacula sua respersit*, & cætera, *ac postea serpens in ijsdem locis non apparuit. Compertum quoq; traditur, quod in omnibus Ecclesiis B. Remigij circumiacentibus atriis vel coemetriis, coluber nunquam soleat inueniri. Sed & si delatus huc aliquo modo fuerit, nullatenus hic viuere possit.* Hæc Flodoardus.

CAPVT XVI.

Benedictione res mirabiliter multiplicatas fuisse.

ILlustre huius rei exemplũ suppeditat nobis S. Hilarion, literis mandatum non ab aliquo ex triuio, sed à S. Hieronymo; qui isthæc. *Alio anno, cum S.* Hilarion *exiturus esset ad visenda Monasteria, & digereret in schedula, apud quos manere, quos in transitu visitare deberet, scientes Monachi quendam de fratribus parciorem, simulq; cupientes vitio eius mederi, rogabãt, vt apud eum maneret. Et ille, quid, inquit, vultis & vobis iniuriam, & fratri vexationem facere. Quod postquam frater ille parcus audiuit, erubuit, & annitentibus cunctis, vix ab inuito impetrauit, vt suum quoq; Monasterium in mansionum ordine poneret. Post diem ergo decimum venerunt ad eum, custodibus iam in vinea, qua venirent illi, dispositis, qui cum lapidibus & glebarum iactu, fundæq; vertigine accedentes deterrerent, sine esu vuæ manè omnes profecti sunt, ridente sene, & dissimulante scire, quod euenerat. Porro suscepti ab alio Monacho, cui Sabas vocabulum est, (debemus quippe parci tacere vocabulum, largi dicere) quia Dominicus erat dies, inuitabantur ab eo vniuersi in vineam, vt ante horam cibi, vuarum pastu laborem viæ subleuarent. Et Sanctus, maledictus, ait, qui prius refectionem corporis, quàm animæ, quæsierit. Oremus, psallamus, reddamus Deo officium, & sic ad vineam properabitis. Completo itaq; ministerio, in sublimi stans benedixit vineã, & suas ad pascendum dimisit oues. Erant autem, qui vescebantur, non minus tribus millibus. Cumque centum lagenis æstimata fuisset integra adhuc*

S. Hieron. in vita S. Hilarionis.

vinea; post dies viginti, trecentas fecit. Porrò ille parcus frater multò minus solito colligens, etiam id, quod habuerat, versum in acetum, serò doluit.

Vides hic, quid sanctorum virorum benedictio valeat. Nec mirum; est enim benedictio opus ipsius Dei; quam per homines, tanquam per suos administros, impertitur. Benedictionis autem diuinæ proprium est multiplicare. *Et benedixit eis* (Israëlitis) ait beatus Dauid; *& multiplicati sunt nimis, & iumenta eorum non minorauit.* En effectum benedictionis multiplicationem scilicet, & quidem valdè luculentam & eximiam. *Psal. 106.*

Non est silendum, quod Adamannus Scotus memoriæ prodidit de S. Columba. *Alio tempore vir beatus quadam nocte cum apud Columbanum, tūc temporis inopem, bene hospitaret, mane primo, Sanctus de quantitate & qualitate substantiæ plebeium hospitem interrogat. Qui interrogatus, quinque tantummodo, ait, vacculas habeo, quæ, si eas bene dixeris, in maius crescent. Quas illico à sancto iussus adduxit, & huius Columbani bucculas quinales æqualiter benedicens, inquit: Centenas & quinque, Deo donante, habebis vaccas, & erit in filiis & nepotibus tuis florida benedictio. Quæ omnia iuxta sancti viri prophetationem in agnis & pecoribus eius; & prole, plenißimè adimpleta sunt: mirumque in modum numerus à sancto præfinitus supra memorato viro in centenario & quinario expletus numero, nullo modo superaddi potuit: nam illa, quæ supra præfinitum numerum excedebant, diuersis prærepta casibus, nusquam comparuerunt; excepto eo, quod aut in vsus proprios familiæ, aut in opus eleemosynæ expendi poterat. In hac itaq; narratione, miraculum & prophetia simul apertè ostenditur: nam in magna vaccarum ampliatione, benedictionis pariter & orationis virtus apparet, & in præfinitione numeri prophetalis præscientia.* *Adam. lib. 2. de Vita S. Columba.*

Idem Adamannus de eodem S. Columba. *Alio tempore quidam iuuenis, Columbanus nomine,* qui ad ianuam *tugurioli subitò perueniens restitit, in quo vir beatus scribebat, hic idem post vaccarū reuersus mulsionem in dorso portans vasculum nouo plenum lacte, dicens ad Sanctum, vt iuxta morem tale benediceret onus. Sanctus tum ex aduerso eminus in aëre signum manu eleuatâ salutare depinxit. Quod illico valde concussum est, gergennaque operculi per sua bina foramina retrusa longius proiecta est; Operculum terra tenus cecidit; lac ex maiore mensurâ in solum defusum est. Vasculum vas cum paruo, quod remanserat lactis super fundum in terra deponit, genua flectit suppliciter. Ad quem, Surge, ait, Columba,* *Adaman. lib. 2.*

 hodie

hodie in tua operatione negligenter egisti. Dæmonem enim in fundo vaculi latitantem vasculi, impresso Dominicæ Crucis signo, ante infusionem lactis non effugasti, cuius videlicet signi nunc virtutem non sustinens tremefactus, toto pariter turbato vase, velociter cum lactis effusione aufugit. Hoc ergo ad me vasculum, vt illud benedicam, approxima. Quo facto, sanctus semivacuum benedixerat vas. eodemq; momento diuinitus repletum repertum est, parumque quod prius in fundo remanserat vasis, sub sanctæ manus benedictione vsque ad summum citius excreuerat.

In vita S. Eligij. Tom. 6. Surij. Parisiis diuerterat S. Eligius Episcopus Nouiomensis ad ædes cuiusdam, qui ei de pauxillo vino, quod adhuc in dolio supererat, haustum obtulit; quem vir sanctus non respuit, sed vt gratiam referret, totam eius domum benedixit. *Altera die vir ille ingressus in Cellarium, cernit vas omnino plenum. Obstupescit igitur ad rei nouitatem: sed mox recordatus sanctitatis Eligij, ocyus se confert ad eum; indicat, quid beneficij sibi propter eum Dominus contulerit: oratque virum sanctum vt veniat secum, & benedictionem impertiat vino illi, & vtendum ex vase proferat. Quod ni faciat protestatur se ne vnam quidem guttam eius vini vnquam hausturum.* Cuius desiderio S. Eligius tandem satis fecit.

Exemplum illustre de panibus benedictione auctis, inuenies *Tom. 7.* in vita B. Iordanis Saxonis Dominicani.

Surij. p. 105. Cap. 38. Benedictione sua oleum auxit S. Seuerinus, de quo hæc Eugippius Abbas in eius vita. *Vir Dei quadam die cunctos pauperes in vna Basilica statuit cōgregari, oleum, prout poscebat ratio, largiturus; quā speciem in illis locis difficillimam negotiatorum deferebat aduectio. Igitur, tanquam benedictionis accipiendæ gratia, maior egenorū turba confluxit; pretiosum quippe ibidem huius liquoris alimentum, auxit turbam, numerumque poscentium. Tunc beatus oratione completa, signoque Crucis expresso, solitum sibi scripturæ sacræ sermonem exprimens ait:* Sit nomen Domini benedictum. *Tunc cœpit oleum propria manu ministris implere portantibus, imitatus seruus fidelis Dominum suum, qui non ministrari venerat, sed potius ministrare, sequensque vestigia Saluatoris, gaudebat augeri materiam, quam officio dexteræ sinistra nesciente fundebat. Completis itaque vasculis pauperum, nihil minuebatur in manibus ministrantium. Tantum igitur Dei beneficium, dum circumstantes tacitè mirarentur, vnus eorum cui nomen erat Biennius, magno timore perterritus, exclamauit dicens: Domine mi, crescit hic cacabus olei, & in modum fontis exundat. Sic liquor ille gratissimus, prodita virtute, subtractus est. Cui statim Christi famulus exclamans ait; Quid fecisti, frater? Obstruxisti*

com-

commodum plurimorum, ignoscat tibi Dominus Iesus Christus. Hæc Eugippius. Qui alibi quoq; ostendit S. Seuerino familiarem fuisse in sermonibus hũc ex Psalmo versiculum: *Sit nomen Domini benedictũ.*

Nec prætereundus hic est S. Martinus Episcopus Turonensis, de quo Sulpicius. *Parum illud est, quod nuper Harpagio presbytero referente cognoui sed non prætermittendum videtur, Auitiani Comitis vxorem misisse Martino oleum, quod ad diuersas morborum caussas necessarium (sicut est consuetudo) benediceret: Ampullulam vitream istiusmodi fuisse, vt rotunda in ventrem cresceret: ore producto, sed oris extãtis concauum non repletum, quia ita moris sit, vascula illa compleri, vt pars vmbonibus obstruendis libera relinquatur. Testabatur presbyter, vidisse se oleum sub Martini benedictione creuisse, quoad exundante copia supernè defflueret, eandemque, dum ad matrem familias vasculum referretur, seruasse virtutem. Nam inter manus portantis pueri ita semper exundasse oleum, vt omne illius vestimentum copia superfusi liquoris operiret. Matronam itaq; ad summum labrum plenum vasculum recepisse, vt presbyter hodie fatetur, obdendi pessuli, quo claudi diligentius seruãda consueuerunt, in vitro illo spatium non fuisse.* Sulpicius Dial. 3.

In hac relatione obserua, oleum à sanctis viris benedictum, etiam domi ad diuersos effectus reseruatum fuisse, vt semper in promptu esset, quoties vtendi necessitas occurreret.

Ibidem subiũgitur hoc miraculum. *Vas vitreum cum oleo, quod Martinus benedixerat, in fenestra paululum editiore deposuit. Puer familiaris incautior linteum super positum, ampullam ibi esse ignarus, attraxit, vas super constratum marmore pauimentum decidit, cunctis metu exterritis, ne benedictio deperisset, ampulla perinde incolumis est reperta ac si super plumas mollissimas decidisset. Quæ res non potius ad casum, quam ad Martini est referenda virtutem, cuius benedictio perire non potuit.*

Vini per benedictionem mirum in modum aucti mirabile exemplum suppeditat nobis Bonifacius Ferentinę Ciuitatis Episcopus, quod S. Gregorius in suos Dialogos retulit; cuius incrementi varia testimonia occurrunt apud Philippum Ferrarium in Catalogo Sanctorum Italiæ; nam S. Mamilianus Episcopus benedictione modicum vini adeo auxit, vt & ipsi, & Sociis, & 29. nautis in longa nauigatione suffecerit. S. Vincentius, Ordinis B. Dominici, paucos panes benedictione ita multiplicauit, vt duo millia hominum inde satiarentur. Parum acescentis vini in optimum & planè generosum conuertit; vnde aliquot millia sitim leuarunt. Pauxil-

lum vini, cui benedictionem suam impertiuerat, sex millibus hominum vberem largumque potum præbuit. Hospiti, apud quem diuersabatur; vicis reponendæ caussa, farinam vinumque memorando incremento cumulauit. S. Germanus Episcopus Antisiodorensis quinq; panes & totidem mensuras vini benedicendo vsque adeo multiplicauit; vt reficiendis 700. *& pluribus* conuiuis satis fuerint. S. Wilibrordus benedictione sua bis exiguum vini copiosius effecit. Cum S. Alferius non haberet, nisi quinque oua, septem hospitibus apponenda, benedictione obtinuit, vt ad septenarium numerum peruenirent.

Tom. 4. Surij.

Tom. 6. Surij.

Tom. 7. Surij.

Quia verò sæpius in hoc primo libro Adamannum veterem Scotum, hoc est, Hibernum, testem laudauimus, & sequenti etiam libro sæpius laudaturi sumus, non abs re erit commemorare Elogia à Venerabili Beda in ipsum collata; ne quis antiquitatis ignarus, aliquem de triuio fuisse opinetur. Ita ergo Beda: *Erat Adamannus vir bonus, sapiens, scientia scripturarum nobilißimè instructus, vnitatis & pacis studiosißimus, Christi famulus, ad vitam raptus æternam.* Alibi: *Adamannus sanctus ac dignus Deo sacerdos Columbiensium* (ita Monachi, discipuli & posteri S. Columbæ appellabantur) *egregius, miram in moribus & verbis prudentiam, humilitatem, religionem ostendens, &c.* Et in libello de locis sanctis in peroratione: *Eruditißimus in scripturis presbyter Adamannus, vir venerabilis, scriptor pulcherrimæ historiæ,* de locis nimirum sanctis, ex ore Arnulphi Episcopi Gallicani.

Beda lib. 5. Hist. c. 16.

Cap. 22.

Finis libri primi.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

DE BENEDICTIONE, VT EST CONSECRATIO ET DEDICATIO, SEV SANCTIFICATIO.

CAPVT PRIMVM.

Quænam in Ecclesia Catholica benedici, hoc est, consecrari soleant.

BEnedictio, vt consecrationem denotat, duplex est; altera, publica & solennis; quæ certa verborum formulâ, peragitur; altera, priuata, qua viri sanctimonia vitæ pollentes rem consecrāt, nullâ certâ verborum formula; interdum solo sacrosanctæ Crucis signaculo adhibito: cuius benedictionis capaces sunt tam homines, quàm res sensu & ratione carentes: Nam Ordinationes Ministrorum Ecclesiæ, vt Papæ, Episcopi, Sacerdotis, Diaconi, Subdiaconi, & eorum, qui his gradu inferiores sunt; nihil aliud sunt, quàm benedictiones, quibus tales consecrantur, & diuino cultui penitus addicuntur. In Ritualibus insuper libris inuenies *Benedictionem Abbatis* absolutè: *Benedictionem Abbatis auctoritate Apostolica*: *Benedictionē Abbatis auctoritate Ordinarij*. *Benedictionem Abbatissæ*. *Benedictionem & Consecrationem Virginum*. *Benedictionem & Coronationem Imperatoris, Regis, Reginæ, noui Militis.* Quæ benedictiones à solis Episcopis cōferuntur; & benedictio seu coronatio Regis Romani in Imperatorem, à solo Pontifice Maximo.

Vide Pontificale Romanū Clement. VIII. auctoritate editum.

Ex rebus sensu & ratione destitutis benedicūtur & consecrātur *primus lapis* pro Ecclesiæ ædificio, & ipse *fundus* ad hoc ædificiū destinatus; *Templa, Altaria, cœmeteria, calices, patenæ, vestes sacerdotales*, quibus diuinum officium peragitur, *mappæ & lintea altaris, Corporalia.*

poralia. Crux noua, Crux pectoralis. Imagines Deiparæ, Imagines aliorum Sanctorum. Pyxis seu *Ciborium*, in quo Eucharistia asseruatur. *Theca* pro sacris Reliquiis. *Campanæ, Arma, Ensis. Vexillum militare, Chrisma, oleum pro infirmis*; quorum benedictio ex iure & more Episcopis competit. Qua de caussa ipsi etiam *Pontificali*, harum benedictionum formulæ insertæ sunt.

Mos etiam Ecclesiasticus habet, vt alia benedicantur ac consecrentur: inprimis esculenta & poculenta. Quare in Missali Romano exstant benedictiones *Agni Paschalis, ouorum, panis, nouorum fructuum: formula generalis ad quodcunque esculentum. Benedictio candelarum, & cereorum die Purificationis: Cerei Paschalis. Benedictio loci, nouæ Domus, thalami, nouæ nauis, aquæ, salis, palmorum, cinerum.* Frequenter etiam in Historiis occurrit benedictio olei. His adde benedictiones, *Rosæ, Rosariorum, Medaliorū* seu *Numismatum*, & *Iconcularum*, quas *Agnos Dei* vocamus, quæ à summo Pontifice benedici solent. De quibus sigillatim agere, infinitum fuerit. Itaque non omnium, sed tantùm quarundam rerum inanimatarum benedictiones persequemur, exorsi à vulgatissima benedictione aquæ; vbi tamen prius ostenderimus, res tam nunc enumeratas, quàm alias meritò benedici, & benedicendo consecrari; nam hæreticis naribus benedictio ista non modò superstitionem; sed & incantationem olere videtur.

CAPVT II.

Defenditur prima ratio Card. Bellarmini pro salutari benedictionum vsu aduersus Danæum Caluinistam.

Bellarm. lib. 3. de cultu Sanctorum c. 8.

ILlustrissimus Cardinalis Bellarminus aliquot rationibus probat, has benedictiones omni superstitione carere, Deoq; gratas, & hominibus salutares esse, quarum prima sumitur ab exemplo Christi, qui Matth. 14. & Luc. 9. Panes multiplicaturus aspexit in cælum, & benedixit eos, & benedicendo multiplicauit. Cur hoc Saluatoris factum non liceat imitari? Quod si panis rectè ac religiosè benedicitur, cur non etiam sal, oleum, caro, cætera?

Responsurus ad hanc rationem Lambertus Danæus Caluinista, qui impurissimis suis Scholiis primum & secundum Tomum Bellarmini inquinare studuit; prius mirificè sibi gratulatur; quòd

Bellar-

Bellarminus palam scribat, Waldenses, Flagellantes, Wiclephistas, & hæreticos in Bohemia grassantes, benedictionibus aquæ, salis, vini, olei, &c. contradixisse; idemque postea factitatum à Luthero & Caluino, eorumque asseclis. Vociferatur Danæus: *Contra se ostendit (Bellarminus) quauis ætate illis superstitionibus in Ecclesia Dei contradictum à piis viris.*

Quomodo, quæso, *quauis ætate?* Vbi Waldenses erant ante annum M. C. LX. Vbi *Flagellantes* ante annum M. CCC. L. Vbi Wiclephistæ ante Wiclephū? Vbi Hussitæ ante Hussum? Vbi Lutheristæ & Caluinistæ ante Lutherum & Caluinum? *Quauis ætate benedictionibus istis contradictum est.* Quæso, quis contradixit sæculis superioribus, vsq; ad supradictos Sectarios? Deinde, quæ hæc consecutio? *Quauis ætate contradictum est benedictionibus istis; debent ergo explodi.* Quid si dicam ego, & quidem longè verius? Quauis ætate contradictum est Christo, & sacrosanctæ Trinitatis Mysterio, à Iudæis, Ethnicis, Hæreticis. Num tu tuam *consequentiam* annectes? Debebis certè annectere, si ex contradictione rem abiiciendam esse statuere velis.

Rideo autem, cum Danæus *Lutherum & Lutheranos*, viros *pios* nominat. Quomodo tibi *viri pij*; qui te & tuos in Caluini castris Sycramotas, ne in fratrum quidem loco numerant? Qui Sacramētarios extremè detestantur, & vltra glacialem Oceanum ablegandos existimant? Nec Caluinus vnquam Waldenses suam in synagogam apertè cooptauit; semper nescio quid in illis desiderans, vt fusius demonstraui in Prolegomenis ad Scriptores contra Waldensium hæresin à nobis publicatos.

Clamat Danæus: *Isti perpetua successione errori, & Magiæ, & superstitioni restiterunt.* Quomodo *perpetua successione?* Oro te, confice mihi Indicem huius *perpetuæ successionis*; siue ascendendo ad Apostolica tempora; siue descendendo ad nostra. Si ascendes, quos vltra Waldenses dabis? Si descendas, quos ante Waldenses perpetua successione & nusquam interscisa serie inuenies?

Sed iam Danæus ad hominum propius accedit; & ad dissolutionem primi argumenti Bellarminiani fortiter sese accingit. *Respondeo*, inquit, *falsum est, quod ait iste, Christum benedixisse panes.* Dicitur enim εὐχαριστῆσαι *gratias egisse non panibus, sed Deo.* Audiamus ergo S. Matthæum. καὶ λαβὼν τοὺς πέντε ἄρτους, καὶ τοὺς δύο ἰχθύας, ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν, εὐλόγησε &c. Quem locum ita vertit Beza: *Et acceptis quinque illis panibus, & duobus illis piscibus suspiciens in cælum* Matth. 14. v. 19.

lum

lum benedixit. Quid ais Danæe? Num vtitur S. Matthæus verbo εὐχαριστεῖν, non verbo εὐλογεῖν? Quid est εὐλογεῖν, nisi *benedicere*? Si mihi non credis, crede tuo Bezæ. Quid benedixit Christus? *Panes & duos Pisces.* Occines, Matthæum hoc non dicere, cum absolutè dicat, εὐλόγησε: hoc etiam ad Deum referri posse; quasi Christus
Luc. 9. *Deum benedixerit.* Hoc effugium excludit S. Lucas; qui disertè.
v. 16. λαβὼν δὲ τοὺς πέντε ἄρτους καὶ τοὺς δύο ἰχθύας, ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν, εὐλόγησεν αὐτούς. Beza. *Acceptis quinque illis panibus, & duobus piscibus, suspiciens in cælum, benedixit eis.* Græcè. *Benedixit eos.* Necdum erubescis Caluinista: qui vel ex malitia, vel ex oscitantia credidisti caput sextum S. Ioannis à Bellarmino citatum, cum non S. Ioannem, sed S. Matthæum, & S. Lucam allegauerit.

Secundò respondet Danæus, non esse probam consecutionem. *Christus benedixit panes & pisces, ergo etiam alia, vt lardum, seu perna, rami, cera, sal, benedici possunt, quoties vult Sacerdos, & ordinariè.* Cur verò mala hæc consecutio? An panis & pisces magis sunt capaces benedictionis, quàm creaturæ aliæ? Si magis capaces sunt, quæso cur? An propter formam? An propter materiam? An pro-
1. Tim. 4. pter vtranque? An non expresè affirmat Apostolus: *Omnem creaturam Dei esse bonam, eamque sanctificari per verbum Dei & orationem?* Vtique non solus panis, neque soli pisces creatura Dei sunt; sed & alia. Possunt ergo & ipsa per verbum Dei & orationem sanctificari; & quidem *ordinariè*: hoc est, quoties necessitas exigit. Cur enim si hoc die benedicantur; benedictio rebus eiusdem vel diuersi generis alio die impertiri nequit? An benedictio semel vsurpata; inutilis aut inefficax efficitur?

Obstrepit Caluinista. *Quod tunc egit Christus, fuit miraculum, non ergo trahi debet in exemplum.* Multiplicatio panum & piscium miraculum fuit. Ipsa benedictio miraculum non fuit; nam quiuis potest rebus tam animatis, quàm inanimatis benedicere; etiam Balaam homo certè non bonus, benedixit Israëlitis, seu Israëlitas. Effectus benedictionis miraculosus fuit; non ipsa caussa, quæ erat benedictio. Quapropter qui benedicit aquã, salem, panes, oleum, & alia huius classis, nullum miraculum facit; pius tamen rerum ita benedictarum vsus, sæpe miracula parit; vt plurimis exemplis suo loco demonstrabitur.

Addit Danæus: *Factum Christi caruisse magia.* Etiam nostræ benedictiones, ô bone, eadem macula carent. *At nostræ sunt vi certo-*
rum

rum verborum. Num verba certa argumentum sunt Magiæ? An non & vos vestram cœnam obitis certis verbis? An non legitis partem capitis vndecimi ex prima Epistola ad Corinthios? Cur non legitis aliquid ex Genesi, aut ex libris Regum, aut ex Epistola ad Hebræos, aut ex Apocalypsi? Quis Caluinistarum & Lutheristarum se legitimè cœnasse existimaret, si verba Cœnæ ex S. Paulo non recitarentur? Absit tamen, vt vllam Magiam Cœnæ suæ admixtam credant.

Deinde in veteri Testamento præscripsit Deus Aaroni certam verborum formam, qua populo benediceret, vt vidimus libro primo: qua adhibita Deus promisit se populo cœlestem benedictionem largiturum. Num & hîc Danæus ob certa verba Magicũ quiddam odoratur? Et quamuis nonnullis solennibus benedictionibus, ex Ecclesiæ instituto, certa verborum formula præscripta sit; absolutè tamen benedictiones ad certam formam non adstringuntur; cum res etiam sine vllis verbis, solo sanctæ Crucis signaculo benedici & sanctificari queant. Sanctiq; viri in rebus benedicendis iam his, iam illis, quæ spiritus suggerit, verbis, vsi olim fuerint, & iam quoq; vtantur.

Obijcit Danæus: *Christum non ordinariè panes benedixisse; sed extraordinariè*; hoc est, *semel tantum non sæpius; non ergo exemplo Christi frequentes istas totiesque iteratas benedictiones defendi posse.* Respondeo, Christum vltimam quoq; cœnam semel tantum, & extra ordinem sibi alioqui consuetum celebrasse: Et tamen Caluinicolæ & Lutherisequæ sæpius in anno cœnant; & quod Christus semel duntaxat egit, crebrius agunt.

Dicent; Christum dedisse mandatũ sæpius cœnam celebrãdi: *Hoc facite in meam commemorationem*, non dedisse autem mandatũ benedicendi panes, & similia. At vnde probant, non dedisse mandatum? Quia scilicet non est scriptum. Huc enim se tandem recipiunt. Quasi verò omnia præcepta Christi sacris literis comprehensa fuerint; nullumq; eorum traditione ad posteros peruenerit. Adhæc, vt mandatum deesset, satis nobis foret exemplum Christi; quod cum sit ex eorum numero, quæ imitabilia sunt, iure credimus, Christum benedicendo panes & pisces, illud quasi nobis instillasse; *Exemplum dedi vobis, vt sicut ego feci, ita & vos faciatis*. Præsertim, cum Apostolo docente sciamus; omnem creaturam Dei, tametsi naturâ suâ alioqui bonam, *sanctificari per verbum Dei*,

bum Dei, & orationem, de quo Apostoli loco copiosius iam disserendum est.

1. Tim. 4. Locus ita habet. *Omnis creatura Dei bona est, & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur; sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem.* Hinc manifestum fit, creaturas Dei, quæ alioqui bonæ sunt, per verbum Dei & orationem, perque signaculum sanctæ Crucis, & diuinæ opis implorationem, aliquid acquirere, quod sine verbo Dei & precibus non habent: Sanctificantur enim per verbum Dei & preces; atq; adeo ex rerum communium & vulgarium numero eximuntur. Est autem verbi Dei & orationis tanta vis, vt S. Chrysostomus putet, Apostolum, quasi ex hypothesi locutum, hanc ratiocinationem instituere voluisse: Licet aliqua creatura non esset bona, vt quibusdam Hæreticis deliratoribus visum, ea tamen verbi Dei & orationis vis ac efficacitas esset; vt si creaturis nō bonis adhiberentur, in eas statim bonitatem transfunderent. Etsi aliqua creatura *immunda* esset, *medicamentum in promptu esset*, inquit S. Chrysostomus. *Signum illi Crucis imprime, gratias age, Deo gloriam refer, & protinus immunditia omnis abscessit.*

S. Chrysost. Homil. 12. in Epist. 1. ad Timoth.

Danæus dicit; locum Pauli intelligendum, *de Deo inuocando antequam cibum sumamus, ac proinde nihil ad benedictiones facere.* Et tamen ipsimet sectarij preces, quas cibi potusq; sumptioni præmittunt; *benedictionem mensæ* indigitant. Quomodo igitur locus iste nihil ad rerum benedictiones; si pertinet ad benedictionem mensæ? Quanquā verum non est, ad solam benedictionem mensæ spectare: vt enim Apostolus de *omni creatura* Dei affirmat, quòd bona sit; ita de omni affirmat, quòd sanctificetur per verbum Dei & orationem. Si sanctificatur; aliquid ergo adipiscitur, quo prius carebat. Quid autem illud sit, suo loco explicabimus.

Nec benedictio mensæ tantùm est gratiarum actio; vt delirat Danæus; sed est precatio, vt nobis cibus, potusq; salutaris accidat: quæ precatio à gratiarum actione longè diuersa est. Nec gratiarum actionem, sed benedictionem sonat formula illa à Luthero in Catechismo minore tradita: *Domine Deus, pater cœlestis, benedic nobis & his donis tuis, quæ de tua largitate sumimus.* Vt & illa Caluini in Catechismo Geneuensi: *Domine, penes quem fons est, bonorum omnium, & inexhausta scaturigo, benedictionem tuam in nos effunde, nobisq; cibum & potum, quæ tuæ erga nos benignitatis dona sunt, in vsum nostrum sanctifica, &c.* En Caluinus tuus benedictionem

& sanctificationem cibi potusq; à Deo postulandam docet; non ergo in sola gratiarum actione benedictionem mensæ posuit.

CAPVT III.

Defensio secundæ rationis Bellarminianæ aduersus eundem Danæum Caluinistam.

SEcũdo probat Bellarminus benedictiones licitas, Deoq; acceptas esse, ex traditione veterum: Nec tamen omniũ benedictionum exempla adducit, quod infinitum fuisset, sed aquæ tantum, olei, panis, cerei Paschalis, Palmarum & cinerum. Ait Bellarminus: De aquæ benedictione ab ipso tempore Apostolorum exstare innumerabilia testimonia.

Occinit Danæus: *Patres docere, solum baptismi aquam, non aliam, Deo consecrandam esse, id est, Deo, Deiq; institutioni ad signum lotionis peccatorũ & vitæ regenerationis destinandam, declarandam, dicandam.* Tradunt quidem patres, aquam baptismi esse benedicendam, sed non hanc solam; neq; omnes patres, quos Bellarminus citat, de sanctificatione aquæ ad baptismum adhibendæ, sed etiam de cuiuscunq; alterius aquæ benedictione loquuntur; vt intelliges ex Clemente Romano, quem Bellarminus in prima acie collocat: *Clem. lib. 8. cap. 29.* Is enim sub persona Matthæi Apostoli hanc aquæ & olei benedicendi formam præscribit. *De aqua & oleo ego Matthæus constituo: vt benedicat Episcopus aquam: si verò non aderit, benedicat presbyter, præsente Diacono. Cum verò Episcopus aderit, assistant presbyter & Diaconus. Dicant autem in hunc modum. Domine Sabaoth, Deus virtutum, creator aquarum, & largitor olei, miserator & amator hominum, qui dedisti aquam ad bibendum & abluendum, & oleum ad exhilarandum faciem in exultationem lætitiæ, ipse etiam nunc sanctifica per Christum hanc aquam, & oleum ex nomine eius, qui obtulit, vel quæ obtulit; & tribue ei vim sanandi, & depellendi morbum, fugandi dæmones, expellendi insidias, per Christum spem nostram. Cum quo tibi gloria, honor & cultus, ac sancto spiritui in secula Amen.* Num hæc formula solummodo ad aquam baptismalem pertinet: cuius benedicendæ rationem non hic, sed alibi iam Clemens tradiderat his verbis: *Aspice e cælo, & sanctifica hanc aquam: tribue autem gratiam & vim, vt qui baptizatur secundum mandatum Christi tui, cum eo crucifixus, commortuus,*

tuus, consepultus ac consuscitatus sit in adoptionem, quæ in eo fit, vt mortuus quidem sit peccato, viuat autem iustitiæ.

Alexand. Epist. 1.

Citat Bellarminus Alexandrum I. Pontificem, qui præcipit *aquam benedici.* Num de baptismali aqua loquitur? Quæso, inspice textum Epistolæ, & si vacat, breuiculam vitam Alexandri in Anastasio; vbi inuenies istud: *Hic constituit aquam aspersionis cum sale benedici in habitaculis hominum.* Num hæc de aqua baptismatis intelliguntur? Omitto reliquos Auctores, quorum pleriq; non de baptismatis aqua, sed absolutè de benedictione aquæ agunt; vt conferenti patebit.

Ex qua collatione constabit pariter, quàm Danæus temerarius & mendax assertor sit, qui putat, benedictionem aquæ baptismatis, de qua patres loquuntur, nihil esse aliud, quàm *destinationem, declarationem & dicationem aquæ ad signum lotionis peccatorum.* Quid tergiuersaris Caluinista? Iam audiuisti ex Clemente, *benedictionem* aquæ baptismalis, esse *sanctificationem*: Petitur enim à Deo, vt aquã illam *sanctificet*: Et, teste Apostolo, omnis creatura sanctificatur per verbum Dei & orationem: ergo & aqua baptismi. Nec dicit Apostolus: *destinatur, declaratur, dicatur*: sed *sanctificatur*, ἁγιάζεται. Audin Caluinista? Aperi aures.

Clamat Danæus: *Quis vnquam hoc negauit?* hoc est, aquam, qua Caluinistæ baptizare volunt, destinari ad signum lotionis peccatorum? *Certè nostrorum nemo.* Fortè, quod tu blateras, nemo Caluinistarum negat. At quod S. Clemens & alij de benedicenda baptismatis aqua scribunt; id, puto, eiusmodi est, quod nullus Caluinistarum toleret; qui adeo sollicitè cauent, ne aqua ad baptismum peculiari ritu consecrata vti videantur, vt ipsa etiam baptisteria, vbicunq; licuit, ex templis eliminauerint, & cum infans baptizandus est, aquam ex proximo fonte aut puteo in pelui aliqua hauriant & adferant.

CAPVT

CAPVT IV.

Quotuplex sit benedictio aquæ, & quis benedictionis huius Auctor.

AB aqua tanquã à re vulgatissima, auspicabimur. Potest autem duplex aquæ benedictio constitui; & idem dicendum de plerisq; aliis rebus, vt de oleo, pane, sale, fructibus, & id genus aliis, quæ benedicendo sanctificari solent. Altera solennis & publica, quæ fit ab Ecclesiæ ministro ad id deputato certo ritu, certaq; verborum forma; altera, priuata, quæ fit priuato quasi nomine per signaculum Crucis, aut per piam aliquam precem, conceptam, prout benedicenti libuerit: quo pacto viri sancti sæpe aquam, oleum, panem, vinum, & similia benedixerũt.

Solennes aquæ benedictiones variæ sunt in Ecclesia: benedicitur enim sal & aqua ad benedictionẽ & positionem primarij lapidis pro Ecclesia ædificanda. Secundò, pro Ecclesiæ, sacelli, altaris, cœmeterij & campanarum dedicatione ac consecratione. Tertiò, pro Ecclesiæ vel cœmeterij recõciliatione; quarum benedictionũ formulæ in libris Ritualibus, nominatim in Põtificali Romano, quod ante aliquot annos iussu Clemẽtis VIII. recognitũ est; inueniunt. Quartò, benedicitur aqua baptismatis, idq; bis in Latina Ecclesia, nimirũ in Vigiliis Paschæ & Pentecostes; cuius ritũ Rituales libri exhibent. Quintò, benedicitur in Latina Ecclesia singulis diebus Dominicis sal & aqua, vt inde populus, & alia aspergantur, vtque ab ipsis etiam fidelibus, in vasculis mundis, domum deportari & religiosè vsurpari possit. Hæ videntur primariæ benedictiones aquæ quas Romana Ecclesia præcipuè frequentat.

Sed quis earum Auctor? Ego hic ad regulam D. Augustini confugio. *Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.* (*S. August. lib. 4. de baptis. contra Donatistas.*) At saltem benedictiones aquæ baptismalis & eius, quæ fit populi aspergendi & sanctificandi causa; vniuersa Catholica Ecclesia vsurpat & semper vsurpauit. De benedictione baptismali plurimos & antiquissimos testes habemus: In primis S. Clementem Romanũ, cuius verba iam suprà recitauimus. (*Clem. lib. 7. cap. 44.*) Deinde S. Dionysium Areopagitam, qui dicit, aquam baptismatis *sancta prece ac inuocatione* sanctificari, ter crucis in modum oleo in aquã infuso. (*S. Dionys. in Ecclesiast. Hierarũ. cap. de Baptis. o.*)

S. Basil. lib. de Spiritu sancto cap. 27. S. Cyrill. Catech. 3. S. Cypr. lib. 1. Epist. 12. S. Ambros. lib. de his qui Mysteriis initiantur. cap. 3. & lib. 1. de Sacrament. cap. 5. S. August. lib. 50. Homil. Hom. 27. Tom. 1. lib. 4. cap. 13. S. August. Serm. 19. de Sanctis.

S. Basilius disertè scribit: Aquæ baptismalis benedictionem esse traditionem Apostolicam. Meminerunt eiusdem alij Patres, vt S. Cyrillus Hierosolymitanus. S. Cyprianus *oportet*, inquit, *mundari & sanctificari prius aquas à Sacerdote.*

Eadem mens est S. Ambrosio; qui apertè ait: *formam baptismatis & vsum hoc habere, vt antè fons consecretur, & tunc descendat, qui baptizandus est: nam vbi primùm ingreditur Sacerdos, exorcismum facit, deinde super creaturam aquæ inuocationem, postea & precem defert, vt sanctificetur fons, & adsit præsentia Trinitatis æternæ.* S. Augustinus: *Baptismus, id est, salutis aqua non est salutis, nisi in Christi nomine consecrata, qui pro nobis sanguinem fudit, Crucis ipsius aqua signetur.* Quod quomodo intelligendum sit, explicaui in opere de sancta Cruce, vbi etiam ostensum, huic benedictioni aquæ baptismalis, semper adhibitum signum sanctæ Crucis; quod etiam S. Augustinus testatur; cum ita scribit: *Crucifixus noster à morte surrexit, & cœlos ascendit. Crucem nobis in memoriam suæ passionis reliquit ad sanitatem. Hoc signum præsidium est amicis, obstaculum inimicis. Huius Crucis mysterio rudes catechizantur, eodem mysterio fons regenerationis consecratur, eiusdem crucis signo per manus impositionem baptizati dona gratiarum accipiunt. Cum eiusdem Crucis charactere Basilicæ dedicantur, altaria consecrantur, altaris Sacramenta cum interpositione Dominicorum verborum conficiuntur. Sacerdotes & Leuitæ per hoc ipsum ad sacros ordines promouentur: Et vniuersaliter omnia Ecclesiastica Sacramenta in huius virtute perficiuntur.*

Exstant Tom. 6. Biblioth. SS. Patrũ.

Eiusdem aquæ baptismalis consecratio vsitata fuit Alexandrinis & Ægyptiis ac Æthiopibus, vt patet ex ratione administrandi baptismum Seueri Patriarchæ Alexandrini, & ex alia eiusdem Sacramenti conferendi formula, in Æthiopum Ecclesiis recepta.

Meritò igitur ad Apostolicam institutionem, tanquam ad primam originem hæc consecratio reuocatur. Quod & de illa aquæ benedictione, quæ fit pro populo aspergendo & sanctificando, inque alios vsus; dictum esto; nam & huius meminit Clemens Romanus, imò eius benedicendæ formam præscribit; Et hanc benedictionem vniuersa frequentat Ecclesia; Romana quidem singulis diebus Dominicis, excepto Paschæ & Pentecostes festo, eò quod pridie harum solennitatum benedicatur & consecretur fons baptismatis, ex cuius aqua fidelibus pars aliqua, etiam domum asportanda, datur, vt inquit Durandus, prius tamen,

Durand. lib. 4. cap. 4.

quàm

quàm chriſma infundatur. De quo in capitularibus Francicis: *Sabbato ſancto Paſchæ, vel in Sabbato Pentecoſtes, ſi qui velint aquam conſecratam ad aſperſionem in domos ſuas recipere, ante chriſmatis infuſionem accipiant.* Quod in ſuum decretum tranſtulit Gratianus. *De Conſecrat. Diſt.4. cap.126. & Iuo p.1. cap.112.* Tempore Gregorij Turonẽſis poſt chriſma infuſum diſtribuebatur hęc aqua fidelibꝰ. Quod reuerentiæ cauſa ſæculis poſterioribus meritò mutatũ eſt. *In lib. 6. cap.77.*

Græca Eccleſia primo cuiuslibet menſis die aquam benedicit; excepto Septembri & Ianuario; nam in illo, die XIV. in iſto autem, die ſexto, in ſolennitate ſcilicet Theophaniæ, aqua benedicitur; vt liquet ex Georgij Codini libello *de Officiis Aulæ Conſtantinopolitanæ.* Menſtrua illa benedictio vocatur μικρὸς ἁγιασμὸς, quaſi dicas; *parua benedictio ſeu ſanctificatio*: Altera in Ianuario appellatur μέγας ἁγιασμὸς, *magna benedictio ſeu ſanctificatio*, quæ appellationes a ritu deſumptæ ſunt; nam prior minus ſolennis eſt; poſterior ſolenniſſima, de vtraq; dicemus infrà.

Eadem benedictio aquæ vſitata eſt Armenis, Antiochenis & Syris & Æthiopibus ſeu Abaſſinis, & Mozarabibus in Hiſpania, vt planum fit ex benedictionis formulis, quas ad calcem ſuæ Hydragiologiæ profert Marſilius Columna.

Quorſum igitur origo huius benedictionis rectius referatur, quàm ad Apoſtolos; cum quemcunq; tandem Auctorem Apoſtolis recentiorem nominaueris, ſemper proferre liceat aliquem ſcriptorem, ex cuius teſtimonio maior antiquitas benedictioni huic tribuenda ſit; nam plerique Hæretici contendunt Alexandrum I. Pontificem; huius benedictionis inſtitutorem eſſe; cuius verba hic tibi apponam. *S. Alex. Epiſt. 1.*

Aquam ſale conſperſam populis benedicimus, vt ea cuncti adſperſi, ſanctificentur ac purificentur; quod & omnibus ſacerdotibus faciendum eſſe mandamus. Nam ſi cinis vitulæ adſperſus ſanguine, populum ſanctificabat atq; mundabat; multò magis aqua ſale adſperſa, diuiniſq; precibus ſacrata, populum ſanctificat atq; mundat. Et ſi ſale adſperſo per Heliſeum Prophetam, ſterilitas aquæ ſanata eſt: quanto magis diuinis precibus ſacratus, ſterilitatem rerum aufert humanarum, & coinquinatos ſanctificat, atq; mundat & expurgat, & cætera bona multiplicat, & inſidias Diaboli auertit, & à Phanthaſmatum verſutiis homines defendit: nam ſi tactu fimbriæ veſtimenti Saluatoris ſaluatos infirmos eſſe non dubitamus, quanto magis virtute ſacrorum eius verborũ diuinitus ſacrantur ele- *Hebr. 9.*

tur elementa, quibus sanitatem corporis & animæ humana percipit fragilitas. His ergo *& aliis instructi documentis, vota singulorum, Domini Sacerdotes, respicite, & in virtute Spiritus sancti diuinis precibus, per ministerium vobis diuinitus collatum, perficere certate. Elementa quoque, tam ea, quæ prædiximus, quàm cætera diuinis apta vsibus, & humanis necessaria infirmitatibus, sacrate.*

Hæc S. Alexander; vbi nulla noua institutio, sed eius, quod iam institutum erat, commendatio, vt diligenter præstetur; Aliud est mandare executionem rei: aliud, rem instituere: nisi forsan credis, Alexandrum etiam oblationem corporis & sanguinis Domini, & infirmorũ curationem instituisse; quia ibidem Sacerdotes seriò monet, vt sæpè & sanctè salutarem hostiam offerant, *&* Marci 16. *infirmos curent, ægros sanent, leprosos mundent*: eò quòd scriptum sit; *super infirmos manus imponite, & bene habebunt.* Antiquior ergo hoc Pontifice est aquæ benedictio. Quod etiam innuunt illa verba: *Aquam sale conspersam populis benedicimus.* Quæ morem iam inueteratum indicant.

CAPVT V.

Refelluntur nugamenta Caluini, Hospiniani & Danæi.

Caluin. lib. 4. Institut. cap. 10. §. 20. EX his, quæ capite antecedente disputauimus, euanescit Caluini obiectiuncula oggerentis; Catholicos secũ pugnare: *dum dicunt, aquæ benedictionem esse traditionem Apostolicam, & tamen referunt eius institutionem ad Alexandrum Papam: qui fuit se[...] à S. Petro.*

Respondeo, catholicos, qui rem rectè perpendunt; institutionem huius benedictionis referre ad Apostolos; ad Alexandrũ autem solummodo præceptum huius institutionis exercendæ ac frequentandæ. Nam quòd Hospinianus Caluinista Platinam producit, parum moramur; multoq; minus, quòd suos consecraneos Funcium & Pantaleonem nobis obtrudit. Verba Alexandri non sonant institutionem primam; sed institutionis exercitium.

Clamat Danæus; *ex ipsa Epistola contrarium liquere.* Iam ex Epistola Alexandri audiuimus omnia illa, quæ ad propositum pertinent. Nihil hic visitur aut legitur, quod Alexandrum ritus huius primum institutorem esse indicet.

Neq;

Neq; tacitus præterire possum fraudem quãdam Hospiniani: qui isthæc: *Aquam lustralem non à Deo institutam Gabriel ingenuè fatetur in 4. D. 1. Q. 1. a. 1. sed ab Alexandro primo, qui Romanæ Ecclesiæ circa annos Christi 113. præfuit, in Ecclesiam introductam esse, his verbis indicatur de Consecrat. Dist. 3. Aquam sale conspersam in populis benedicimus, vt ea cuncti aspersi sanctificentur & purificentur: quod omnibus sacerdotibus faciendum esse mandamus.* Vbi verba ita connectit; quasi omnia sint Gabrielis: cum Gabriel nihil aliud dicat; nisi istud; dum definitionem Sacramenti exponit. *Dicitur*, ex institutione diuina: *per quod excluduntur signa purè naturalia, vt lotio balnei, & aqua benedicta, quia non à Deo, sed ab Ecclesia instituta.* Ita Gabriel. Vbi nihil de Alexandro; sed de Ecclesia; quo nomine si Apostolicam intellexero, nihil à Gabrielis sensu alienum fecero. Si ab Apostolica Ecclesia descendit; est ergo traditio Apostolica. Alexandrum præfuisse Ecclesiæ circa annum Christi 113. inscitia Hospiniani est. Pontificatum enim inijt Alexander Anno Redemptoris 121. *Hospin. loc. cit.*

Ridenda est autem Danæi inficeta ineptia cum ait; Ex aqua lustrali, Decreto Alexandri introducta; natũ esse Canonem illum, *Vir cum propria* 33. Q. 4. qui desumptus est ex Responsionibus S. Gregorij *ad Interrogata* Augustini: nam S. Gregorius non iubebat, vt post copulam cum legitima vxore vir ablueret se aqua benedicta, sed vt aquâ simpliciter; qua sordes corporis purgari solent; idq; fieri voluit ꝑpter reuerentiam sacris locis debitam. Et propter communem Romanorum consuetudinem; *nam Romanorum semper ab antiquioribus vsus fuit, post admixtionem propriæ coniugis, & lauacri purificationem quærere, & ab ingressu Ecclesiæ paululum reuerenter abstinere*; imò communis hic mos Christianis erat, vt non orarent, nisi loti, si non toto corpore, saltem manibus; vt patet ex Clemente Romano, & ex Tertulliano. *Ingressuri templum, manus lauamus*, inquit S. Chrysostomus. *Clem. lib. 8. Constit. cap. 38. Tertul. lib de orat. S. Chrysost. Hom. 72. In Ioann.*

Idem, & alij sancti Patres obiurgant illos, qui manuum mundiciem sedulò procurabant, de animi puritate nihil vel parum solliciti. Anastasius Sinaita. *Non enim ingredi Ecclesiam ac diuinas imaginum sanctarum formas, pretiosasq; ac venerabiles cruces etiam salutasse fuerit satis, non frigida manus abluisse, id est, esse purum mundumq;* (corpore) *sed sordes peccatorum abluisse ac fugisse, sed confessione & lacrymis, sed contrito & humiliato animo, & demisso contractoq; vultu,* *Anast. ora. de Synaxi.*

peccatorum quibus tenemur catenas exsoluisse; & tunc demum ad illa sancta mysteria accedere. Si ergo mos tam peruulgatus erat vtendi ablutione ante preces, mirum videri non debet, si post congressum cum legitima vxore, prius etiã ipsum corpus mundare, quàm Ecclesiam intrare voluerunt. Quod Prædicantibus non potest non displicere; quia si vetus ille mos obseruaretur; quotidiana balnea instruere deberent, cum vix vnquam à mulierum amplexibus abstineant.

Obijcit Caluinus: *Institutionem aquæ lustralis longè recentiorem esse Alexandro Papa; nam tempore Augustini nullam religiosam lotionem in Ecclesia agnitam esse, præter baptismum. Id constare ex Epist.119. Augustini.*

Respondet Bellarminus, S. Augustinum eo loco agere de lotione, qua in cœna Domini catechumenis pedes abluebantur; & hanc nonnullos improbasse, quòd imprudentiores existimare possent, eam ad baptismum, tanquam præambulum quoddam, necessariam esse. Quapropter plumbeum est hoc Caluini acumen. *S. Augustinus ait; quibusdam non placuisse lotionem pedum, quæ adhibebatur catechumenis die Cœnæ Domini; ergo nulla alia fuit tunc in Ecclesia lotio vel aspersio aquæ, præter ablutionem baptismi.* Pulchrè. Quasi S. Augustinus eo loco de aqua benedicta egerit, non de illa vulgari, qua catechumenis pedes abluebantur; quam tamen ablutionem ipse absolutè non repudiat, sed tantum, quod aliorum de ea sit iudicium, commemorat. Nec aqua lustralis seu benedicta, de qua Alexandri sanctio, tam est pro lotione, quàm pro aspersione.

Danæus Caluinum suum non nisi vociferando tueatur; tutelâ sanè fragili. Clamat: *Ex Epistola Augustini liquere, solam aquam baptismi tunc fuisse religiosam, & benedictam; non autem aliam: Bellarminum negare scripta esse, quæ soluere non possit.* Logos audis, & fumos vides. Nihil minus ex prædicta Epistola S. Augustini colligitur. Prouoco ad ipsius Epistolæ lectionem; & ad ea, quæ scripsi de hoc S. Augustini loco in *Pedilauio*, quod cum *Horto S. Crucis* euulgauimus. *Cap. 5.*

Occinit Caluinus: *Aquam lustralem nihil aliud esse, quàm baptismi profanationem, & quasi repetitionem.* Respondet Bellarminus: Rem secus se habere, differre enim baptismum ab aspersione aquæ benedictæ, formâ, ministro, intentione, & effectu: non tamen

tamen negandũ, vſu aquæ luſtralis refricari memoriam baptiſmi, & admoneri Chriſtianos, vt cogitent, ſe aliquãdo per aquam purgatos fuiſſe, & cum Deo pactum contra Diabolum inijſſe.

Danæus mentitur, *Bellarminum ad Caluini obiectionem nihil reſpondere.* Iam reſponſionem Bellarmini audiuimus: ſi hoc eſt nihil reſpondere, quid ergo erit reſpondere? Aquæ benedictæ vſus differt à baptiſmo formã, miniſtro, intentione, & effectu. Quomodo igitur baptiſmum profanat?

Battologicè calumniatur Danæus, (nam idem antea occinuerat) aquam benedictam natam ex hæreſi illa; *coniuges per copulam pollui, eamq; ob cauſam egere piamine aquæ, id liquere ex Canone illo; Vir cum propria,* & ex Lombardo 4. D. 31. cap. 8. & 9. Sed nihil huius generis aut ex Canone, aut ex Magiſtro ſententiarum extundi poteſt: quia S. Gregorius, vt ſuprà etiam monui, ad hanc ablutionem, non aquam benedictam, ſed qualemcunq; fontanam aut fluuialem adhibendam cenſebat. De aqua benedicta nihil ei, ad hunc quidem vſum, in mentem venit.

Cum autem fateatur Danæus, aquam baptiſmi, temporibus S. Auguſtini fuiſſe benedictam, quærere lubet num & apud Caluiniſtas aqua Baptiſmi benedicatur, & quidem eo ſigno, quo ætate S. Auguſtini benedicebatur; *Signo Crucis,* inquit S. Auguſtinus, *conſecratur vnda baptiſmatis.* Alibi: *Myſterio* (Crucis) *fons regenerationis conſecratur.* *S. Auguſt. lib. 6. cõtra Iulian. cap. 8. Serm 19. de Sanctis.*

Fortè apud Caluiniſtas contingit, quod olim in Luſitania, teſte Turonenſi, vbi fons baptiſmatis diuinitus quotannis replebatur. Sed *ita cumulo altiore, vt ſolet ſuper ora modiorum triticum aggregari, videasq; huc illuc latices fluctuare, nec partem in diuerſam defluere:* Vbi etiam mox *cum exorciſmo ſanctificatum: conſperſum deſuper chriſma, omnis populus pro deuotione haurit, & vas plenum domi pro ſalutione reportat, agros vineasq; aſperſione ſaluberrima tutaturus. Et cum exinde multitudo amphorarum ſine collecto numero hauriatur, nunquam tamen vel cumulum minuit; licet vbi infans primò tinctus fuerit, mox aqua reducitur.* Hæc Turonenſis. Quorum ſimilia admiranda effecta ſine dubio, etiam in Caluinianis non fontibus, ſed peluibus videre licet. *Tur. de Gloria Martyr. cap. 24. & 25.*

CAPVT VI.

Refelluntur calumniæ Hospiniani Caluinistæ in Decretum S. Alexandri Papæ & Martyris.

VAlde bacchatur Hospinianus in S. Alexandrum Papam & Martyrem, primò quidem ob verba ista: *Si enim cinis vituli aspersus populum sanctificabat, atq; mundabat, multò magis aqua sale adspersa diuinisq; precibus sacrata, populum sanctificat atq; mundat.* Ait, hæc desumpta esse ex Epistola ad Hebræos; *sed nefariè mutilata; quoad priorem partem: quoad posteriorem verò, esse magno cum sacrilegio peruersa*: & vt stylum grandiat, ingenti cum vociferatione intonat: Alexandrum, *intolerabili cum blasphemia, suã aquam benedictam in locum sanguinis Christi supponere.* Heb. 9.

Quò se vertet sanctus iste Martyr tantis accusationibus oneratus? Sed à vitio mutilationis facilè se expediet, dicendo, sibi satis fuisse, vnum exemplum ab Apostolo positum adducere, nimirum, cinerem vitulæ (quam Caluinianus transmutat in vitulum, femellam in marem) quia satis inde, id, quod propositum erat, euincere poterat: Si enim cinis vitulæ adspersus inquinatos sanctificabat atq; mundabat, cur eiusdem, vel potius præstantioris valoris, non esset aqua per verbum Dei & orationem consecrata, cum, teste Apostolo, omnis creatura per verbum Dei & orationem sanctificetur?

At, Hospiniani iudicio, etiam sanguinis *hircorum & taurorum* mentio facienda erat. Video tibi curæ ac cordi esse *hircos & tauros.* Quid si Alexander nominasset, num manus dares? Num ad aquã benedictam, aspersurus prædicanticam tuam faciem, accurreres? Nihil minus: Tanti aquam benedictam penderes, quanti nunc pendis. Inania ista sunt diuerticula. Sufficiebat S. Alexandro vnũ exemplum cineris ex vitula. Si tu vis sanguinem *hircorum & taurorum* addere, addas licet. Non obsto.

Forsan mutilationem in hoc quoque positam putas, quòd S. Alexander omiserit illa verba Apostoli: *ad emundationem carnis*: Sed S. Alexandro sufficiebat ostendere, cinerem vitulæ dedisse inquinatis sanctificationem: explicare, quæ & qualis illa emundatio fue-

tio fuerit; nihil ad propositum S. Alexandri attinebat. Grauior est altera accusatio de blasphemia; nam S. Paulus à sanguine hircorum & taurorum, & à cinere vitulæ argumentatur ad sanguinem Christi; si enim sanguis ille & cinis potuit contaminatos expiare, *quantò magis sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, &c.* Alexander autem substituit in locum *sanguinis Christi*, aquam benedictam. O scelus: ô sacrilegium. Audi Caluinista. S. Alexander ab aqua benedicta sanguinem Christi nequaquam exclusit; nam quidquid virtutis habet, id à sanguine Christi traxit; ac proinde sanctificationem & emundationem, quam aquæ benedictæ tribuit; ad sanguinem Christi, tanquam ad primam causam & originem reducit. Si S. Alexander ratiocinationem suam ita instituisset. *Si enim cinis vitulæ sanctificabat & emundabat inquinatos, quanto magis baptismus vel pœnitentia nos sanctificabit & emundabit;* an ideo in blasphemiæ crimen incidisset, & sanguinem Christi à baptismo & pœnitentia exclusisset? Minimè verò. Mirum, ni Caluinista eandem dicam scribat S. Paulo, qui scribit; Christum *mundasse Ecclesiam lauacro aquæ in verbo; &* *Ephes. 5.*
saluos nos fecisse per lauacrum regenerationis. Si sanguis Christi *Tit. 3.*
sanctificat, emundat & saluat nos; quomodo iam tam præclaros effectus lauacro seu baptismo adscribit? Ideo; quia hos effectus lauacrum istud non nisi sanguine Christi tinctum ac rubricatum producit. Idem de aqua lustrali cogita.

Cæterum, quòd Caluinista Glossatorem Gratiani scripturas docet; bonam operam nauat: Glossographus haud erit ingratus discipulus. Lapsu memoriæ citauit Leuiticum pro libro Numerorum. Quocirca Caluinianæ ferulæ manum subijcere cogitur. Nec cogitat Hospinianus, quanta in hoc genere flagitia ipsemet committat: quorum plurima exempla protuli in opere de Festis. Qui ex hoc Glossographi peccatulo perquam pulchram consequentiam nobis texit: *Glossographus citauit Leuiticum pro Numeris; ergo omnes Canonistæ, nullo excepto, sacrarum literarũ imperitißimi sunt.*

Corrugat quoq; Hospinianus frontem & nasum ad ista Alexandri verba: *Si sale asperso, per Helisæum Prophetam sterilitas aquæ sanata est, quanto magis diuinis precibus sacratus sal, sterilitatem rerum aufert humanarum, & coinquinatos sanctificat & purgat.*

Friuolum est, inquit Caluinista, *ex eo, quod semel aut iterum Propheta aliquis vel Apostolus gesßit, Sacramentum aut rem sacramentalem*

 facere.

facere. Quis ex facto Helisæi *Sacramentum* aut *Sacramentale* facit? Num somnias Caluinista? S. Alexander nullum *Sacramẽtum* condit; sed à facto Helisæi argumentum ducit ad salem consecratum cum aqua mixtum: Si enim ille tam efficax fuit, vt aquas insalubres in salutares verteret, cur non & Sal in Christiana Ecclesia consecratus, varios effectus produceret; cum per verbum Dei & orationem omnis creatura sanctificetur?

Nec Hospiniani stomachus verba illa Alexandri digerere potest. *Si fimbriæ vestis Domini nostri, cum ab ægrota muliere tangerentur, sanam illam reddiderunt, quanto magis hæc aqua sanitatem fidelibus & animi & corporis adferet.* Sed Caluinista impositam sibi ab impostorum Principe, impostoris personam egregiè hoc loco sustinet. Verba enim S. Alexandri penitus deprauat. Id vt videas, ea, quamuis alibi iam recitata, hic reponam. *Si tactu fimbriæ vestimenti Saluatoris, saluatos infirmos esse non dubitamus, quanto magis virtute sacrorum eius verborum diuinitus sacrantur elementa, quibus sanitatem corporis & animæ humana percipit fragilitas.* Vides, quàm ista Alexandri verba cum Hospinianeis concinant. Et tamen impudenter exclamat: aquam istam piacularem sanguini Christi iterum æquari. Quæso, vbi? vnde tibi tam acuta acies, vt inuisibilia videas? Ait, *aquam hanc præferri fimbriæ vestimentorum Christi.* Scilicet Caluinianus aut fimbriam aut vestimenta Christi curat; quæ si hoc temporis puncto sua in potestate haberet; in cineres verteret pro solenni Caluinistarum more, qui tot non modò Diuorum, sed & ipsius Redemptoris nostri lipsana sceleratissimè exusserunt.

Nec adeo Caluinicolæ huic insolens videri debet illud: *Quantò magis;* meminerit eius, quod à Saluatore pronunciatum: *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet; & maiora horum faciet.* Si igitur Sanctorum quispiam maiora opera fecit, quàm Christus, an idcirco maior est Christo? An idcirco præfertur Christo? Pari modo, si Christus per elementa, verbo Dei & precibus consecrata, magis miracula efficit, quàm per fimbriam vestimenti sui, an ideo aqua vel alia res consecrata anteponitur sacratissimo vestimento Redemptoris nostri: quod ex diuini corporis attactu mirabilem sanctitatem attraxit, & vt ita loquar, imbibit?

Incipit postea vel potius pergit Prædicans artem suam factitare, hoc est, verba inania effundere; *Decretum Alexandri repugnare scriptis Propheticis & Apostolicis, maxime S. Ioannis Euangelistæ, qui*

propemo-

propemodum *vitam ad tempora Alexandri produxerit; dicentis: sanguinem Christi omnia peccata delere & expurgare;* Cæterum ista omnia nil aliud sunt, quàm linguæ ventosæ crepitacula. Ipsemet Caluinista fatetur, *Christum habere sua organa, quibus sanctificationem & emundationem à peccatis confert.* Rectè, sed memineris inter hæc organa, esse etiam aquam benedictam; cuius ait, *nullam exstare memoriam ante Gregorium Magnum.* Falsitatem hanc vel vnicus Clemens Romanus abundè conuincit, qui non modò huius aquę benedictæ meminit, sed & benedicendæ ritum conceptis verbis tradit. *Clem. lib. 8 Constitut.*

Calumniantur Centuriatores, ea, quæ de aqua benedicta in Epistola Alexandri leguntur, *potius Ethnico alicui Pontifici, qui tum Romæ adhuc sua Collegia habebant, tribui posse, quàm Episcopo Christianæ Ecclesiæ.* Scilicet, Pontifex Ethnicus pro sua piaculari aqua argumenta petiuisset à cinere *vitulæ* seu *vaccæ rufæ*; & à fimbria vestimentorum Christi, & ab exemplo Helisæi salem in aquam proijcientis. Argumentationes istæ & similes, magis scilicet, Ethnicum Pontificem, quàm Christianũ resipiunt; quia admodum Ethnici Popæ laborant, vt pro suis ritibus stabiliendis firmamenta ex sacrarum literarum oraculis depromant. *Cent. 2. cap. 5.*

Oggerit Hospinianus. *Aquam lustralem Ethnicis vsitatam fuisse.* Quis hoc nescit? Quid infers? Ergo à Christianis non est admittenda, vtpote quæ originem ab idololatris trahat. Inter aquam lustralem Ethnicam & Christianam tantum interest, quantum inter Asmodæum & S. Michaëlem; illa enim maledicta est; hæc, sanctificata & benedicta: quia omnis creatura Dei sanctificatur per verbum Dei & orationem. Quod si aqua nostra lustralis, ideo exterminanda est; quia Ethnici suam quoq; piacularem aquam habuerunt; Exterminetur etiam aqua baptismi; quia & hæc lustralis est; imò ipsemet baptismus; quia lustratio quædam & expiatio est. Eliminentur pleraq; alia Christianæ religionis instituta; quia Diabolus per suos cultores pleraq; æmulatus est; vt ostendit Tertullianus sub finem libelli de *Præscriptionibus*, & in proprio opusculo de falsis Religionibus Iulius Firmicus.

Occlamat Caluinista: *Ethnici plurimum præsidij & subsidij in aqua lustrali collocabant, rati, nullum esse crimen tam atrox quod piacularibus illis vndis non expiaretur.* Quid quantumq; spei ac fiduciæ ponere debeamus in aqua nostra benedicta, non nescimus; & suo etiam

etiam loco declarabitur: hoc dico, nullũ esse Christianũ, qui existimet, grauium ac letalium peccatorum, sola aquæ benedictæ aspersione, remissionem se consecuturum. Nam quòd Hospinianus scribit, *multos hodie inueniri inter Pontificios, qui persuasum habeant, nullum tam graue scelus à se admissum esse, quod non protinus abluatur, si hac conspersi & lustrati aqua sacra, Missam audierint, eiusq; sacrificio sua redemerint peccata*: id Caluinianum, hoc est, Diabolicum mendacium est; Nemo enim Catholicorum est, cui ab ineunte ætate, Pœnitentia & Confessio, tanquā simpliciter ad salutem necessaria, non instilletur, tantum abest, vt quis credat, se grauium scelerum condonationem vlla lustrali aqua, adepturum; Plana enim sunt illa Saluatoris nostri verba bis eodem loco prolata. *Si pœnitentiam non habueritis, omnes similiter peribitis.* Nullum quidem facinus tam enorme est, quod ablutione & lustratione aquæ baptismalis non expurgetur; At post semel susceptum baptismum, pœnitentiâ opus est.

Porrò opportunè admodum meminit Caluinista ex Ouidio *aquæ Mercurialis*, quæ olim Romæ erat, *portæ vicina Capenæ*. Fallor, an ea inde manauit in Lacum Lemmanum vel Rhodanum, qui parte Geneuam alluit; & in Batauicum Oceanum; Caluinistæ enim fidei datæ tam prodigi sunt, vt nisi certa piamina sibi suppetere arbitrarentur; si non alia scelera, periuria saltem studiosius cauerent: Sed vt olim alij, sic nunc Caluinistæ.

Spargit & ipse suos lauro rorante capillos
Et peragit solitâ fallere voce preces:
Ablue præteriti periuria temporis, inquit,
Ablue præteritâ perfida verba die.
Siue ego te feci testem, falsoue citaui,
Non audituri nomina vana Iouis.
Siue Deum prudens alium, Diuamue fefelli,
Abstulerint celeres improba verba Noti.
Et pereant veniente die periuria nobis:
Nec curent Superi, si qua locutus ero.
Da modo lucra mihi, da facto gaudia lucro.
Et fac vt emptori verba dedisse iuuet.

Ait Hospinianus: *Aquam lustralem in Romana Ecclesia inuentā ab aliis Ecclesiis non fuisse* [illegible] *purgatam, quam forte stipendiarii* [illegible] *ceremonias instituere.* Sed mendacium hoc refellit E[illegible]

Syriaca, Chaldaica, Æthiopica, Armenica, quibus omnibus aqua benedicta ab antiquissimis temporibus, in vsu est; vt supra diximus, & planum fit ex formulis benedictionis, quas in Marsilij Columnæ *Hydragiologia* legere licet.

Obiicit Caluinista. *Iudæis fuisse varias aquas lustrales, & lotiones; ipsam aquam benedictam ex praua Iudaismi imitatione exstitisse.* Mirandum erit, ne paulò pòst idem de baptismo asseueret; nam & eius vmbras quasdam & typos Israelitæ habebant, vt notum est.

Animaduerte vertiginem Caluinianam. Antea dicebat, *aquam lustralem ab Ethnicis acceptam: nunc, à Iudæis;* si ab his, quomodo ab Ethnicis; quomodo ab his? Forsan dicet Caluinista; Iudæos lustrales suas vndas ab Ethnicis mutuatos. Quod non modo impudens & planè falsum esset; notum enim est Pentateuchum legibus, quis lustrales illas aquas indixerit ac instituerit. Tertullianus planè palam affirmat, Diabolum in Numa Romanorum Rege totam propemodum OEconomiam cæremoniarum Mosaicarum imitatum esse; vt miseris eò facilius illuderet. Nec ideo aliquid improbandum est; quia simile quiddam Iudæi vsurparunt; alioqui Caluinistæ suam quoque cœnam abiicere cogentur; ob agnum Paschalem Iudæorum, quam Caluinistæ suæ cœnæ figuram fuisse putant. Nec debebit Caluinista lauare manus, quia idem fecerunt Iudæi; Nec balneis vti, quia Iudæis idem mos. Nec manducare, nec bibere, nec vxores ducere, quia ista omnia apud Iudæos frequentabantur.

CAPVT VII.

De Exorcismo, qui nonnullis benedictionibus, nominatim salis & aquæ adiungitur.

Quædam res benedicendæ prius purgantur exorcismo & adiuratione; & tum demum, facto exorcismo, benedicuntur. Quædam absolutè benedicuntur, nullo præmisso exorcismo. Prioris generis est benedictio salis & aquæ: nã [illegible] præmittit Sacerdos hunc exorcismum. *Exorcizo te creatura salis, per Deum † viuum, per Deum † verum, per Deum † sanctum, per Deum, qui te per Helisæum Prophetam in aquam mitti iussit; vt*

sanaretur sterilitas aquæ: vt efficiaris sal exorcizatum in salutem credentium: & sis omnibus sumentibus te sanitas animæ & corporis: & effugiat atque discedat à loco, in quo aspersum fueris, omnis phantasia & nequitia vel versutia Diabolicæ fraudis, omnisq; spiritus immundus, adiuratus per eum, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem.

Hac adiuratione præmissa, qua Dæmon vel expellitur, vel impeditur, ne creaturam illam obsideat, vsumque eius mortalibus noxium reddat, subiungitur hæc benedictio: *Immensam clementiam tuam, omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus, vt hāc creaturam salis, quam in vsum generis humani tribuisti, benedicere † & sanctificare † tua pietate digneris, vt sit omnibus sumentibus salus mentis & corporis, & quidquid ex eo tactum vel respersum fuerit, careat omni immunditia, omniq; impugnatione spiritualis nequitiæ. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.* Similis planè est benedictio aquæ: nam & in hac Exorcismus præcedit, subsequitur benedictio; Quanquam ipse etiam Exorcismus implicitè benedictionem continet. Aliæ benedictiones exorcismo carent, vt est in Romano Missali benedictio panis. *Domine Iesu Christe, panis Angelorum, panis viuus æternæ vitæ, bene † dicere dignare panem istum, sicut benedixisti quinque panes in deserto, vt omnes ex eo gustantes inde corporis & animæ percipiant sanitatem. Qui viuis & regnas in sæcula sæculorum.*

Verumenimuero Sectarios offendit verbum *Exorcizo* in benedictionibus salis & aquæ positum; Videtur enim absurdum, si creatura rationis expers exorcizetur, seu adiuretur; cum exorcismum seu adiurationem nec sentiat, nec intelligat.

Verùm communis Theologorũ doctrina est, huiusmodi res adiurari posse, non secundum se, sed in alio, quia cum adiuratio sit petitio seu obsecratio vel imperium, dirigi per se ad creaturas irrationales nequit, cum talium actionum percipiendarum non sint capaces; Dirigitur ergo adiuratio ad Deum, sed petendo & obsecrando, aliter enim Deum adiurare non licet; Quæ forma adiurationis obseruatur in benedictionibus salis & aquę. *Exorcizo te creatura salis per Deum viuum, per Deum verum, per Deum sanctum, &c. per eum, qui venturus est iudicare viuos & mortuos &c. Exorcizo te creatura aquæ in nomine Dei Patris omnipotētis, & in nomine Iesu Christi, &c. Et in virtute Spiritus sancti, &c.* Subiunguntur preces, quibus petitur, vt Deus creaturas illas benedicat, expulsis inde Cacodæmonis

insidiis: & vt Dæmones impediat, ne nobis per creaturas rationis expertes noceant.

Aliquando exorcismus seu adiuratio rerum irrationalium directè terminatur ad Dæmonem; & tūc fit per imperium: Imperio enim cogendus est dæmon, non obsecratione aut precibus ad cedendum inuitandus. Sic adiurari solet Dæmon, vt hunc vel illum locum, hanc vel illam rem relinquat, perq; eam mortalibus damnum inferre desinat.

Rectè tamē notat Franciscus Suaretz, adiurationem per imperiū etiam directè circa creaturas irrationales versari posse quoad efficaciam & effectum; non quod morale illud imperium percipiant, aut ad eius intelligentiam sese moueant; vel à motu desistant; sed quia efficacia & effectus imperij ita illis à Deo imprimitur, quasi imperium ipsum intellexissent. Sic Matthæi ca. 8. imperauit Christus ventis & mari, & è vestigio secuta est obedientia; non moralis, sed quasi Physica. Ita enim venti & mare Christo morem gesserūt; quasi auribus verba imperātis audiuissent. Ad cuius imitationem ventis & tempestatibus; & animalibus perniciosis, vt serpentibus, locustis, bruchis, erucis imperāt viri sancti, ad quæ imperium peruenit non quoad intelligentiam, sed quoad vim & efficacitatem.

Suar. Tom. 2. de Relig. li. 4. de adiuratione ca. 2. N. 14.

Memorabilis exorcismus contra animalcula fructibus terræ perniciosa reperitur in Græcorum Euchologio, quo vsus fertur S. Tryphon, quem Græci huiusmodi clade imminente, potissimū inuocant, vt & S. Eustathium, & S. Iulianum Libycum.

Hic tacitus præterire nequeo sacrilegum illum, & terque quaterque detestandum librum, cui titulus est. *Lectura super Canone de Consecratione, Distinct. III. De aqua benedicta, per Reuerend. Decretorum Doctorem, & Episcopum Argolicensem, D.D. Gerardum Busdragum de Luca, in Episcopatu Paduano Suffraganeum.* Cuius libri is vnicus scopus est, aquam benedictam ludibrio exponere. Quem ad finem adhibet, quidquid vspiam sannarum & ineptiarum exstat, genio & ingenio prorsus Lucianico: cumque verba Canonis; *Aquam sale conspersam, &c.* desumpta ex Epistola S. Alexandri plana sint ac perspicua; morio iste omnia dicacitatis & scurrilitatis suæ præstigiis ita offuciis implicat, vt eò vberiorem scurrandi materiam inueniat. Et tandem oggrunnit, eos, qui aquam & salem *exorcizant*, infectos esse hæresi Manichæorum existimantium, creaturas à Diaboli manibus teneri & obsideri. Sed calumniatur manifeste. Nā creaturas Dei bonas esse, nulla penitus excepta, docemus & fatemur

mur palam; non ignorantes interim, Cacodæmonem his ipsis rebus saluti & incolumitati nostræ insidias struere posse; eam ob caussam ante vsum benedicuntur, & sanctificantur. Ad quam benedictionem & sanctificationem, ipse etiam exorcismus refertur, vt si fortè in vsu eius creaturæ, nobis nocumentum pararet, Exorcismi seu adiurationis quasi machina compulsus abscedat.

Posse autem Diabolum; res, quas ad vitam sustentandam adhibemus, præsertim esculenta & poculenta, inficere, vel vnum illud exemplum Monialis apud D. Gregorium satis ostendit; quæ cum non præmisso sanctæ crucis signo, lactucam comedisset, simul etiam Cacodæmonem comedit, vt ita loquar, grauiter ab eodem obsessa & cruciata, vehementius adhuc crucianda, nisi S. Equitius è vestigio opem tulisset, expulso tam inuiso inquilino.

S. Greg. lib. 1. Dialog. cap. 4.

Porro quisquis fuit ille, in quem Lucianicus iste liber scriptus est; id certò liquet ob nouatam Catholicæ religioni operam, hæreticis fuisse exosum; & ideo, quod ratione non valebant, amentiâ transactum dare studebant, nempe auctoritatem & existimationem eius imminuere, vel penitus quoque exstinguere; quasi sermo, stylus, & sensus eius talis esset, qualis in sycophantica illa Satyra depingitur. Quo itidem collinearunt similis scurrilitatis & bomolochiæ libelli; quos Hæretici cum fictitia ista Lectura simul euulgarunt, vt est *Antichoppinus*, *Passauantius*, *Mathagon de Mathagonibus*, & id genus alij, terrigenûm simul ac cæligenûm irrisores, ac subsannatores.

CAPVT VIII.

De paruo & magno Hagiasmo Græcorum.

SVprà de vtroque nonnihil diximus. Nunc plura sunt dicenda. Vterq; nihil aliud est, quàm benedictio aquæ. Forma vtriusque exstat in Euchologio. In priore vtitur Sacerdos, inter cætera, his verbis: *Inclina Domine aurem tuam & exaudi nos, qui in Iordane baptizari, & aquas sanctificare voluisti. Et benedic omnes nos, qui seruitutem tibi debitam ceruicis inclinatione præ nobis ferimus. Et dignare, vt sanctificatione tua impleamur, vsu & participatione huius aquæ, cedatque nobis, Domine, ad sanitatem mentis & corporis.* καὶ ῥαντίζει πάντα τὸν λαὸν, καὶ τὴν μονὴν μετὰ τοῦ ἁγιάσματος: *aspergitque* (sacerdos) *omnem populum, & Monasterium a-*

quà

quâ benedictâ, quam Græci vocant ἁγιασμὸν & ἁγίασμα *sanctificationem*; & qui tali aqua asperguntur, ἁγιασθῆναι dicuntur.

Quò sine dubio respexit Leo Imperator in suis *Tacticis*, cum iubet priusquàm ineatur prælium, omnes milites διὰ τῶν ἱερέων ἁγιασθῆναι, *sanctificari per Sacerdotes*, aspersione nimirum τοῦ ἁγιάσματος seu *aqua benedictæ*. Nescio, quàm candidè Caluinianus Interpres Checus: *Omnesque Deo consecrentur*, vbi subdolè *Sacerdotes* omittit, & pium Catholicumque morem tenebris inuoluit, ne appareat. Quæ impostura multò adhuc luculentius elucet in ipso statim capitis decimi tertij vestibulo: vbi Imperator præcipit Turmarchis παρασκευάζειν πρὸ μιᾶς ἢ δευτέρας ἡμέρας τοῦ πολέμου τὰ βάνδα ἁγιάζειν διὰ τῶν ἱερέων, καὶ οὕτως ἐπιδιδόναι τοῖς βανδοφόροις τῶν ταγμάτων, *curare, vt vno vel altero die ante prælium, banda seu vexilla à sacerdotibus benedicantur & sanctificentur; & postea vexilliferis cohortium tradantur*. Vbi Checus prorsus vulpinè. *Turmarchæ, vt banda omnia integra sint, atque ad vsum militarem apta, ante diem belli vnum atque alterum præparabunt; atque adeo bandophoris, hoc est, signiferis cohortium dentur.* Vides quàm fidus sit Sacramentarius iste interpres; qui vexillorum benedictionem à sacerdotibus faciendam flagitiosè supprimit; & Leoni penitus alienum sensum affingit. Cap. 14.

Sed reuertamur ad μικρὸν ἁγιασμὸν; qui quo ritu singulis mẽsibus in Palatio Constantinopolitano perageretur; docet Codinus. Imperator non aspergebatur; sed Cruci prius dato osculo; à Protopapa in fronte & oculis aquâ benedictâ tingebatur, proculdubio σταυροειδῶς, *in modum Crucis*, toto Comitatu acclamante solenne illud πολυχρόνιον, *Ad multos annos*. In quibus latinè reddẽdis, quàm insciтè & mechanicè Caluinianus Iunius versatus fuerit, alibi ostendi, fusius id ostensurus, si quando ipsum Codinum edidero, & à flagitiis Iunij vindicauero.

Ad μικρὸν ἁγιασμὸν respexit Balsamon super 65. Canonem Trullanum, vbi dicit, *in* locum festi, quod singulis Nouiluniis vanissimè celebrabatur, *successisse preces ad Deum placandum, & ad sanctificationes in vniuscuiusque mensis principio, & aqua benedictionis, non contradictionis inungimur*, inquit Balsamon. Audio etiam alicubi in Germania pridie Natalis Domini, Circumcisionis & Epiphaniæ, ædes aspersione aquæ benedictæ lustrari & sanctificari. Qui mos laudabilis, & eò laudabilior, quò frequentior.

Μέγας ἁγιασμὸς sexto Ianuarij celebrabatur, in ipsa scilicet Theophaniorum solennitate, vt patet ex Menæo Græcanico, ex Typico S. Sabæ, & ex Anthologio. Quocirca corrigendus Codinus, cum hanc benedictionem aquæ die quinto Ianuarij institui dicit; & pro, πέμπτην substituendum, ἕκτην; cuius emendationis nõ alium do auctorem, quàm ipsum Codinum; qui vbi de festo Epiphaniæ sexto Ianuarij celebrari solito agit; benedictionem istam eodem die peragi scribit.

Cæremoniæ consecrationis describuntur in prædictis Ritualibus libris. Benedicitur aqua σταυροειδῶς μετὰ τοῦ τιμίου σταυροῦ. *Crucis in formam cum venerabili Cruce, quam sacerdos erectam demergit in aquam.* Deinde omnes ἁγιάζονται *sanctificantur ex aquæ benedictæ aspersione:* accinitur que inter alia: ἀντλήσωμεν ὕδωρ μετ᾽ εὐφροσύνης, ἀδελφοί, ἡ γὰρ χάρις τοῦ πνεύματος τοῖς πιστῶς ἀντλοῦσιν ἀοράτως ἐπιδίδοται παρὰ χριστοῦ τοῦ θεοῦ καὶ σωτῆρος τῶν ψυχῶν ἡμῶν. *Hauriamus igitur aquam cum lætitia, fratres, nam gratia Spiritus fideliter haurientibus, inuisibiliter conceditur à Christo Deo, & Saluatore animarum nostrarum.*

In Palatio Constantinopolitano peragebatur ἁγιασμὸς seu benedictio ista, à Patriarcha Cõstãtinopolitano, si adesset, aut ab Antiocheno, Alexandrino, aut Hierosolymitano, si quis eorũ fortè tunc Constantinopoli degeret. Si nullus istorum adesset, Protopapas ἁγιασμὸν perficiebat. Cuius aqua vtuntur Græci pro noxiis animalibus, veneficiis, incantationibus, & quibuscunq; malis depellendis ab agris, pratis, hortis, vineis, vt constat ex Euchologio, vbi ritus istius formula præscribitur. χρὴ γίγνεσθαι λειτουργίαν. *Oportet Missam dicere; & accendere candelam S. Tryphonis aut S. Eustathij, aut S. Iuliani Libyci, aut vtriusque.* Post Liturgiam, accepto ex candelis seu lampadibus oleo, & aqua Theophaniorum (hoc est, quæ in Epiphania Domini, in *Maiore* scilicet *Hagiasmo* benedicta est) *aspergit sacerdos in Crucis formam prædium, aut vineam, aut hortum;* recitans illas preces, quæ ibidem subiunguntur: vbi etiam inuenies exorcismum, quo vsus est S. Tryphon contra noxia insecta fructus terræ depascentia.

Etiam ex ritu Antiochenæ Ecclesiæ aqua benedicebatur die Epiphaniæ dicato, sic tamen, vt aliis quoq; temporibus benedici posset, si necessitas id exigeret, vt videre est in formula benedictionis, quæ extat apud Marsilium: vbi, præter cætera: *Statuerunt* (sancti

(ait Patres) *necessarium esse, fidelem quemque, sanctam Ecclesiam ingredientem, signari debere hac aqua in modum Crucis, vel aspergi, & postea accedere ante sancta sacramenta: ac etiam subinde statuerunt, quòd aut in die Epiphaniæ, vel in die cœnæ Domini decentissimum est, vt benedicatur, et aduertenter custodiatur: seruetur que à festo vsq; ad festum in phyalis integris, vitreis. Dixerunt autem, quod si necesse fuerit ex aliquo accidente dictam aquam consumi, ac in Ecclesia non reperiri, permittit necessitas denuo posse benedici eo tempore, quo deficit: & decreuerunt decentissimũ esse eam Episcopum benedicere: at cum Episcopus non occurreret, concesserunt, vt Archipresbyter eam benediceret, & ordinarunt vsum ac ministerium illius benedictioni accommodatum.* Hæc ibi.

Recepto tamen Ecclesię vsu Sacerdos hanc aquam benedicit, vt & aquam baptismatis: tametsi aquam, qua Episcopus vtitur in consecratione Ecclesiæ, Altaris, cœmeterij; & in benedictione primi lapidis pro exstruenda Ecclesia; non nisi Episcopus benedicat; vt & illam, qua Ecclesiam aut cœmeterium violatum Episcopus reconciliat. Habent Græci etiam salis benedictionem in Euchologio sub hac forma: *Deus Saluator noster, qui præsens fuisti in Hiericho, temporibus Helisæi Prophetæ, & noxias aquas sale curasti, benedic salem istũ & transmuta in sacrificium exultationis, quia tu es Deus noster & tibi gloriam deferimus Patri & Filio & Spiritui sancto nunc & semper & in sæcula sæculorum, Amen.* Non tamen admiscent aquæ benedictæ salem vt faciunt Latini, & Armeni quoque, vt videre est in formula benedictionis apud Marsilium.

CAPVT IX.

Refutantur næniæ & calumniæ Danæi, contra doctrinam Card. Bellarmini, de effectibus rerum benedictarum.

AIt Bellarminus, nos rectè vti aqua aliisque rebus benedictione consecratis, ad effectus supernaturales efficiendos & significandos. Vociferatur Danæus; *hoc esse magis blasphemum, quàm ipsam consecrationem.* Qua de caussa? *Quia transfert in res creatas & inanimas propria diuinæ virtutis, etiam extraordinariè effecta.* Itáne solius Dei proprium est effe- *Bellar. lib. 3. de Sanctis. cap. 8.*

ctus

ctus ſupernaturales ſignificare? An tot illa ſacrificia & cæremonialia inſtituta antiquæ legis, quæ rebus creatis conſtabant, non erant rerum ſupernaturalium ſignificationes? An baptiſmus & Euchariſtia nõ ſignificant res ſupernaturales? An maieſtas Dei ideo violatur, ſi rebus iſtis tribuatur ſignificatio effectũ ſupernaturalium?

Quod ad effectionem attinet, Dei quidem proprium eſt, ſua virtute effectus ſupernaturales producere; ſed quod Deo propria virtute conuenit, hoc etiam rebus creatis competere poteſt communicatione; aſſumuntur enim à Deo, tanquam inſtrumenta ad hunc vel illum effectum ſupernaturalem efficiendum, nam & fabro ferario propria virtute competit ſeram cudere. Cudunt tamen etiam inſtrumenta quæ adhibet; at non ſua, ſed artificis participata potentia.

Dicit Bellarminus, aquam, ſalem, panem, & ſimilia, tres ob fines conſecrari: primò, *vt ſignificent effectus ſpirituales*: cinerem enim conſecratum, ſignificare pœnitentiam; palmas, victoriam: cereum paſchalem, gloriam reſurrectionis.

Occlamat Danæus. *Blaſphemum eſt ſentire, vllam rem externam in Eccleſia Dei, eſſe rerum ſpiritualium Chriſtianis ſignum, niſi fuerit expreſſè à Deo in eum finem inſtituta.* Quæſo te, cum apud nos Miniſter ex loco ſuperiore ad ſubiectam multitudinem verba facit; an verba illa non ſunt rerum ſpiritualium ſigna? An ideo forſan ſigna non ſunt, quia Miniſtri veſtri de rebus ſpiritualibus ex cathedra põ loquuntur? An cœtus viſibilis Eccleſiæ militantis, non eſt ſignum Eccleſiæ in cælo triumphantis? Tune tam inſcitus & inuerecũdus eris, vt omnia ſigna inſtrumentalia rerum ſpiritualium de medio tollas? Dices. *Te loqui de ſignis, quæ ſint ſacramenta.* Nihil ergo ad rem loqueris; nam ſigna de quibus Bellarminus diſſerit, vt aqua, ſal, panis, oleum, &c. benedicta; non ſunt ſigna, quæ ſint ſacramenta: nemo enim aquam benedictam pro ſacramento habet, vt omnibus notum. Omne quidem Sacramentum eſt ſignum rerum ſpiritualium; ſed non omne ſignum rerum ſpiritualium, eſt ſacramentum.

Secundò dicit Bellarminus conſecrari res creatas ad deletionem peccatorum venialium. Oggerit Danæus. *Nulla eſſe peccata venialia.* Tuo ſcilicet iudicio obſtipo & diſtorto. Num tu maior patre tuo Beza? Qui, vt videre eſt in Colloquio Mompelgartenſi, in Electis Caluiniſtis peccata venialia agnoſcit; ſaltem ex miſericordia Dei: nec adeo abſciſſè, vt tu, peccata venialia inficiatur.

Occi-

Occinit Danæus. *Peccata non nisi Christi sanguine deleri*; moxq; varias scripturas allegat, tam aptè scilicet, quàm aptè easdem allegauit coram Christo, hæreticorum omnium Magister, Diabolus. Annon vidisti, quid Hesſusio eandem obiectiunculam proferenti responderit Bellarminus? nimirum sanguine Christi emundari nostra delicta, sed si aliquo modo & medio nobis applicetur: inter quæ media non tantùm sunt Sacramenta; sed & ea, quæ vocantur *Sacramentalia*, in quibus etiam aqua benedicta: Nam si Danæus arbitratur sanguinem Christi absq; mediis applicari, tum baptismum & cœnam suam tollat; Nil enim his externis mediis opus est. Si hæc non tollit, patiatur & nos, ea media sanguinis Christi nobis applicandi, & ad nostram vtilitatem deriuandi, quæ à maioribus, imò ab Apostolicis temporibus, accepimus, retinere.

Disputât Catholici Doctores inter se, quomodo *Sacramentalia*, inter quæ aqua benedicta; venialia peccata remittant, an scilicet ex *opere operato*, an tantum ex *opere operantis*; quatenus mentem ad per aliquem motum peccatis venialibus contrarium, vel etiam ad formalem pœnitentiæ actum excitant. Mihi eorum probatur sententia, qui saltem aquam benedictam, id ex opere operato præstare docent, ex quorum numero est Magister meus Gregorius de Valentia, & apud Franciscum Suaretz, Victoria, Sotus, Ledesma, Canus, Maior, licet ipse Suaretz contrariam opinionem amplectitur; nec hoc tantum, sed & ex Sacramentalium classe expellat, *Orationem Dominicam, Confessionem generalem, & tunsionem pectoris.* *Valent. Tom. 4. Disput. 7. Q. 4. p. 1. Suar. Tom. 4. in 3. p. Disp. 12. sect. 2.*

Cæterum nostra sententia conformis est ipsi sensui & existimationi fidelium, qui eo ipso, quòd aquâ benedictâ reuerenter & religiosè vtuntur, venialium peccatorum remissionem se consequi credant; vt fusius ostendit Gregorius de Valentia; ex verbis S. Alexandri Papæ, (quæ etiam referuntur à Gratiano de Consecrat. dist. 2. cap. *Aquam.*) qui dicit; hominem aqua benedicta *sanctificari, purificari, mundari*; perq; elementa verbo Dei consecrata *humanā fragilitatem percipere corporis & animæ sanitatem.* Quæ omnia magis *opus operatum*, quàm aliquid aliud sonant. Et si aqua benedicta alios suos effectus, vt fugam Dæmonum; luis, intemperiei, & omnis nocumenti exterminationem, ex *opere operato* producit, cur non etiam remissionem peccatorum venialium?

Producere autem prædictos effectus ex *opere operato*, colligi videtur ex formula benedictionis, in qua orat Ecclesia: *Virtutem*

tuæ benedictionis infunde, vt creatura tua tuis mysteriis seruiens, ad abigendos Dæmones morbosque pellendos diuinæ gratiæ sumat effectum, vt quidquid in domibus, vel in locis fidelium hæc vnda resperserit, careat omni immunditia, liberetur à noxa, non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens, discedãt oēs insidiæ latentis inimici, & si quid est, quod aut incolumitati habitantium inuidet, aut quieti, aspersione huius aquæ effugiat. Quæ omnia significare videntur, eo ipso, quòd aqua benedicta tali vel tali loco dispergitur vel aspergitur, supra dictos effectus effici, si id quidem Deo placeat; absq; respectu ad illius affectionem, qui tali aqua vtitur, dummodo alioqui reuerēter & tanquam re sacra vtatur. Vide Azorium Tom.1 Institut.lib.4.cap.11. Q.4 & 5.qui de toto hoc *sacramentalium* negotio pulchrè disserit.

Tertiò dicit Bellarminus, res creatas benedici ad fugandos Dæmones, & curandos morbos; id manifestum fieri ex precibus, quibus consecrantur. Respondet Danæus, & quidem solidissimè, nisi malis, vnâ literâ auctius, stolidissimè; *Ineptum esse credere, istis spectris & laruis inanibus Dæmones fugari, & istis amuletis morbos curari.* At cur ineptum? An non Bellarminus multis testimoniis & exemplis hoc probauit? Quæ quomodo tu refutas? More scilicet tuo. Nam non esse vllã necromantiam adhibere aquã ad aliquos supernaturales effectus, ostendit Bellarminus ex aqua zelotypiæ Num.5.ex aqua cineribus mixta Num.19. Ex aqua Iordanis, quã Helisæus ad Naamanis Syri leprã curandã adhiberi iussit; 4.Reg.5.

Obstrepit Danæus: *Esse fallaciam à non consequente, propter infinitũ rerũ hic inter se comparatarũ discrimen: nam Dei iussu aquã Iordanis in curanda lepra Naamanis & salē in sanandis aquis amaris, 4.Reg.2. adhibita fuisse; non aũt exstare vllum præceptũ Dei de Põtificia benedictione aquæ.* At, quęso, ostendat nobis Danæus locũ, vbi Helisæo mandatum sit à Deo, vt Naamanem ad aquas Iordanis abluendũ ablegaret? vel vbi mandatum acceperit, vt salem sterilibus & insalubribus aquis curandis adhiberet?

Occinit. *Quæ Helisæus præcipiebat, Dei iussu præcipiebat.* Nũ singulari ac peculiari? Iterũ rogo, monstra locum, vbi Deus Helisæo præceperit, vt Naamanē ad Iordanis aquas amãdaret; aut vt aquas Ierichuntinas, iniectu salis, salubres efficeret. Quæso, monstretur nobis huius præcepti clarũ testimonium. Nec verũ est, Prophetas quidquid gesserũt, peculiari iussu Dei gessisse. Nã vbi Deus iussit, vt Giezi famulo suo, vel pueris sibi illudentibus Helisæus malediceret?

ceret? Vbi pleraq; alia, quæ Helisæus fecit, eidem speciali mandato Dei iniuncta fuerunt?

Ad exempla & miracula per res benedictas patrata, Respondet Danæus, *ea tantum proferri ex eorum libris, qui iam hoc errore fascinati fuerint.* Ergo S. Epiphanius, S. Hieronymus, S. Gregorius Magnus, S. Bernardus, Theodoretus, Palladius, quos Bellarminus adducit, erroris fascino dementati fuêre? Quis hoc affirmat? De grege Caluini erraticus Sectarius. Stent, quos paulò antè nominaui, ex vna parte; stetq; ex altera parte Danæus: Illi tales ac tāti affirment, quod affirmāt. Daneus neget quod negat. Quis tam imprudens vel potius effrons fuerit, vt relictis talibus ac tantis, Danæo conuiciatori assensum præbeat? At *Patres illi, nihil præter incertum auditū de his rebus habebant.* Quid, obsecro, tu Caluinista, de rebus, ætate Patrū illorū gestis habes præter tua ex Caluini Spelæo somnia & phantasmata? Patres illi litteris mandarunt, quæ vel ipsi oculis suis viderunt, vel certissimis ac veracissimis testibus explorata habuerunt.

Ogrunnit Danæus; *etiam Satanam miracula facere.* At fucata & simulata, non vera & solida; qualia sanctorū illorum, de quibus S. Hieronymus, S. Epiphanius, Theodoretus. Deinde nimis inuerecundus es, ô Caluinicola, dum Marcellum, Episcopum Apamensium, Iosephum, feruētem illum ex Iudæo Christianum, S. Macarium, S. Hilarionem, S. Malachiam, Hiberniæ Archiepiscopum, S. Fortunatum, quos Bellarminus nominat, tacitè vel *Satanas*, vel *Satanæ administros* & instrumenta appellitas; vt taceam plurimos alios, quorū Catalogum suprà contexuimus, qui egregiâ vitæ sanctimoniâ celebres, plurima miracula per aquam benedictam ediderunt. Certè tam Danæus, quàm alij Calumniatores, his suis criminationibus testatum faciunt se esse ex illorum progenie, qui olim atrocissimè blasphemabant, ipsum Christum *in principe Dæmoniorum eiicere Dæmonia.*

Obiicit Danæus. *Si salem & aquam ideo consecrant, quia in veteri Testamento nōnulla miracula illis perpetrata legimus; deberent pari modo consecrare ficus, quia Isaias Ezechiæ morbum ficu curauit; item sputum & lutum, quia Christus his cæco lumen reddidit.* Is. 38. Ioan. 9.

Respondeo I. Omnem creaturam per verbum Dei & orationem sanctificari, vt S. Paulus disertè asserit. Si ergo aliqua necessitas id exigeret, ficus, sputum & lutum benedici possent.

Respondeo II. ficus vtiq; vel vt primitias frugum, vel vt esculentum quid benedici posse. Omne enim esculentum & poculentum benedici potest, non tantum communi illa & priuata benedictione, quæ ad mensam adhibetur, sed etiam solleni ac publica: nã in Romano Missali exstat *benedictio ad quodcunque comestibile*; & alia; ad *quoscunque nouos fructus*.

Respondeo III. non esse necesse, vt omnes res consecrentur, per quas olim miracula facta, sed vt illæ, quas nobis commendant antiquus Ecclesiæ vsus, & Sanctorum exempla; inter quæ de ficubus, luto & sputo ad sanitatem conferendam benedicendis, nihil proditum aut traditum legimus.

Ait Danæus; *Creaturam sanctificari tunc, cum eam homines applicant ad vsum, ad quem sunt à Deo destinatæ, non aliter.* Sequitur ergo aquam tũc sanctificari, cum per eam sordes pedum, aut manuum, aut pannorum, aut aliarum rerum abluuntur & expurgantur; quia inter cæteros fines etiam ad sordium expurgationem aqua creata est. Egregia verò hęc sanctificatio; vt & illa, quam aqua adipiscitur, quando incendium exstinguit; nam & ad hunc vsum condita est aqua.

Mendacium est, quod Caluinista ait, *Bellarminum negare, nomē Dei in uanum sumi, nisi peieretur.* Non ita præcisè loquitur Bellarminus; sed dicit, sumere nomen Dei in vanum; propriè nihil aliud esse, quàm peierare; citatq; Concilium Toletanum VIII. cap. 2. Cur, Caluinista, prætermisisti voculam illam? *Propriè.* Crassius adhuc mendacium est, Bellarminum fateri, *suas illas benedictiones ac incantationes esse inutiles & vanas.* Vbi hoc Bellarminus? Vbi benedictiones Ecclesiasticas ignominioso vocabulo *incantationum* afficit? Vnde hoc colligis? An inde, quòd Bellarminus dicit, res benedictas non semper infallibiliter operari, sicut operantur sacramenta; quia aliquando non expedit nobis, vt liberemur vel à morbo, vel à Dæmonis vexatione. At si ex hoc concludere vis, benedictiones esse vanas, & inutiles, imò incãtationes, poteris simili ratione concludere quascunq; sacras preces esse vanas & inutiles; quia nõ producũt semper sua effecta, neq; semper aut morbos, aut violentiã Dæmonis, aut alias molestias depellunt. Imò tota fides inanis & vana erit, quia, vt tu ipse dicis; *non impetrat fides, quidquid orat, sed quidquid ex Dei voluntate postulat.* Si ergo ad preces retinendas, pieque concipiendas, satis est, quòd Deus precibus exoratus, à malis, quibus

bus conflictamur, nos aliquando liberat; sufficiet quoque ad aquæ benedictæ vsum conseruandū, quòd reuerenter adhibita, aliquando saltem morbos curat, & Dæmones pellit, prout Deus ad salutē nostram magis expedire videt: & vt preces alio modo à Deo compensantur, ita & aspersio aquæ benedictæ ex religioso & pio affectu suscepta; irremunerata non manebit: vt sileam nō solam curationem morborum & expulsionem Dæmonum esse aquæ benedictæ effectus; plures sunt; vt ipsemet Bellarminus docet; quos iam alibi percensuimus & percensebimus, quibus homo semper potitur, nisi ipse vltrò obicem obiciat.

CAPVT X.

Varij effectus aquæ benedictæ: deque incorruptione eius.

EFfectus aquæ benedictæ enumerat Franciscus Costerus noster, eosque duplices statuit, spirituales, & corporales; quos rectè colligit ex Epistol. S. Alexandri Papæ, & ex ipsa benedictionis forma: quæ Caluinistę Hospiniano ita arriserūt, vt verbatim propemodum suam in Farraginem de Templis transferre voluerit. Spirituales ergo sunt, I. Profligare Dęmones, & Diabolicas præstigias ex habitaculis & creaturis. II. Remittere peccata venialia. III. Phantasmata Diabolica, prauas cogitationes, & mentis distractiones in oratione, aliisq; temporibus excludere. IV. Mētem à terrenis rebus colligere. V. Disponere animum ad orationē & deuotionem. VI. Impetrare gratiam, fauorē & præsentiam sancti Spiritus. VII. Præparare mētem hominis, vt rectius diuina mysteria peragat, sacramētaq; percipiat. Valere enim hāc aquæ aspersionē aduersus omne, quod Sacramentorum effectū impedire potest, eamq; ob caussam in Altarium & Templorū consecratione adhiberi, vt à locis illis omne excludatur deuotionis, & sacramentorum impedimētum, semperq; ad fores Ecclesiæ præsto esse aquam benedictam, vt ingredientes eius aspersione Dæmonem, inanesque cogitationes & curas excludant, atq; ad orandum feruentius parēt se, & colligant; egredientes verò aduersus omnes occurrentes peccandi occasiones sese muniant. *Cost. lib. 4. Inst. cap. 8.*

Corporales effectus sunt Depulsio morborū & sterilitatis tam in hominibus, quàm iumentis, aliisq; rebus fructiferis. II. Purgatio noxij aëris, pestisq; & omnis contagionis effugatio. III. Multipli-

catio & vbertas bonorũ spiritualiũ. Vtriusq; generis effectus plerique, si non oẽs, exprimuntur in Formula benedictionis, qua Ecclesia vtitur, ita enim orat: *Virtutẽ tuæ benedictionis infunde, vt creatura tua mysteriis tuis seruiẽs, ad abigẽdos Dæmones, morbosq; pellendos, diuinæ gratiæ sumat effectum, vt quidquid in domibus vel locis fidelium hæc vnda resperserit, careat omni immunditia liberetur à noxa: nõ illic resideat spiritus pestilens, non aura corrũpens, discedant oẽs insidiæ latentis inimici, & si quid est, quod aut incolumitati habitantium inuidet, aut quieti, aspersione huius aquæ effugiat; vt salubritas per inuocationem tui nominis expetita, ab omnibus impugnationibus sit defensa.*

Ex his effectibus percensentur nonnulli etiam in adiuratione & benedictione salis: *Vt efficiaris sal exorzisatũ in salutem credentium & sis omnibus sumentibus te, sanitas animæ & corporis*, & effugiat atq; discedat à *loco, in quo aspersum fueris, omnis phantasia & nequitia vel versutia Diabolicæ fraudis, omnisq; spiritus immundus, &c.* Hospinianus Caluinista ridet hos effectus, & risus materiam sumit ex Thoma Naogeorgo, qui *Regnũ Papisticum*, vt vocat, descripsit, versibus, quibus ineptiores & flagitiosiores, vix vnq̃ vllus, tametsi ineptissimus *poetaster*, eructauit. Nemo de inscitię & ruditatis palma cum hoc *versifice* certamen ineat; quia euidentissimo periculo succumbendi sese exponet. Ergo postquam pessimè dolatis versibus aquæ & salis benedictæ effectus commemorauerat; ista subiungit:

His quid opus Christo, minimo qui magna labore
Efficiunt: Delent peccata, & Dæmonas arcent.
Aut aquulæ gutta, candentis vel salis esu.

Christo nobis eam ob caussam opus est; quia nec sal nec aqua supradictos effectus efficere posset, nisi virtus Christi accederet, qui creaturis istis ad hos & similes effectus vtitur, tanquam potentiæ suæ instrumentis. Nec Catholici credunt, *omnia vitæ crimina deleri aspersione aquæ benedictæ*; vt fingit inficetus iste caprimulgus; sed venialia tantum.

Non conferuntur autem oẽs isti effectus ordinariè, certò & infallibiliter; sed pro beneplacito Dei, qui si Ecclesiam non semper exaudiat ad volũtatem, semper tamen exaudit ad salutem; & quod petenti negat interdum in beneficiis corporalibus, hoc abundè compensat aliquando in spiritualibus.

Operæpretium porrò erit, aliquot ex supradictis effectibus confirmare & illustrare testimoniis & exemplis ex probatissimis Scriptoribus desumptis. Non agemus tamen de sola illa aqua benedi-

nedi-

prædicti, quæ diebus Dominicis solenniter in Ecclesia Romana benedicitur; sed etiam de Baptismali, & ea, quam viri sancti priuatim per verbum Dei & orationem aliquando sanctificasse leguntur; eosdem enim effectus fermè habet, quos illa aqua, quæ publicis Ecclesiæ precibus benedicitur.

Cæterum prius quàm narrationem variorũ exemplorum aggrediamur, dicendum est aliquid de incorruptione aquæ benedictæ, præsertim baptismatis; nam experientia compertum est, aquã per verbum Dei & per Ecclesię, sanctorumq; hominum orationes consecratam & sanctificatam, longo tempore aliquando incorruptam perseuerasse; & adeo puram limpidamq; perstitisse, ac si iam tam primùm ex purissimo & limpidissimo fonte hausta fuisset. Ex quo euentu Græci olim Latinis calumniam struxerunt, asserentes, eos recta fide carere; *quòd aqua benedicta apud ipsos nõ duraret incorrupta.* Cæterum hoc falsum esse demonstrat Manuel Caleca, præsertim si loquamur de aqua baptismali, quæ non modò per anni circulum incorruptionis expers manet; sed & longè diutius; vt & illa, quam quisq; ex fonte baptismatis acceptam secum domũ defert, quæ etiam semper fit limpidior, inquit Caleca; *quod & ipsum experientia docuit. Argumentum aũt nobis est, & quod in vino* (Benedicto) *quamuis craßioris materiæ sit, idem contingat*; vt ait idẽ Caleca. *Caleca lib. 4. contra Græcos.*

Cõmemorabile huius rei exemplum exstat in libro Reformationis Stiriacę edito à R. D. Iacobo Præposito Steynizensi, nã cum Commissarij, quibus hæreseos expellendæ cura commissa erat, venissent Weissenfelsiam, repererunt in Templo S. Leonardi Baptisterium clausum, plenumq; aqua; prout ante 29. Annos à Catholico sacerdote impletum, consecratum, & occlusum fuerat: cumq; Episcopus Baptisterium reserasset, apparuit aqua illa tã pura, munda, & limpida, ac si tum primùm ex illimi ac purissimo fonte fuisset hausta. Quod spectaculum non modò Episcopum, sed & totum circumstantem populum in magnam admirationem rapuit. *Part. 1. c. 5.*

Commemorabilius adhuc reputo illud, quod inueni in Relatione quadam de Rigensium in Liuonia ad Lutheranismum defectione, vbi constantia quarundam Monialium mirabiliter enituit; ex quibus vna nomine Anna Netken aquam benedictam 40. integros annos puram prorsus ac illibatam conseruauit. Et per eandem multis salutem attulit, non sine hæreticorum admiratione ac fremitu. Sed iuuat ipsius Relationis verba apponere.

Eadem

Eadem industria simul per 40. annos thesaurum spiritualem, aquam benedictam, cõseruauit, cuius aspersu potuq; omne ægritudinis genus pauperum Lotauorum ad eam gregatim accurrentium, persanabat. Accidit quadã vice, vt cum Moschus Liuoniam propè totam subiugaret, milites præsidiarij castra metarentur inter Rigam & Dunamuntũ, vnumq; secũ haberent à Dæmone obsessum & agitatũ; vocantur leuamen allaturi Ministri; veniunt: multa tentant, sed nihil proficiunt & abscedũt. Hoc animaduertens quidã Monachus, qui è monasterio suo pulsus ab hæreticis aliam vitæ sustentandæ rationẽ non inuenit, quã merendo stipendia, dixit in circulo ad socios, se si copiam cuiusdã rei haberet, omnino energumenũ sanaturum. Quidnam hoc esset, percontãtur diligenter. Respondet, aquã benedictam. Vbi hæc inuenietur, inquiunt? Mittite, ait, postulatũ ad Annam Netken obtinebitis. Nil morati legatũ destinant ad Monasterium aquam benedictam obnixè petitum. Atq; Virgo verita hæreticorũ imposturas iuuenẽ primò asperius excepit; deinde illo preces ingeminante, seriem negocij explanante & instante, aquã concedit; quæ vt aspersa super energumenum fuit, illico eum ab omni infestatione liberauit. Ministri de tanto euentu certiores facti, duos ex ordine suo ad Annam destinant, qui cum multa frustra de fide cum illa exegissent, seriò mandant, vt aquam benedictam, veluti rem superstitiosam effundat; at illa, vos, inquit, mihi aquam non dedistis, idcirco nec accipietis. Nihilominus præceptum vrgentes & multũ indignantes interrogauit Anna, vnde putarent huic aquæ tantam virtutem & energiam inesse? accipite, inquit, vos aquam naturalem, & eam vestris conceptis verbis benedicite, atque propè hanc meam ritu veteri benedictam collocate. Mendax sim, si non vestra aqua intra paucos dies putida fœteat & corrupta, cum ego hãc meam ab annis iam inde 40. seruem, & nihilominus pura semper sit, limpida, & incorrupta. Quæ vestra igitur est sententia, vndenam putatis id prouenire. Respondent illi, quia arcana verba super hanc aquã recitata sunt. Tum illa, salua res est. Vos arcana hæc verba non habetis; idcirco aquam hanc consecratam mihi non accipietis, quia talem ipsi facere non potestis. Hoc accepto respõso, Ministri fremere ac frendere, ac tãdem alter ad alterũ, apage, inquit, quantũ negocij in vna muliere? prædixi tibi antea malũ esse cum hac fœmina disputationẽ ingredi abstineamus. Atq, exinde nihil vnq̃ ab eis molestiar habuit Anna de aqua benedicta. Hæc Relatio illa.

Aquæ

Aquæ benedictæ sine corruptione perseuerantis locupletissimum insuper testem habemus S.Chrysostomum ita scribentem: *Idcirco in hac solennitate* (Epiphaniæ, qua Græci μέγαν ἁγιασμὸν celebrant) *sub mediam noctem omnes,* ὑδρευσάμενοι *cum aquam* (benedictam) *acceperint, domum latices referunt ac recondunt, & per integrum annũ conseruant, vtpote quòd hodierna die sanctificatæ sint aquæ:* (per baptismum Christi in Iordane) *fitq; miraculum euidens, dum nil temporis longinquitate aquarum illarum natura vitiatur; sed integro anno, atque adeo biennio & triennio sæpè, quæ hodie fuit hausta, incorrupta & recens permanet, ac post tantum temporis cum ijs, quæ nunc fuerint e fontibus eductæ, certat.*

S. Chrysost. Hom. de Baptismo Christi.

CAPVT XI.

Per aquam benedictam Diabolicas machinationes, fraudes, incantationes atque præstigias infringi ac disijci.

MVltis exemplis id demonstrare licet; quorum primum sit celebre illud de Marcello Apamenorum Episcopo, proditum à Theodoreto; Cum enim idololatricum quoddam Templum euertere vellet, nec conatus succederet, Dæmone vim ignis impediente, ne Templo subiectam materiam incenderet; Marcellus aliam fani euertendi rationem ineundam ratus, ad Ecclesiam sese contulit, inque vasculo aquam afferri iussit. *Qua supposita sacro altari, ipse in faciem humi prostratus, enixe supplicabat Domino, ne vlterius progredi Dæmonis Tyrannidem permitteret, sed vt & infirmitatẽ illius detegere, & suam potentiam demonstrare vellet, ne qua hinc maioris detrimenti occasio infidelibus existeret.*

Theod. lib. 5. Hist. cap. 21.

Hæc & alia huiusmodi precatus, figurà Crucis aquæ inditâ, Equitium quendam Diaconali honore, fide, ac feruore munitum, aquam sumere iussit, & velociter currere, ac delatam, ad flammam illi adspergere. Quo facto, contactus aquæ impatiens Dæmon aufugit; at ignis contrariâ ipsi aquâ, quasi oleo excitatus, ad ligna statim adhæsit, & temporis momento absumpsit. Tunc columnæ sublatis è medio fulcimentis, tum ipsæ collapsæ sunt, tum secum alias duodecim ruinam traxerunt, templiq; latus quod cum columnis fuerat coniunctum, vnà corruit illorum pondere contractum: fragor autem totam vrbem peruagatus; erat enim ingens,

cunctos ad rei spectaculum conuocauit, ac comperta fuga aduersarij Dæmonis ad laudem omnipotentis Dei linguæ illorum incitantur.

Centur. 4. cap. 6. col. 440.

Recitant hanc eandem historiam ex Theodoreto Centuriatores: sed addunt suam crisin: *Non esse dubium, multa superstitiosa esse addita à recentioribus.* Quo resondendi genere semel admisso, quid tandem tutum erit in historia? Nam si quid proferatur, quod tibi non arrideat, quid promptius quàm dicere, hęc à recentiorib᷒ superaddita? Quo tamen inanissimo perfugio Centuriarum Architecti vel millies vtuntur.

Hospinianus in sua Rhapsodia de Templis occlamat: *Si Deus Marcellum, aliumue Episcopum miraculo quopiam ad confirmandam rectam eius fidem, illustrare voluit, non propterea aquam lustralem institui debuisse: nec ob miraculum aliquod Sacramēta in Ecclesia, hominū arbitrio fabricanda fuisse.* Quasi verò ex Marcelli Apameensis Antistitis facto aqua benedicta introducta fuerit, & non potius ipse Marcellus, ad hoc Dæmonis expellendi remedium, tanq̃ ad iam in Ecclesia perq̃ vsitatum, confugerit. Nec aqua benedicta *Sacramētum* est; si ꝓpriè loqui velimus; nam Sacramenta septenarium numerū nō excedunt; in quo septenario aquam lustralem nō reperies; sed est quoddam *Sacramentale*; nam quòd pręterea Hospinianus dicit, *aquam, qua Marcellus Dæmonis machinamenta disiecit*, non fuisse lustralem seu benedictam, id Caluinianum diuerticulum est: Quid enim est aqua benedicta, nisi aqua precib᷒ & signaculo Crucis sanctificata? Talis erat aqua Marcelli, vt diserte scribit Theodoretus.

S. Epiph. Hæresi 30.

Alterum exemplum illustrius est literis cōmendatum à S. Epiphanio de Iosepho primùm Iudęo, postea Christianis sacris imbuto, quem Constantinus Magnus dignitate *Comitatus* cohonestauit, facta etiam potestate, vt Ecclesias in Iudęorum ciuitatibus, sumptu publico, exędificaret: qui exstructionē in Tiberiade aggressus, caminos extra vrbem pro calce coquēda parari iussit: *At verò callidi, & omnia facere audentes Iudæi,* (verba sunt S. Epiphanij) *à præstigiis apud ipsos fieri solitis nō abstinuerunt: Incantationibus enim quibusdam, ac curiosa sedulitate ignē ligare, ac disperdere aggressi sunt; sed non perfectè potuerunt. Cessabat itaq; ignis, & non operabatur, sed extra propriam naturam constitutus erat. Vbi autem hi, qui combustilem materiam igni addere iussi erant, ligna videlicet siue sarmenta, nihil effecissent, Iosepho rem ipsam significauerūt. Commotus igitur vir ipse, & Zelo erga Dominū correptus, extra ciuitatem currit; & vbi aquam in vase afferri iussisset: accepto vase aquæ coram omnibus (multitudo enim ingens Iudæorum conflu-*

confluxerat ad spectaculum, euentum videre cupidi, & quid Iosephus facturus esset) magna voce Crucis signaculum proprio suo digito vasi imposuit: & inuocato nomine Iesu, sic dixit. In nomine I E S V Nazareni, quem crucifixerunt patres mei, & omnium horum circumstantium, fiat virtus in hac aqua ad reprobationem omnis incantationis ac magiæ, quam hi fecerunt, & ad efficaciam potentiæ ignis ad perficiendam domum Domini: & sic accepit aquam in manum, & de aqua singulas fornaces aspersit: & dissoluta sunt incantamenta, & ignis coram omnibus emersit. Turbæ verò præsentes, clamore edito, vnus Deus, qui auxiliatur Christianis, recesserũt.

Hanc tam celebrem, veterem, testatamq; historiam silentio suppresserunt Centuriatores, coruscantis crucis fulgore, & tanta aquæ benedictæ energia, tanq̃ hydrophobi, absterriti, vt opinor, quippe capitales vtriusq; hostes. Quod eis non iniuriâ exprobrat Alanus Copus. Nec ex obliuione id eis accidit; nam alibi Iosephi huius, & ipsius etiam templi in Tiberiade exstruendi meminerũt. *Alan. Dial. 1. Cent. 4. cap. 10 & 14. col. 1195. & 1457.*

Nec Hospinianus suo in Centone miraculum hoc attingere ausus fuit, quia & ipse Hydrophobus est, à rabioso, eoq; Tartareo cane percussus: qui nimium frontem perfricuisset, si illustrissimũ hoc miraculum, tanto auctore suffultum, posuisset sub illo suo titulo seu lemmate. *Miracula falsa pro confirmanda aqua lustrali.* Tametsi vel sic limites omnis pudentiæ transcendit, cum miraculum illud Marcelli Apamcensis & alia ex probatis Auctoribus petita, pseudomiraculis accensuit.

Tertium exemplum suppeditet nobis S. Hieronymus qui de S. Hilarione Eremita. *Italicus, eiusdem oppidi (Gazæ) municeps, Christianus aduersus Gazensem Duumuirum, Marnæ Idolo deditum, Circenses equos nutriebat: hoc siquidem in Romanis vrbibus iam inde seruatur à Romulo, vt propter felicem Sabinarum raptum, Conso, quasi consiliorũ Deo, quadrigæ septeno currant circuitu, & equos partis aduersæ fregisse, victoria sit. Hic itaq;, æmulo suo habente maleficium, qui Dæmoniacis quibusdam imprecationibus huius impediret equos, & illius incitaret ad cursum, venit ad beatum Hilarionem, & non tam aduersarium lædi, quàm se defendi obsecrauit. Ineptum visum est venerãdo seni in huiuscemodi nugis orationem perdere; cumq; subrideret & diceret: Cur enim nõ magis equorum pretium pro salute animæ tuæ pauperib⁹ erogas? Ille respondit; functionem esse publicam, & hoc nõ tam se velle, quàm cogi, nec posse hominem Christianũ vti magicis artib⁹, sed à seruo Christi potius auxiliũ petere, maximè contra Gazenses, aduersarios Dei, & nõ tam sibi, quàm Ecclesiæ Christi insultantes. Rogatus ergo à fratrib⁹, qui aderãt, Scyphũ fictilẽ, quo* *S. Hieron. in vita S. Hilarionis.*

bibere consueuerat, aquâ iussit impleri, eiq; tradi (proculdubio nō sine benedictione, edita vel per preces, vel per crucis signaculum, vel per vtrunq; : Quanquā ipso etiam tactu scyphi, quo vir sanctimonia tam præstans, vtebatur; aqua satis benedicta censeri poterat.) *Quem cum accepisset Italicus, & stabulum, & equos, & aurigas suos, rhedam carcerumq; repagula respersit. Mira vulgi exspectatio: nam & aduersarius hoc ipsum irridens difamauerat, & fautores Italici sibi certā victoriam pollicentes, exultabant. Igitur dato signo, hi aduolant; isti præpediuntur, sub horum curru rotæ feruent; illi; præteruolantiū terga vix cernunt. Clamor fit vulgi nimius, ita vt Ethnici quoq; ipsi concreparent: Marnas victus à Christo est. Porrò furentes aduersarij Hilarionem maleficum Christianorum ad supplicium poscere. Indubitata ergo victoria & illis, & multis retrò Circensibus plurimis fidei occasio fuit.*

Hoc loco tacitus præterire nequeo, reuerentiam & pietatem Isaaci Casauboni Caluinistę, in S. Hilarionem, qui in Notationib' ad Didium Iulianū Ælij Spartiani ex sanctissimo isto Eremita Magum, & quidem *specularium*, facit: postquā enim ἐνοπτρομαντικῆς, seu *speculariæ* diuinationis varias formas ex rebus, quę speculorum instar, imagines reddere solent, desumptas, recensuisset; subiungit: *Miratus sum persæpe, antiquissimum Monachum Hilarionem, conclamatissimæ virtutis virum, cum in Christi nomine miraculum esset editurus, curiosorum hominum artes hoc genus esse æmulatum. Historiam narrat Hieronymus; eadem in Græcorum Martyrologiis fusè descripta. Vnde hæc pauca hic descripsimus.*

Ὁ δὲ Ἱλαρίων τοὺς παρόντας δυσωπηθεὶς, ἐδέοντο γὰρ καὶ αὐτοὶ μὴ περιιδεῖν οὕτως ἔχοντα τὸν Ἰταλικόν. *Hilarion verò in gratiam præsentium, nam & ipsi orabant, vt precibus Italici ita affecti locum daret,* (Christianus hic erat, qui in ludicro Circensi victus à contraria factione, non equorum virtute, sed magicis artibus, opem ab Hilarione flens petierat) πλησθῆναι κελεύει τὸ ποτήριον ὕδατος. ἐν ᾧ πίνειν αὐτῷ σύνηθες. ὀστράκου δὲ ἦν, καὶ εἰς χεῖρας τῷ Ἰταλικῷ ἐντεθῆναι. τοῦτο λαβὼν ἐκεῖνος, ὁμοῦ τούς τε ἵππους, καὶ τὸν ἱππῶνα, καὶ δὴ καὶ αὐτοὺς μετὰ τῶν ἁρμάτων τοὺς ἡνιόχους ἐναπορρίζεται καθαρῶς ἐν τῷ ὕδατι. δεδεμένοι δὲ πάντες ἦσαν γοητείᾳ τῶν ἐναντίων. τοῦτο ἰδὼν καὶ θεῷ χάριν ὁμολογήσας καὶ Ἱλαρίωνι, αὐτίκα μὲν εἰς τὸν οἶκον ἐπανήκει. λαβὼν δὲ ἐκεῖνος τοῦ ὕδατος, οὓς ἐν τῷ ποτηρίῳ ἵππους πεπεδημένους εἶδε, διαλύει πάντας. εἶτα καὶ τῷ σεβασμίῳ τοῦ σταυροῦ τύπῳ ἐπισφραγίζει. καὶ ἀπ' ἐκείνου μετατίθεται μὲν ἐπὶ τὸν Ἰταλικὸν ἡ νίκη αἰσχύνη δὲ λαμβάνει τοὺς ἀντιπάλους ἐξαπάτη: *impleri iubet aquâ poculum, ex quo bibere solebat, erat autem*

autem fictile; illudq; tradi Italico. Quo accepto ille & equos simul & trahale ipsosq; aurigas cum curribus pure ac limpide in aqua conspicatur. Vincti enim aduersariorum incantamentis omnes tenebantur. Quo viso, Deoq; & Hilarioni gratiis actis, absq; mora domum reuertitur; Et ex illa aqua, cuius in poculo equos vinctos aspexerat, omnes aspergit: Deinde etiam venerabili crucis signo consignat: Et ab illo tẽpore victoria Italico cessit, cum extrema aduersariorum ignominia.

Quis neget, inquit Casaubonus, *Κατοπτρομαντείας his verbis describi illam speciem, quæ cum aqua & cyatho peragebatur?* Ego verò id non tantùm nego, sed & pernego. Nam quis credat, S. Hilarionem Dæmonem Dæmone expellere, & maleficium maleficio dissoluere voluisse? Deinde, quæ nam sunt illa Græcorum Martyrologia, ex quibus ista Casaubonus nobis depromit? Nam in Menæo seu Menologio, 21. die Mensis Octobris, quo Græci quoque anniuersariam memoriam huius Diui celebrant, nihil huius apparet; vt nec apud S. Hieronymum in vita S. Hilarionis: qui ista tantùm: *Rogatus à fratribus, qui aderant, Scyphum fictilem, quo bibere consueuerat, aqua iussit impleri, eiq; tradi: quem cùm accepisset Italicus, & stabulum, & equos & aurigas & rhedam, carcerumq; repagula aspersit. Mira vulgi exspectatio, &c.* Nihil S. Hieronymus de visis in aqua equorum, curruum & aurigarum imaginibus: cui potius hac in re fides habenda, quam Græcis, quos probabile est in describendis rebus gestis S. Hilarionis, nullum alium fundum, quàm S. Hieronymi historicam lucubrationem, habuisse: quam si fideliter suo idiomate expressissent, nihil de visis in aqua imaginibus nobis apposuissent.

Præterea, vt verum esset, quod Casaubonus ex Græcis refert; nefarium tamen est dicere; S. Hilarionem *Catoptromanticam* exercuisse: nam non ope dæmonis, vt fit in hac diuinandi specie, sed speciali concessu Dei, meritis & precibus B. Hilarionis interuenientibus; vinctos suos currus & equos aurigasq; Italicus vidit; & videndo, qua ratione vincula illa & retinacula dissoluenda essent, intellexit: nimirum aspersione aquæ ab Hilarione sibi traditæ, & signaculo sanctæ Crucis: nihil enim Diabolicæ superstitionis hic intercessisse; suadet Hilarionis summa sanctitas; Et felix itidem euentus; Marna, Gazæorum idolo, insigni ignominia affecto; & Christi gloria mirificè illustrata, & à pluribus pleno ore deprædicata; subdit enim S. Hieronymus: *Mira vulgi exspectatio; nam &*

aduersarius hoc ipsum irridens diffamauerat, & fautores Italici sibi certam victoriam pollicentes, exultabant. Igitur, dato signo, hi aduolant: isti præpediuntur. sub horũ curru rota feruent; illi præteruolantiũ terga vix cernunt. Clamor fit vulgi nimius; ita vt Ethnici quoq; concreparent: Marnas victus à Christo est. Porro furentes aduersarij maleficum Christianorum (ita impij iudicabant) *ad supplicium poscere. Indubitata ergo victoria & illis, & multis retrò Circensibus, plurimis fidei occasio fuit.* Quis tam demens est, qui sibi persuadeat, Dæmonem per suam Catoptromantiam aliquid operæ conferre voluisse ad fidei Christianæ propugnationem, & Christi, Redemptoris nostri, glorificationem aduersus suum Marnam? Nec quod Dæmonis vires non superat, vires Dei excedere censendum est. Si ergo Dæmon occulta aliqua in *speculis*, vel corporibus *specularibus* demonstrare potest; cur id non posset Deus, vel vir sanctitate conspicuus, subsidio cœlesti subnixus?

Tom. 1. Surij. Quartum exemplũ exstat in vita S. Parthenij Episcopi Lampsaceni his verbis: *Tempore piscationis thynnorum, cernebãtur quidem pisces à piscatoribus, tanquam qui iam essent in manibus. Cum laxarentur autem retia, nihil proficiebant, sed laborem inanem sustinebant. Fuit verò hoc à Diabolica aura impedimentum non in vno tantum aut altero emporio, sed in tota regione maritima vsque ad Abydum. Omnes autem simul congregati rogarunt virum sanctum* (Parthenium) *vt Deum pro eis precaretur. Eo verò precante cum ieiunio & fletu, Deus ei aperuit causam, & Satanicam operationem. Experrectus autem citra moram profectus est in vnumquodq; emporium vsque ad Abydum,* & AQVAM BENEDICENS *& sal inijciens, & Deum inuocans iussit afferri retia, & eo præsente, piscium consuetam facere piscationem. Tunc cum magno gaudio sua retia laxantes, Domini virtute & Sancti precibus, tanta bona consecuti sunt in piscatione, vt præteriti temporis defectum suppleuerint.*

Pallad. in Lausiaca Histor. cap. 19. Quintum exemplum sit illud, quod de B. Macario scriptum reliquit Palladius; qui fæminam veneficiis ita incantatam, vt intuentium oculis equa videretur, à præstigiosa illa specie liberauit: nam *confestim benedictam à capite ipsius nudæ infundens aquam* (oratione completa) *subito videri eam omnibus fæminam fecit:* cumque omnium oculi hoc ludibrio præstricti essent, solius Macarij oculi, etiam cum primùm mulier illa adduceretur, fascinari nequiuerunt. Eam ob causam, aliis equam se cernere arbitrantibus,

trantibus, aiebat: *vos equi estis, qui equorum habetis oculos: illa enim mulier est, nec transfigurata in aliam naturam videtur, nisi eorum oculis, qui præstigij vanitate falluntur.*

Sextum exemplum. Cum S. Germanus Altisiodorẽsis & Lupus Trecassinæ ciuitatis Episcopi, in Britanniam ex Galliis nauigarent, oppugnatum & expugnatum hæresin Pelagianam, horrifica in mari tempestas excitata est, Dæmonibus æquora turbantibus, qui sibi & suæ causæ à tantis orthodoxæ doctrinæ præconibus plurimùm metuebant. *Intrant* (S. Germanus & S. Lupus) *Oceanum*, inquit Beda, *& vsque ad medium itineris, quo à Gallico sinu in Britanniam vsq; tenditur, secundis flatibus nauis tuta volabat. Tum subitò occurrit pergentibus inimica vis Dæmonum, qui tantos talesq; viros ad recuperandam tendere populis salutem inuiderent. Concitant procellas, cœlum diemq; nubium nocte subducunt. Ventorum furores vela non sustinent, cedebant ministeria victa nautarum, ferebatur nauigium oratione non viribus, & casu dux ipse vel Põtifex fractus corpore, lassitudineq; sopore resolutus est. Tunc verò, quasi repugnatore cessante, tempestas excitata conualuit, & iam nauigium superfusis fluctibus mergebatur. Tum B. Lupus omnesq; turbati, excitant seniorem, elementis furentibus opponendũ, qui periculi immanitate constantior,* CHRISTVM *inuocat, & assumpto in nomine sanctæ* TRINITATIS *leui aquæ aspergine, fluctus sæuientes opprimit, collegam cõmonet, hortatur vniuersos, oratio vno ore & clamore profunditur. Adest diuinitas, fugantur inimici, tranquillitas serena subsequitur, venti è contrario ad itineris ministeria reuertuntur, decursisq; breui spatiis pelagi, optati littoris quiete potiuntur.* Beda lib 1. Hist. Angl. cap. 17.

Septimum exemplum. B. Petrus Abbas Monasterij Cauensis Dæmonem sub schemate volucris atræ apparentem, aqua benedicta fugauit: cum enim cuidam fratri animam agenti adesset; frater moribundus dixit: *In fenestra illa, pater, duæ aues sunt, vna est pulcherrima; alia, horribilis valdè & nigra. Rogo igitur, vt horribilem illam eijcias. Tunc admirari fratres, qui aderant cœperunt, quòd astantibus monstraret, & quod monstrabat, ipsi videre nõ poterant. Pius autem pater intelligens, quod moriens frater videre aliud, quàm viuẽtes posset, aquã exorcizatam sibi afferri iussit; qua profectò dum orando aspergine fenestrã tangeret, nigram illam auem protinus discedere idẽ moriens vidit, cumq; Deo gratias ageret, sancta eius anima carne soluta est.* Tom. 7. Surij.

Octauum Exemplum, quod in literas retulit Petrus, venerabilis Abbas Cluniacensis. *In Monasterio Cluniacensi quidam erat ægrotus*

grotus in articulo mortis, qui videbat domum totam seu cubiculum repleri deformibus, rostratisq; personis. Quod cum aduerteret, vnus ex custodibus, &c. cœpit locum aquâ benedictâ aspergere: infirmus autem statim cœpit clamare: Eia, eia, fac, quod facis, quia Diaboli fugientes cõtendunt alter post alterum summa celeritate discedere.

Tom. 6. Surij. Nonum exemplum. Cum S. Hubertus Episcopus Leodiensis nocte quadam à Diabolo infestaretur; nec quietus esse sineretur; puero suo dixit: *Aqua, quæ sacerdotali consecratione, sale admixto, benedicta & ad effugandam inimici nequitiam, orationis virtute, impregnata est, liquorq; olim itidem* (id est, oleum) *Apostolica auctoritate benedictus, huc deferatur: quorum aspergine atq; litura mox ita effugabuntur hinc inimici virulenta phantasmata, vt amplius non audeat inferre sua machinamenta.*

Decimum exemplum. S. Anno Coloniensis Archiepiscopus Dæmonem ad lecticam suam videns, sic affatus est: *Quid tu hic agis scelestissime? Quanquam non mirum est, si nos exiguos, & nullis fretos meritis attentes; quando nec beatissimi Martini sanctitate absterritus es, quo minus eius quoq; extremis insidiareris. Deinde exclamans, num quis opem sibi ferre vellet, vbi omnes paratissimos comperit, aquam benedictam petit. Qua celerrimè exhibita, aspergillo eam cum impetu in Dæmonem coniecit isq; continuò disparuit.*

Tom. 6. Surij. Tom. 3. Surij. Vndecimum exemplum. S. Willibrordus liberauit aqua benedicta infantem à vexatione Dæmonis. Sanctus quoq; Norbertus aqua benedicta terrificas Dæmonum impressiones ac illusiones compescuit.

CAPVT XII.

Morbi per aquam benedictam depulsi, & mortui excitati.

Innumera exstant huius rei exempla. Nos paucula ex probatis scriptoribus libabimus.

Theod. in Macedonio. Bulimia fœmina cuiusdam curata. I. *Vxor quædam cuiusdã locupletis nobilis,* inquit Theodoretus, *inciderat in morbum ingluuiei. Et alij quidem eum morbum appellabant operationem seu vexationem Dæmonis: alij eum existimabant imbecillitatem corporis. Siue autem hoc, siue illud esset; erat eiusmodi. Dicebant eam comedentem in die triginta gallinas, non posse* appeti-

appetitionem extinguere satietate, sed adhuc alias appetere. Cum sic ergo in ea consumerẽtur facultates, eius miserti, qui ad eam attinebant, diuinũ illum hominem (Macedonium) *obsecrant. Ille autem venit quidem & precatus est, & cum aquæ dexteram imposuisset, & salutare efformasset signaculum, & iussisset bibere, curauit morbum; & adeo retudit immoderatam illam appetitionem, vt deinceps parua aliqua gallinæ particula quotidie eius alendæ vsum impleret.*

II. De eodem Macedonio ibidem idem Theodoretus. *Mulier quædam nobili loco nata, & longè ditißima, ea autem vocabatur Assyria, erat quidem emotæ mentis, ex domesticis autem agnoscebat neminem: vt cibum autem & potum sumeret, ferre non poterat. Plurimo autem tempore aßiduò delirabat: & hoc alij quidem dicebant esse vexationem & operationem dæmonis: medici autem dicebant, esse morbum cerebri. Cum omnis ergo ars esset consumpta, & ex ea nullum daretur auxilium, eius maritus, erat autem is Abrodianus, vir qui & erat ex magistratibus, & magnâ dignitate præditus, ad diuinum illud caput accurrens, narrauit morbum coniugis, & orauit, vt ea assequeretur curationem. Ceßit vir diuinus: & domum quidem venit, & magno ac vehementi studio Deo obtulit orationem. Perfectâ autem oratione, cum iussisset aquam afferri, & fecisset figuram salutaris signaculi, iußit illam bibere. Cum autem prohiberent medici, vt pote quod potu aquæ frigidæ morbus cresceret, expulsa tota illorum caterua, obtulit mulieri potionem. Illa autem simul ac bibit, ad se redijt, & à morbo omnino liberata diuinum virum agnouit, & vt dextram acciperet, rogauit, oculisq; eam imposuit, & ori admouit, & deinceps semper fuit mentis compos.*

Deliratio mentis sanata.

III. De Iacobo non illo Nisibeno, sed alio, qui tempore Theodoreti viuebat; ista generatim Theodoretus. *Illius benedictione multæ exstinctæ sunt, & exstinguuntur febres, & multæ ægritudines cessarunt, & omnino abierunt. Multi autem Dæmones coacti sunt fugere, & aqua, quæ ab illius dextera benedicitur, fit salutare pharmacum.*

IV. S. Ioannes Chrysostomus, oblata sibi muliere, quæ dyssenteria laborabat, *iußit aquam afferri; cui cum diuinum signaculum iniecisset Pontifex mulieri infudit in Christi nomine: Quod cum factum esset; quæ in lecto decumbebat, statim surrexit sana; & cum marito & ciuibus vna voce vnanimes Christum magnificabant.*

Vita S. Io. Chrysost. Tom. 1. Surij.

Patrauit hoc miraculum S. Chrysostomus ante Episcopatum Constantinopolitanum, cum adhuc Antiochiæ versaretur. Fuerat autem fæmina hæc hæresi Marcionis cum marito suo contaminata;

minata; & frustrà apud suos remedium quæsierat, vt liquet ex Encomio S. Chrysostomi, quod sancto huic Leo imperator scripsit; cuius en tibi verba. *Eodem morbo quo Ciuitas* (Antiochena) *laborabat etiam præses ciuitatis, & hæc erat causa, quòd malum cresceret. Quid ergo facit Deus, qui animarum saluti semper prouidet? Vxorem præsidis ferit morbo dyssenteriæ. Et ea quidem omnes accersit, nihil autem ei prodest; sed omni ex parte auxilio deficitur. Deinde quid? Confugit ad Hæreticos. Ii quoq; aggrediuntur ad trium dierum vsque precationem, nec quidquam proficiunt. Nescit rursus quid agat mulier. Tandem statuit ad virum diuinum confugere. Deinde, id dicit suo marito. Persuadet. Postremò venit ad seruum Dei. Ioannes de his confert cum Episcopo. Eis procedit obuiam, ex Ecclesia arcens, tanquam indignos. Arguit hæreseos. Petunt ipsi veniam. Assentiuntur veritati, maximè autem mulier. Cum sanctus aquam attulisset rogat Episcopum, vt facto signaculo Crucis, ter mulieri aquam adspergat. Hoc cum factum esset, statim mulier accepit sanitatem, reuersa suis pedibus, & pulchrè affecta, reddens quæcunq; erat pollicita.* Hæc Leo, qui rem ita refert, quasi fœminæ ægrotæ non Ioannes, sed Episcopus aquam benedictam affuderit.

In vita S. Chrysost.

V. Idem S. Chrysostomus febricitantem puerum, vi morbi iam ad extrema deductum, pristinæ sanitati restituit aquâ, quam *cum ter signasset in nomine sanctæ Trinitatis, & ter eâ aspersisset illum, qui ægrotabat, sanum & à morbo liberum reddidit ei quæ genuerat.*

S. Gregor. lib. 1. Dial. cap. 10.

VI. Illustre exemplum de Fortunato, Episcopo Tudertino, commemorat S. Gregorius: nam cum quidam Gothus duos paruulos puerulos abstulisset, nec eos vt redderet, precibus Fortunati, nec oblato etiam pretio induci potuisset, *contristatus Episcopus dixit: Scio, quia tibi non expedit, quòd me contristato discedis. Quæ Gothus verba despiciens ad hospitium reuersus, eosdem pueros, de quibus agebatur, equis super impositos cum suis hominibus præmisit. Ipse verò statim ascendens equum, subsecutus est. Cumq; in eadem ciuitate ante B. Petri Apostoli Ecclesiam venisset, equi eius pes lapsus est; qui cum eo corruit, & eius coxa mox fracta est, ita vt in duabus partibus os esset diuisum: leuatusq; in manibus reductus est ad hospitium. Qui festinus misit, & pueros, quos præmiserat reduxit, & viro venerabili Fortunato mandauit, dicens: Rogo te, pater, mitte ad me Diaconum tuum. Cuius diaconus dum ad iacentem venisset, pueros, quos redditurum in se Episcopo omnino negauerat, ad medium deduxit, eosq; diacono illius reddidit,*

dicens

dicens: *Vade, & dic Domino meo Episcopo, quia maledixit mihi, ecce percussus sum: Sed pueros, quos quæsisti, recipe; & pro me, rogo, intercede. Susceptis itaq; puerulis, Diaconus ad Episcopum reduxit, cui benedictam aquam super membra illius adspersit. Res mira & vehementer stupenda: mox vt aqua benedicta Gotthi coxam contigit, ita omnis fractura solidata est, & saluti pristinæ coxa restituta, vt hora eadem de lecto surgeret; & ascenso equo, ita cœpit iter agere, ac si nullam vnquam læsionem corporis pertulisset. Factumq; est, vt qui sancto viro Fortunato pueros cum precio reddere obedientiæ subiectus noluit, eos sine precio pœnæ subactus, donauerit.*

VII. Ad S. Theodorum Archimandritam, *accessit quidam lepram habens in toto corpore, ac obsecrans, vt pro se precaretur: ipse autem precibus adhibitis iussit, vt exueretur; & acceptâ aquâ precatus est ad hunc modum: Domine IESV Christe Deus noster, qui per Elisæum Prophetam mundasti Naaman Syrum à leprâ, quique cum ad nos benignitate tua descendisses, factus homo, antequam mortem subires, verbo leprosum curasti, aspice aquam hanc, & benedicens ei concede, vt valeat ad emundationem præsentis serui tui, vt sanus recedat, ad laudem & gloriam sancti nominis tui. Peractis precibus & extensâ manu & signans cum figura Crucis † aquam illam, in caput eius effudit, & statim ab eo lepra discessit & totum ipsius corpus mundatum est, & abijt laudans Deum.* In Vita S. Theodori Tom. 2. Surij.

VIII. In eadem Historia hęc leguntur. *Cum in Ancyranorum Metropoli magna lues in homines, armentaq; desæuiret, eius Metropolis curatores, ad Dei seruum accedentes secum abduxerunt, cumq; filias haberent monachas in sanctissimo Dei genitricis monasterio, quod Becia vocatur, rogarunt eum, vt ibi moraretur, & pro illis Deum obsecraret. Constituto autem supplicationis die, omnes ciues, & agricolæ conuenerunt ad supplicandum, & ipse cũ illis Deum obsecrans, ab eâ peste ipsos liberauit. Aquam præterea benedixit: qua conspergebantur armenta, & libera erant, quamobrem gratias agentes Deo Metropolitæ, virum sanctum ad eius mansionem reduxerunt.*

IX. Idem S. Theodorus aquâ benedictâ cœcum illuminauit. *Mulier, cum filium quadriennem cœcum haberet, in vlnis eum suis, ad virum sanctum gestauit, & multis lacrymis ante illum prostrata, puerum ad pedes eius deposuit, supplicans, vt lumen oculorum illi largiretur. Vir beatus cum pueri oculos obsignasset, eisq; benedixisset, aquã benedictam matri dedit, præcipiens, vt aquâ illâ quotidie filij oculos lauaret. Quod*

cum ter egisset mater, quarto die filium sanum ad sanctum virum adduxit laudans Deum.

X. Idem Sanctus filium Imperatoris beneficio aquæ benedictæ à lepra liberauit. *Contigit, vt vnus ex filiis Mauritij Imperatoris lepræ morbo laboraret, cui cum medici nullam possent opem afferre, Imperator virum sanctum accersendum curauit, qui in Palatium, vbi puer iacebat ingressus, & pro illo preces ad Deum fundens aquam benedixit, cumque illum aspersisset, reliquum aquæ dedit, vt rursum conspergeretur, & sancti viri precibus puer sanus effectus est.*

XI. Alium quendam, cui facies post tergum detorta erat, curauit S. Theodorus *aquæ benedicens*, & *accipe*, inquiens, *& hac te aqua consperge, sed in Christi nomine, cum reuertemur à precatione te sanum & incolumem inueniemus. Quod & factum.*

XII. De S. Cuthberto Lindisfarnensi Episcopo hæc in eius vita venerabilis Beda. *Cum electus ad Episcopatum vir Domini Cuthbertus suam remeasset ad Insulam, atque aliquantulum temporis secretò, Domino solita deuotione militaret, euocauit eum venerabilis Episcopus eius Eata, atque ad suum colloquium Mailros venire præcepit. Quo expleto colloquio, dum domum redire cœpisset, occurrit illi comes quidam Egfridi Regis, rogauitque obnixè, vt ad benedictionem dandam in villulam suam, domumque diuerteret: quò cum peruenisset: & gratifico omnium susceptus esset officio, indicauit ei vir de infirmitate famuli sui dicens: Deo gratias, sanctissime pater, quod nos videre, nostramq; domum intrare dignatus es. Et verò credimus, quia maximum nobis lucrum & mentis & corporis præstet aduentus tuus. Est autem nobis famulus pessimâ diutius infirmitate cruciatus, & in tantum doloris hodie perductus, vt morienti similior, quàm languenti appareat. Extremâ namq; corporis parte præmortua, permodicum ore & naribus flatum trahere videtur. Qui confestim benedixit aquam, & dedit ministro Comitis nomine Baldhelmo, qui nunc vsque superest, & in Ecclesia Lindisfarnensi presbyterij gradum officio tenet, moribus implet, virtutesque viri Dei cunctis scire volentibus, referre melle dulcius habet, qui & mihi hoc ipsum, quod refero, miraculum narrauit. Huic ergo dans aquam benedictam vir Dei: Vade, inquit, & gustandam præbe languenti: qui dictis parens, attulit aquam ægrotanti: quam dum tertio ori eius infunderet, continuò contra morem se quietum dimisit in soporem. Erat enim iam vespera: qui etiam silentio transegit noctem, & visitanti se Domino suo saluus mane apparuit.*

XIII. De

XIII. De eodem idem Beda. *Quodam die, dum parochiam suam circumiens, monita salutis omnibus ruri casis & viculis largiretur, nec non etiam nuper baptizatis ad accipiendam Spiritus sancti gratiam manum imponeret; deuenit ad villulam cuiusdam Comitis, cuius vxor malè habens, quasi proxima morti iacebat; cui iam venienti occurrens ipse Comes, flexis genibus, gratias egit Domino de aduentu illius. Et introducens eum, benigno recepit hospitio. Cumq; lotis, more hospitalitatis, manibus & pedibus, resedisset Antistes, cœpit referre ille vir de languore coniugis desperatæ, obsecrans, vt ad adspergendam eam, aquam benediceret. Credo, inquit, quia mox aut sanitati, Deo donante, restituatur, aut si moritura est, perpetuam de morte transeat ad vitam, citiusque moriendo compendium tam miserabilis, ac diutinæ vexationis accipiat. Annuit deprecanti vir Dei, & allatam benedicens aquam, dedit presbytero, præcipiens, vt super languidam aspergeret: qui ingressus cubiculum, in quo illa exanimi simillima iacebat, aspersit illam, & lectulum eius: sed & os eius aperiens, gustum salutiferi haustus immisit. Res mira, & vehementer stupenda, mox vt eam aqua benedicta tetigit languentem, & quid erga eam ageretur prorsus ignorantem, ita plenam mentis & corporis sanitatem recepit, vt confestim resipiens benediceret Dominum, gratiasque referret ei, qui tales tantosque hospites ad se visitandam, curandamque destinare dignatus sit. Nec mora, exsurgens, ipsis suæ sanitatis ministris ministerium sana præbuit, pulchroq; spectaculo ipsa prima de totâ tanti viri familiâ Episcopo potum refectionis obtulit, quæ per ipsius benedictionem poculum mortis euasit, secuta exemplum socrus Apostoli Petri, quæ curata à febribus per Dominum, continuo surgens ministrabat illi, ac discipulis eius.*

XIV. Alcuinus in vita S. Wilibrordi. *Est in Treuirensi Ciuitate Monasterium puellarum, quod temporibus VVilibrordi Episcopi pestis acerrima inuasit: cuius acerbitate multæ ex ancillis Domini moriebantur; quædam vero longo infirmitatis dolore iacebant in lectulo. Cæteræ verò nimio terrore turbatæ, quasi præsentem mortem metuebant. Et quia prope est prædictæ ciuitati sancti viri Monasterium, quod appellatur Esternaco, in quo vsque hodie sanctus ille requiescit corpore, & eius posteri ex legitimâ traditione Patris, & piissimorum pietate Regum tenere noscuntur; ideo antedicti fœminæ Monasterij, audientes sanctum virum illuc venire; statim miserunt legationes, postulantes*

eum non tardare venire. Qui beati PETRI *principis Apostolorum mitissimo doctus exemplo, de Ioppe ob viduarum* CHRISTI *petitionem venientis Lyddam, vt sanctam suscitaret Thabitam; festinus venit, audito desiderio ancillarum* CHRISTI, *ad illas: & veniens mox in eodem Monasterio Missa pro infirmis celebrata, aquam benedixit, qua & domos illarum adspergi iussit, & ægrotantibus potandam transmisit: quæ cito, diuinâ donante misericordiâ, conualuêre, nec vllæ in illo Monasterio prædictâ peste exinde moriebantur.*

Beda lib. 5. Hist. Angl. cap. 4.

XV. De Ioanne Hagulstadẽsi Episcopo venerabilis Beda. *Villa erat Comitis cuiusdam qui vocabatur Puch, nõ longe à monasterio nostro, id est, duorum fermè millium spacio separata, cuius coniunx quadraginta fermè diebus erat acerbissimo languore, detenta, ita vt tribus septimanis non posset de cubiculo, in quo iacebat, foras efferri. Contigit autem illo tempore virum* DEI, *illò ad dedicandam Ecclesiam ab eodem Comite vocari: cumq; dedicata esset Ecclesia, rogauit Comes eum ad prandendũ domum suam ingredi: renuit Episcopus dicens, se ad monasterium, quod proximum erat, reuerti debere. At ille obnixius precibus instans, vouit etiam se eleemosynas pauperibus daturum, dummodo ille dignaretur ea die domũ suam ingrediens, ieiunium soluere. Rogaui & ego vnà cum illo promittens etiam me eleemosynas in alimoniam inopum dare, dum ille domum Comitis pransurus, ac benedictionem daturus intraret. Cumq; hoc tardè ac difficulter impetraremus, intrauimus ad reficiendum. Miserat autem Episcopus mulieri, quæ infirma iacebat, de aquâ benedictâ, quam in dedicationem Ecclesiæ consecrauerat, per vnum de his qui mecum venerant fratribus, præcipiens vt gustandam illi daret, & vbicunq; maximum ei dolorem inesse didicisset, de ipsâ eam aquâ lauaret. Quod vt factum est, surrexit statim mulier sana, & non solum se infirmitate longâ carere, sed & perditas dudum vires se recepisse sentiens obtulit poculum Episcopo, ac nobis: cœptumq; ministerium nobis omnibus propinandi, vsq; ad prandium completũ non omisit: imitata socrum* BEATI PETRI, *quæ cum febrium fuisset ardoribus fatigata, ad tactum manus Dominicæ surrexit, & sanitate simul ac virtute receptâ ministrabat eis.*

XVI. S. Monegundis *Quartanariis* (quartana febri laborantibus) *& gulam dolentibus, datâ benedictâ aquâ, sæpius medebatur, vt* scribit Gregorius Turonensis.

Tur. lib. de Gloria Cõfessorum. cap. 24. & cap. 82.

XVII. Idem Gregorius de S. Hesychio Recluso. *Quartanariis tam præsens benedictio erat, vt aquam tantùm benedictam adhibendam tribuens, continuò eos redderet sanitati.*

XVIII. B. Winwalocus Abbas discipulũ quẽdam suum à serpente mortifero morsu ictum sanauit, cum ei bibendam dedisset *aquam oleo ipsius benedictione sacrato, permixtam.* Tom. 2. Surij.

XIX. S. Anno Archiepiscopus Coloniensis Iuuenem hydropicum aquâ benedictâ, & crucis signaculo curauit. Tom. 6. Surij.

XX. Albertus Episcopus Suessionensis rogatus à quadam muliere, quinq; eius filios graui morbo laborantes, per aquam benedictam pristinæ sanitati reddidit: qui *præmulta commiseratione ingemiscens orauit Dominum; deinde aquam consecrans, totam domum & ægrotos illos conspersit; aitq; ad eos; In nomine Domini nostri IESV Christi propere facessat morbus iste, & vos quamprimum reualescentes, matris vestræ vsq; adeo afflictæ ministerio non egeatis. Derepente adest virtus Saluatoris, & omnes prorsus incolumes è lectis surgunt.* In vita S. Alberti.

XXI. S. Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis cœco visum reddidit, *aspergens oculos eius aqua sanctificata.* In vita S. Anselm. Tom. 2. Surij.

XXII. S. Bernardus *Febricitantibus multis manus imponens, & aquam benedictam porrigens ad bibendum, sanitatem obtinuit;* inquit Bernardus Abbas Bonæuallis Scriptor rerum à S. Bernardo gestarum.

XXIII. S. Malachias, Hyberniæ Episcopus, filiũ Regis Scotiæ, iam ad limen mortis prouectum: curauit; nam *aquâ, cui benedixit, aspersit iuuenem, & intuens in eum ait: Confide fili, non morieris hac vice. Dixit hoc, & die sequenti, secundum dictum Prophetæ, secuta est sanitas.* Eodem aquæ benedictæ remedio curauit idem S. Malachias fœminam phreneticam. S. Bern. in vita S. Malachiæ.

XXIV. Idem S. Malachias, teste eodem S. Bernardo, mulierem carcinomate infectam liberauit. *Nam vbi aquâ, cui benedixit, aspersa sunt vlcerum loca, dolorem non sensit. Die verò sequenti vix vlcera apparebant.* Diarmitium Comitem, lecto affixum *aspersione benedictæ aquæ* idem Malachias *surgere fecit sine mora.*

XXV. S. Domnolo Episcopo Cœnomanensi oblatus est quidam, *quem diuturna febris vehementer affligebat. Qui motus misericordiâ, aquam iussit adferri; allatam, cum prius Christi nomen inuocasset, & eam cruce consignasset, puero bibendam obtulit. Bibit ille, & Christo propitio, meritis Episcopi, continuò sanus effectus est.* Tom. 3. Surij.

XXVI. S. Columba Scotus casum Monialis cuiusdam, quo coxam confregerat, prophetiæ spiritu agnoscens fratrem, quendam, Lucai Adaman. lib. 2. de vita S. Columbæ.

Lucaidum nomine, eò ablegauit; quem ita quoq; affatus est, teste Adamanno. *In hac præterita nocte, casu aliquo, Maugina sancta virgo, ab Oratorio post Missam domum reuersa titubauit, coxaq; eius in duas fracta est partes, hæc sæpius meum inclamitans nomen commemorat, à Domino sperans se accepturam per me consolationem.* Quid plura? *Lugaido obsecundanti, & consequenter emigranti sanctus pineam tradit cum benedictione capsellam dicens: Benedictio quæ in hac Capsellula continetur, quando ad Mauginam peruenies visitandam, in aqua vasculum intinguatur, eademque benedictionis aqua super eius infundatur coxam, & statim, inuocato* DEI *nomine, coxale coniungetur os, & densabitur; & sancta virgo plenam recuperabit salutem. Et hoc sanctus addit: En ego ponam in huius capsulæ operculo numerum viginti trium annorum, quibus sacra virgo, in hac præsenti post eandem salutem victura est vita. Quæ omnia sic plenè expleta sunt, sicuti à sancto prædicta. Nam statim, vt Lugaidus ad sanctam peruenit Virginem, aquâ benedictâ, sicut sanctus cõmendauit, perfusa coxa, sine vllâ morulâ condensato osse, plenè sanata est; & in aduentu S. Columbæ cum ingenti gratiarum actione gauisa, viginti tribus annis, secundum sancti Prophetiam, post sanitatem in bonis actibus permanens vixit.*

XXVII. *De eodem Sancto idem Auctor ibidem. Vir vitæ prædicabilis, sicuti nobis ab expertis traditum est, diuersorum languores infirmorum, inuocato* CHRISTI *nomine, illis in diebus sanauit, * quibus ad Regum pergens condictum, in dorso cætæ breui commoratus est tempore. Nam aut sanctæ manus protensione, aut aqua ab eo benedicta, ægroti plures aspersi, aut etiam fimbriæ eius tactu amphibali, aut alicuius rei, salis videlicet, vel panis benedictione acceptâ, & lymphis intincta, plenam credentes recuperarunt salutem.* Vbi vnum quasi in cumulum plurium rerum benedictarum miracula congesta cernis.

Tom. 6. Surij. XXVIII. S. Edmundus, Cantuariensis Episcopus, à Clerico febrim aquâ benedictâ depulit.

XXIX. Si quis *quouis morbo detentus aquam à sancto viro* (Aldemario, monacho Cassinensi) *benedictam in potum accepisset, saluti* *Lib. 3. cap. 55.* *pristinæ, dicto citius, reddebatur*, teste Chronico Cassinensi. Subiungunt Centuriatores hanc censuram. *Sic decet fascinare homines.* Quodnam hîc fascinationis argumentum? Qui fascinantur; non *Cent. 11. cap. 13.* liberantur à morbis. At isti hanc aquam bibentes verè videntib⁹ & fatentib⁹ omnib⁹, & ipsismet etiã ægrotis attestantib⁹ liberabant.

Et quid

Et quid facilius, quàm animaduertere, vtrum quis ab infirmitate, qua tenebatur, euaserit? Nam si nunc firmis sit viribus, eaque omnia agit, quæ valentes agere solent; nihil dubitationis de bona eius valetudine relinqui potest: Et qui hic aliquid fascinationis somniat, is *Helleboro* eget, vel fortiore pharmaco, *Antimonio*, puro puto.

XXX. In vita S. Winwaloci Abbatis luculentum mortui per benedictam aquam excitati miraculum percensetur. *Materfamilias quædam haud procul à B. VVinvvaloci Monasterio, graui languore ad mortem vsq. vexabatur. Eius filius à viro Dei in Monasterio instituebatur: qui multum suæ matri condolens, suâ visitatione eam leuare voluit. Abiturus autem à sancto VVinvvaloco aquam benedictam accepit. Vbi autem ad eius venit ædes, illa iam obierat, & ad pœnarum loca, vt sancto VVinuualoco oranti diuinitus reuelatum erat, perducta fuit. Circumstabant exanime corpus amici lachrymantes, & funeri opportuna præparãtes, ac filius eius, sperans adhuc vitali eam frui halitu, aquam sanctificatam illi aspersit, dixitque clarâ voce; Sanet te, mater, Dominus Iesus Christus, in cuius nomine magister meus tam multos curat variis morbis affectos. Ad hæc verba, surrexit illa, tanquam à somno excitata, sedebatque in lectulo multùm sudans, quasi multo fuisset fatigata labore. Et primò quidem omnes qui aderant, proni in faciem corruerũt, & Deum in S. VVinvvaloco virtutem suam mirificè declarantem vnanimiter collaudarunt: deinde verò ex illâ percunctabatur, quo pacto esset suo restituta corpori. Tum illa, Dæmonum, inquit, turba me circumdedit, vinctisque manibus ac pedibus ad loca tormentorum perduxit. Interim verò S. VVinuualocus nobis venit obuiam, dæmonesque his vocibus increpauit: Quænam hæc vestra est temeritas & audacia, vt hanc mei iuris famulam vobis vendicetis? Mox illi consternati & territi, viro Dei me permiserunt, cuius precibus sum ad vitam reuocata.* Tom. 2. Sur.

XXXI. Aqua abs se benedicta reuocauit S. Patricius mortuum equum ad vitam, herumque equi, à limine mortis, eodem pharmaco reduxit; nam cum Dairi (id nomẽ viro) ob iniurias viro Dei illatas in letalem morbum incidisset, *dixit vxor: Caussa Christiani est hæc mors: Eat quis citò, & portentur ei beneficia* (hoc est, munera) *nostra, &c. Exeuntes ergo duo viri ad S. Patricium, dixerunt ei: Ecce infirmatur Dairi, porrectur illi aliquid à te, si fortè sanari possit. Sanctus autem Patricius sciens quæ facta sunt, benedixit aquam, & dedit eis dicens: Ite aspergite Dominum vestrum, & equum eius hac aqua: & fecerunt, sicut*

Q præ-

præcepit eis sanctus vir, sanatusque est Dairi, & reuixit equus aspersione aquæ sanctæ. Hæc Probus.

Probus in vita S. Patricij lib. 2. Tom. 3. Bedæ. Ex cuius posterioribus verbis intelligimus; Dairi non fuisse vita functum. Quare cum paulò antè Probus aiebat: *repentina mors irruit super Dairi*: id de mortifero morbo accipiendum erit, posito effectu pro caussa, morte scilicet, pro *mortifero morbo*.

Tom. 6. Surij. XXXII. S. Laurentius Hibernus Archiepiscopus aqua benedicta & signo Crucis confestim sanauit inflictum sibi à quodam furioso vulnus.

Tom. 2. Surij. XXXIII. S. Macarius aqua benedicta, & Cruce in eam immissa, moribundum pristinæ sanitati restituit. Eodem Pharmaco subuenit S. Hugo cuidam phrenetico.

XXXIV. S. Eugenius Diaconus puerum mortuum reuocauit ad vitam aspersione aquæ, quam S. Zenobius Episcopus benedixerat, vt ex aliis refert Philippus Ferrarius, in Catalogo Sanctorum Italiæ.

Tom. 1. Surij. XXXV. S. Euphrasia per aquam benedictam ex graui vulnere, Diabolicis insidiis sibi inflicto, curata est; vt in eius vita legimus.

Tom. 2. Surij. XXXVI. S. Hugo aquæ benedictæ oblato haustu serpentem ex mulieris cuiusdam vtero depulit.

Tom. 6. Surij. XXXVII. S. Maclouius Confessor & Pontifex aquâ benedictâ, vel hederæ folio aquæ benedictæ intincto, sanauit quandam à serpente lethaliter ictam. Rem ita narrat Sigebertus in eius vita. *Filia Comitis, qui pago Santonico principabatur, per patris sui viridarium cum pedissequis suis exercebatur: vbi dum incautè incedit, venenoso occulti serpentis ictu vulnerata ingemuit, & magnam cunctis eiulandi occasionem dedit. Pater incõsolabiliter lugebat, mater materno dolori temperare nesciebat, quæ vitam filiæ inter spem & metum fluctuare videbat. Omnis familia lamẽtabatur, tota ciuitas ferali iustitio afficiebatur. Tandem hoc solum dolor admisit consilium, vt quia nihil humanum poterat valere auxilium, à beato Maclouio diuinũ quæreretur solatium. Vti consultum est, ita & factum est. Ad pedes Maclouij ventum est, & votum fideliter petentium frustratum non est. Episcopus ad orationis subsidium confugit, aquam exorcizatam benedixit: ex ea folium hederæ perfudit, folium loco vulneris superposuit. Contra vim sacræ benedictionis non potuit subsistere vis venenosæ pestis: Videres ex imis visceribus pestiferum virus elici, & ad locum folio hederæ obductum contrahi. Quod stillando in terram guttatim, corpus puellæ reddidit illæsum. Ita meritis Maclouij*

redin-

redintegrata est puellæ sospitas, aucta est parentibus iucunditas, cunctos videntes & audientes confortauit in fide Christi miraculi nouitas. Pater non ingratus beneficio, villam suæ proprietatis delegauit Dei famulo, vt haberet vnde tribueret necessitatem patientibus pro Christo.

XXXVIII. Idem S. Maclouius Principi Britanniæ minoris seu Gallicanæ, aqua benedicta, & oleo consecrato visum restituit.

CAPVT XIII.

Periculũ aborsus aquâ benedictâ depulsum.

INsigne huius rei exemplum legitur in Historia Religiosa Theodoreti, in Macedonio, quod quia Theodoretum ipsum concernebat, ideo accuratè & copiosè ab ipso literis mandatum est. *Cum mater mea,* inquit Theodoretus, *vnà cum patre meo habitasset tredecim annis, ea non fuerat facta mater filiorum: erat enim sterilis, vt quæ fructum ferre à natura prohiberetur: & ipsa quidem id non valde ægrè ferebat. Quæ enim erat in rebus diuinis erudita, credebat hoc esse vtile: magnam autem molestiam accipiebat pater, quòd careret filiis, & circumquaque cursitans, rogabat Dei seruos, à Deo ei peterent filios. Alij ergo pollicebantur se & Deum deprecaturos, & iubebant, vt esset Dei voluntate contentus. Hic autem homo diuinus* (Macedonius) *est apertè professus, se vnum petiturum, ab vniuersi opifice, & se petitionem accepturum est pollicitus. Cum tres itaq; anni præteriissent, & promissio finem non accepisset, rursus accessit Pater promissum exigens. Ille autem iussit, vt ad se mitteretur coniux. Cum autem venisset mater, dixit illi vir diuinus, se & petiturum, & eam filium accepturam, & quod oportet eum ei, qui dederat, dedicari. Cum autem mater solum rogaret, vt animæ salutem acciperet, & vt liberaretur à gehennâ: Præter hoc, inquit, liberalis & munificus Deus dabit tibi filium. Iis enim qui purè & sincerè petunt, duplices largitur petitiones. Illinc reuersa est mater afferens promissi benedictionem. Et quarto anno à promissione concipit, & gerit vterum, & accedit ad diuinum hominem, benedictionis ostendens manipulos.*

Quinto autem mense à conceptione, fuit periculum abortionis. Illa autem rursus misit ad nouum suum Elisæum: vetabat enim morbus, ne ad ipsum veniret, & ei reuocauit in memoriam, quod nolebat fieri mater filiorum: & eius promissa adduxit in medium. Ille autem cum procul vidisset veniẽtem & agnouit, & caussam significauit. Noctu enim & mor-

bum & salutem ostenderat ei Dominus. Accepto igitur baculo venit, ei innitens, & cum fuisset intra ædes, & pacis salutationem dedisset, vt consueuerat, Bono, inquit sis animo: nec timueris. Neque enim donum auferet is, qui dedit, nisi tu pacta cõuenta transilieris. Pollicita es autem te ei redditurum eum, qui datus fuerit, & ei consecraturum ad diuinum ministerium. Sic aũt, inquit mater, & ego & opto & volo. Existimo enim vel imperfectissimum fœtum esse magis expetendum quàm à Deo alienam filij educationem. Cum itaque aquam accepisset & benedixisset, Bibe ergo, inquit, vir diuinus, hanc aquam: & senties diuinum auxilium. Bibit itaque vt iusserat, & abortionis periculum effugit. Hæc sunt nostri Elisæi miracula. Ego eius benedictionem & doctrinam sæpe percepi. Me enim adhortans sæpe dicebat. Natus es, ô fili, cum multis laboribus. Multas noctes Deum hoc solum perpetuo rogaui, vt tui parentes hoc fierent, quod te nato sunt nominati. Vide ergo, vt vitam agas dignam laboribus, vt qui antequam nascereris, promissis fueris dedicatus.

Lib. 4. Vitæ S. Bern. cap. 4. Addamus & hoc, quia nõ prorsus absimile. Cum mulier quædam in Territorio Antissiodorensi, ob difficultatem partus, *multis diebus periclitaretur*, & fortè fortuna eò venisset S. Bernardus, *postulanti benedictionem, aquam benedictam misit. Gustauit mulier, & cõfestim natus est puer.*

Simile quid memoriæ prodidit D. Bernardus de S. Malachia Hyberniæ Primate; nam cum rogaretur, vt fœminæ periclitanti in partu succurreret, Sanctus *viro porrigens poculum, cui benedixerat; vade, inquit, da illi bibere: sciens illam sumpto benedictionis potu, & sine mora, & sine periculo parituram. Factum est, quod præcepit, & nocte ipsa subsecutum est, quod promisit.*

CAPVT XIV.

Loca Dæmonibus infesta per aquam benedictam purgata.

Tom. 2. Surij. VIxit sub Mauricio Imperatore S. Theodorus Sicæotum Archimandrita plurimis miraculis nobilitatus, quarum plurima signo sanctæ Crucis, & aqua lustrali adhibita patrauit. Inter cætera, domum Theodori Ducis Regij à Dæmonum infestatione liberauit: *Homines enim & animalia rationis expertia ab immundis spiritibus vexabantur, & cum domestici championederent, aut cena-*

tenarent, lapides super mensas iaciebantur, ex quo omnes magnus terror inuadebat, & mulierum telæ rumpebantur, & tanta murium & serpentium multitudo domum occupabat, vt præ formidine nemo in eam ingredi auderet. Domum igitur Dei seruus ingressus, totam noctem psallendo, & Deum obsecrando traduxit, & aquâ, cui benedixerat, totam domum eam à spiritibus immundis liberauit.

Non absimilis historia Diabolicæ vexationis legitur in vita S. Willibrordi, Episcopi Traiectensis, scripta ab Alcuino Flacco. *Contigit enim cuidam patrifamilias & domui suæ dira dæmoniacæ illusionis tentatio, ita vt apertè malignus in eius domo spiritus, ex horrore & maleficiis habitare agnosceretur: nam subito cibos vel vestimenta, vel alia domui necessaria rapere solebat, & in ignem mittere, &c. Et multa atrocia eadem familia à nefando spiritu perpessa est, nec à quolibet Presbyterorum expelli potuit, donec vir S. VVilibrordus à patrefamilias postulatus, aquam illis benedictam direxit, præcipiens omnem domus illius supellectilem foras efferri, & aqua illa adspergi, præuidens in spiritu, domum flammis consumendam esse. quibus ita gestis, vacuam domum à loco lecti ignis inuasit, totamque consumpsit. Alterâ verò in eo loco cum sanctificatione aquæ benedictæ ædificatâ, nihil ex eo pristinæ tentationis passi sunt in ea, sed cum omni tranquillitate & quiete degentes, & Domino gratias agentes erant, qui illos per seruum suum redimere dignatus est.* Tom. 6. Surij.

Cum S. Hubertus, Leodiensis Episcopus, ad finem vitæ peruenisset; humani generis hostis in eius ædibus tumultuari, & varia phantasmata ciere cœpit. Sed sanctus ad puerum, qui ægro ministrabat; *Vade, inquit, aqua, quæ sacerdotali consecratione, sale admixto, benedicta, & ad effugandam inimici nequitiam orationis virtute prægnata est, liquorque olei itidem Apostolica auctoritate benedictus, huc deferatur, quorum aspergine atque litura mox ita effugabuntur hinc inimici virulenta phantasmata, vt amplius non sua audeat inferre machinamenta.* Tom. 6. Surij.

Erat Aichardo Abbati Gimesiensi *hæc familiaris consuetudo, cum fratres, post labores diurnos, corpora placido somno recrearent, vt pater sollicitus super gregem Dominicum vigilias insomnes duceret, & claustra Monasterij, & singula familiæ Dei habitacula pererrando muniret, gestans secum Crucem Dominicam, & aquam exorcizatam ad effugandas importuni hostis insidias.* Narrat deinde Fulbertus, qui res gestas S. Aichardi literis cõsignauit; quomodo Dæmon loca illa, quæ sanctus Aichardus Dominica Cruce muniuerat, & aqua benedi- Tom. 5. Surij.

cta asperserat, attingere non potuerit, repulsus vi sanctæ Crucis & benedictæ aquæ.

Tom. 2. Surij. S. Vrsmarus aqua benedicta expiauit loca à Dæmonibus insessa & infestata. S. Gregorius Magnus Monasterium à Dæmonũ præstigiis per aquam lustralem immune reddidit. Vt testatur in eius vita Ioannes Diaconus.

Ex Frodoardo commemorat Baronius Anno Redemptoris 944. huiusmodi historiam. *In iisdem partibus transrhenensibus per quosdam pagos ignei globi ferri videbantur in aëre; quanquam nulli illic circumuolantes incenderent domos & villas. A quibusdam verò locis, crucibus oppositis, cum benedictione Episcopali & aqua benedicta repellebantur.* Quomodo ciuitas Moguntina à Cacodæmone infestata, & infestationi depellendæ aqua benedicta cum Litaniis adhibita fuerit, inuenies in Chronico Sigeberti, Anno salutis 858.

CAPVT XV.

Dæmones aqua benedicta ab obsessis exacti.

Lib. 2. c. 20. SAnctus Eligius, Episcopus Nouiomensis amplius quàm quinquaginta Energumenos per aquam benedictam curauit, vt scribit Audoënus Episcopus Rhotomagensis, in eiusdem B. Eligij vita.

Tom. 7. Surij. In Historia de Inuentione S. Celsi refertur; puerum quẽdam, à Dæmone arreptum fuisse; cum bibisset aquam nõ expresso prius Crucis signaculo. Quem, vt fratres liberarent, *aquam consecrant, eamque in honorem S. Celsi bibendam ei porrigunt.* Haustâ aquâ illico recessit teterrimus Satan.

Lib. 2. Vita S. Bern cap. 2. & 3. S. Bernardus puellam energumenam ab immani illo hospite liberauit; *patenam enim calicis, in quo diuina celebraturus erat mysteria, postulat,* inquit Bernardus Abbas Bonæuallis, *in qua, digitis superfuso latice, intra se orans, & de domini virtute confidens, ori puellæ salubrem potum applicat, & corpori eius stillam medicinalem infundit. Nec mora, quasi vreretur Satanas, infusionis illius virtutem ferre non potuit: sed vrgente intrinsecus Crucis antidoto, festinanter egrediens, vomitu sordidissimo tremebundus erupit.*

Eidem

Eidem S. Bernardo oblatus est puer à Dæmone dirissimè agitari solitus. *Iubet ergo vir sanctus in os patientis aquam benedictam infundi: quam ille pressis labiis & dentibus non admittens, vix tandem, cuneo iniecto, dissoluente pressuram, vellet nollet, intra fauces & guttur recepit, confestimque, vt penetrans sanctificatio ad interiora descendit, qua-si infusa antidoto, vis maligna erupit, & vomitu sordidissimo, quasi torrentis impulsu, festina præcipitatione rotatus, cum ingenti contumelia Dæmon exiuit.* Ibid.

Cacodæmonem expulit ex puella S. Albertus Carmelita, *cum eam cruce signasset, & aqua benedicta aspersisset.* Tom. 4. Surij.

Simili ratione infestum hūc indigenam profligauit S. Arnulphus, Suessionensis Episcopus, ex adolescente quodam. Tom. 4. Surij.

S. Laurentius Hibernus Archiepiscopus aquâ benedictâ, adiuncta impositione manuum, & sanctæ Crucis signaculo edito, energumenum à pessimo indigena liberauit. Tom. 6. Surij.

S. Opportuna Dæmonem aquâ consecrata ab obsesso expulit; vt & S. Norbertus, & S. Maclouius, quin & Macutus Hibernus, de quo Martyrologium Romanum die 15. Nouemb. & S. Hugo Lincolniensis Episcopus. Tom. 2. Surij. Tom. 3. Surij. Tom. 6. Surij.

CAPVT XVI.

Cibi aqua benedicta à Diabolicis inquinamentis mundati.

IN vita celeberrimi Archimandritæ Theodori Sicæotæ huiusmodi historia legitur: *Apocomensis Vici incolæ bouem occiderunt, vt carnibus eius vescerentur, contigit autem, vt omnes, qui ex illis carnibus comederant, in morbum inciderēt, & iacerent vt mortui. Et quicquid carnis reliquum fuit, nigrum euasit ac fœtidum. Qui igitur ex carne illâ non gustarant, id, quod acciderat, viro sancto nunciauerunt. Qui respondit, exitium illud à phalange dæmonum, qui per lebetes pertransierant, prouenisse. Et cum eo tempore non posset cum illis discedere, benedixit aquæ, quam per vnum è fratribus misit, vt periclitantes conspergeret, eisq; bibendam propinaret. Quo facto, cuncti, tanquam è somno, surrexerunt, præter vnum, qui mortuus est. Ioannes enim procurator, cuius fratri ea calamitas contigerat, non expectans sibi sancti benedictionem, accurrit ad mulierem veneficam: & dum eius incantationes adhiberet fratri, ille animam egit.*

Esse-

Effecit idem S. Theodorus sua benedictione, & aqua à se benedicta: vt conuiuis, quos inuitauerat, venenatus cibus per ignorantiam sumptus, nihil detrimenti attulerit. Rem ita narrat Georgius seu Eleusius scriptor rerum gestarũ S. Theodori. *Antipater ex AEantium oppido procurator, & Demetrius Presbyter, pietatis studiosissimus, ex oppido Silindicomensi, & Aëtius ex Opido Alectoria procurator, viri præclari, ad S. Theodorũ, cum esset in mulierum Monasterio, S. Christophori, sese contulerunt. Tunc autem ille cœnabat. Quamobrem ipsos quoque vocauit ad cœnam. Porrò cum sine operculo lebes esset Dæmonis opera factum est, vt Chlorosaura in olera, quæ coquebantur, incideret. Cumq; minister olera apposuisset, eaque omnes, adbibita viri sancti benedictione, comedissent, præcepit Ministro vir beatus, si quid adhuc olerum reliquum esset, vt illud apponeret. Quod cum ille fecisset, & ipsi comederent, Chlorosauram inuenerunt, eaque cognita, cœperunt clamare; Perimus pater sancte, perimus. Quidnam egimus? Chlorosaura enim est serpens venenatus. Cum igitur conquererentur & dolerent, quòd vxores & liberos non essent amplius visuri, dixit eis Christi seruus: Ne timeatis, filij, si enim Deo creditis, & mihi credite humili seruo eius. Nihil omnino* 4. Reg. 4. *detrimenti accipietis. Qui enim ab Helisæo Propheta inuocatus est Deus, cum mors esset in olla, idem vera pollicetur; & cum mortiferum, inquiens, quid biberitis, non vobis nocebit. Et cum poculo benedixisset, dedit eis bibere. Nec eorum quisquam vllo affectus est incommodo. Postridie igitur dimisit eos, collaudantes Deum.* Quod si quis hoc vini non aquæ poculum fuisse contendat, is miraculum hoc ad miracula vini cõsecrati referat; faciet id me non repugnante.

CAPVT XVII.

Bruta per aquam benedictam curata.

QVid Aphraates Eremita hoc in genere præstiterit, Theodoretus memoriæ prodidit. *Equus quidam bono genere natus, & portare apprimè doctus, erat Imperatori* (Valenti Ariano) *charissimus. Morbus quidam qui ei acciderat malè habebat Imperatorem. Retinebatur autem humidorum excrementorũ excretio. Ad eum curandum accersebãtur, qui in hâc arte fuerant exercitati. Cum ea autem esset etiam morbo inferior, Imperator quidem molestiâ afficiebatur: lamentabatur autem is, cui equorum cura fuerat credita. Cum esset autem*

pius

pius & fide firmus, in meridie venit vnà cum equo ad magni Aphraatis habitaculum: & cum morbum dixisset, & fidem suam significasset orauit, vt solueret morbum suis precibus. Ille autem nihil cunctatus, sed statim Deum precatus iussit aquam hauriri ex puteo, & cum ei salutaris crucis signum imposuisset, iussit eam ad equum afferre. Is autem bibit plus, quàm consueuerat. Deinde cum oleum diuina inuocatione implesset benedictione, equi ventem inungit: & manus contrectatione statim morbus est sublatus. Lætus ergo homo, equo accepto, cucurrit ad stabulum. Vespere, solebat enim eo tempore venire ad stabulum, Imperator venit, & interrogauit, quomodo equus se haberet. Is autem cum & sanum esse ei significasset, & equum valentem & exultantem, hinnientemque & collum superbè erigentem eduxisset, rogauit eum causam sanitatis. Vbi autem diu cunctatus (verebatur enim ostendere medicum sciens eum, qui rogabat esse ei infensum) tandem verum coactus est dicere, & docuit modum curationis. Obstupuit quidem Imperator, & confessus est eum esse virum admirabilem; nec tamen à priori destitit insaniâ: sed perrexit furere aduersus vnigenitum, donec à barbarico fuit igne consumptus, ne sepulturâ quidem, quâ famuli, vel mendici, dignatus.

Georgius in vita S. Theodori Archimandritæ sub finem. *Si lues inuadebat boues aut oues, aut alia genera quadrupedum aut volucrum, aut etiam homines; similiter assumebant illum, aut eius benedictionem, & aquam, cui benedixisset, vel etiam capistra, aut tintinnabula ad eum afferebant, vt illis benediceret: & optatam curationem consequebantur.*

S. Columba Scotus bouem exitio iam proximum benedicta abs se aqua perfudit, sanitate è vestigio subsecuta, vt Auctor est Adamannus Scotus. *Adaman. lib. 2. de vita S. Columbæ.*

Plura exempla, etiam præcedentia capita suppeditant; vt est illud de mortuo equo per aquam à S. Patricio benedictam excitato, & similia; quæ iam antea, aliis occasionibus, recensui.

CAPVT XVIII.

Aquâ benedictâ res multiplicatas esse.

De Sanctulo Presbytero hæc S. Gregorius in Dialogis: *Quodam tempore, cum in prælo Longobardi oliuam prementent, vt oleum liquari debuisset, sicut iucundus erat & vultu & animo, vitrem vacuum ad prælum detulit, laborantesque Longobardos* *S. Greg. lib. 3. Dialog. cap. 37.*

læto vultu salutauit, vtrem protulit, & iubendo potius, quàm petendo, eum impleri sibi dixit. Sed gentiles viri, qui tota iam die frustra laborauerant, atque ab oliuis exigere oleum torquendo non poterant, verba illius molestè susceperunt, eumque iniuriis insectati sunt. Quibus vir Domini lætiore adhuc vultu respondit, dicens; Si pro me oretis, illum vtrem Sanctulo impleatis, & sic à vobis reuertetur. Cumque illi oleum ex oliuis defluere non cernerent, & virum Dei ad implendum vtrem sibi insistere viderent, vehementer accensi, maioribus hunc verborum contumeliis detestari cœperunt. Vir autem Dei videns, quòd ex prælo oleum nullo modo exiret, aquam sibi dari petiit, quam cunctis videntibus benedixit, atque in prælum suis manibus iactauit. Ex qua protinus benedictione tanta vbertas olei erupit, vt Longobardi, qui prius diu incassum laborauerant, non solùm sua vasula omnia, sed vtrem quoque, quem vir Dei detulerat, implentes, gratias agerent; quia is, qui oleum petere venerat, benedicendo dedit, quod postulabat.

Cassian. Collat. 15. cap. 4. Cum Abbas Abraham, *metendi gratia, ad Ægyptum de eremo diebus Quinquagesimæ perrexisset, & à muliere quadam paruulum suum lactis inopia iam tabidum atque seminecem præferente, lacrymosis precibus fuisset obstrictus, calicem ei aquæ potandum, impresso Crucis signaculo, dedit, cuius haustu confestim, mirum in modum, arida iam penitus vbera, copia lactis redundante confluxerunt.*

CAPVT XIX.

Locustæ & animalia noxia per aquam benedictam fugata.

DE Aphraate Eremita hæc Theodoretus in Historia Religiosa. *Dicunt etiam, quòd cum locustæ aliquando regionem repente inuasissent, & instar ignis, omnia consumerent, segetes, arbores, prata & nemora, venit ad eum quidam vir pius, rogans, vt opem ferret vnum quidem agrum habenti, ex eo autem & se, & vxorem, & filios, & familiam alenti, & à quo etiam Imperatoria exigeretur collatio. Is ergo rursus Dominicam imitans benignitatem iussit ad se adferri congium aquæ. Postquam autem cõgium aquæ attulit is, qui orabat, ei quidem manum imposuit; Deum autem est precatus, vt fluenta impleret diuina virtute. Deinde finita oratione, iussit, vt in prædij limitibus aqua aspergeretur. Qui eam attulerat, fecit, vt iussus fuerat; idque fuit illis agris*

gris pro vallo sacrosancto & inexpugnabili: Nam vsque ad illos fines repentes & circumuolantes locustæ, instar exercitus, rursus retrocesserunt, benedictionem impositam extimescentes, & veluti quodam freno suffocatæ & vltra progredi prohibitæ.

Georgius Presbyter in vita S. Theodori Archimandritæ. *Procul ab hac Ciuitate* (Pesinuntium Metropoli) *sex passuum millibus, erat hortus, quem magna locustarum occuparat multitudo, & totum ferme deuastarat. Huius horti Dominus, cum beatum Theodorum adesse intellexisset, processit illi obuiam, & ad pedes eius prostratus; calamitatem in hortum suum à locustis illatam indicauit. Cui vir sanctus, abi, inquit, fili & affer aquam in vase. Cucurrit ille, & è propinquo flumine aquam attulit. Quam Dei seruus, cum benedixisset, dedit ei dicens; hac aqua quatuor horti tui angulos consperge, & dabit tibi Dominus id quod exoptas. Ad hortũ reuersus homo studiosè fecit, quæ vir sanctus præceperat. Cumque ad locum, quem primum adsperserat, reuertisset, ne vnam quidem locustam inuenit. Paulò pòst iterum inuisens, omnes planè locustas deletas inuenit.* Tom. 2. Surij.

Idem Auctor de eodem S. Theodoro. *Aliis in locis talia miracula à S. Theodoro facta sunt aduersus cantharides, & locustas, & vermes, & mures, à quibus segetes & vites deuorabantur. Vbi enim tale quidpiam accidebat, statim ad virum sanctum confugientes, vel ipsum secum adducebant, vel aquam, cui manu sua benedixerat, ferebant, vt deuastata loca conspergerent, & statim quod optabant, assequebantur.*

Petrus Rauzanus in vita S. Vincentij. *Apud Mursiam ciuitatem Hispaniæ citerioris, quadam æstate, locustæ, & bruchi innumerabiles intra dies quatuordecim omnia, quæ in agris erant, deuastarunt. Per id tempus venerat eo B. Vincentius, eum ciues vrbis dolentes adeunt, precum eius suffragia implorant. Ille iubet confestim adferri aquam benedictam, deinde cum Clericis, qui eum assectari solebant, hymnos canentibus, ad singulas vrbis portas accessit, stansque in illarum medio contra ea loca, in quibus dicta animantia grassari dicebantur, aquam sacratam aspersit, & ecce postridie omnia extincta reperta sunt, & intra paucos dies agri, & vineæ adeo restitutæ sunt, vt illo anno nulla fuerit penuria subsecuta.* Tom. 2. Surij.

De Stephano VI. Papa hoc in eius vita Anastasius Bibliothecarius scriptum reliquit. Cum aduersus locustas, quæ sata & vineas deuastabant, remedium quoddam frustra excogitasset; *ad Domini*

misericordiam confugiens in Oratorium S. Gregorij, vbi eius lectus habetur, iuxta Ecclesiam Principis Apostolorum, veniens, sese cum lacrymis in orationem dedit. Cumque diutius orasset, surrexit, & aquam propriis manibus benedicens, Mansionariis præcepit dicens: Tollite, & singulis distribuite, monentes, vt in nomine Domini, agros suos circumeant, & hanc aquam spargant, per sata & vineas, petentes diuinum sibi suffragari subsidium. Quo facto tanta omnipotentis Dei subsecuta est misericordia, vt vbicunque ipsa aqua aspersa est, nulla penitus locusta remaneret. Hæc circumquaq; vicini audientes, ad vrbem confluunt, subueniri sibi deposcunt, omnem terram in pulueris modum locustis coopertam clamitant, quos benignus Papa benignè commonuit de cælo auxilium petere debere, &c.

Franciscus Aluarez in Æthiopico suo Itinerario mira de locustis benedictione & aqua lustrali fugatis ac peremptis memorat; quorum similia leguntur in Relatione quadam de rebus Æthiopicis non ita pridem typis Germanicis excusa.

CAPVT XX.

Num aqua benedicta addita ad non benedictam, eandem sanctificet ac benedictam reddat.

AD finem tractationis de effectibus aquæ benedictæ, breuiter nonnihil dicere lubet, de quæstione, quã titulus ipse proponit; quę etiam hoc modo formari potest; *Num aqua non benedicta addita benedictæ, benedicatur,* & quod de aqua quæritur, similiter de oleo, vino; & id genus aliis liquoribus, mistionis capacibus quærere licet. Vbi varia dicuntur à Doctoribus, & satis confusanea; vt videre licet apud Syluestrum & Fumum; & Marsilium Columnam in Hydragiologia. Nos rem breuiter aliquot propositionibus complectemur.

Syl. V. Aqua. Fum. V. Aqua Marsil. sect. 3. c. 4.

I. Non benedictum additum benedicto efficitur benedictum; si minore quantitate constet, quàm benedictum, vt si mensura aquæ non benedictæ admisceatur tribus vel quatuor mensuris, vel integrę vrnæ aquę benedictæ; Tunc enim id, quod dignius est, trahit ad se id, quod minus dignum est; idque ex intentione & voluntate Ecclesiæ; à cuius precibus tota hæc benedictio, eiusque efficacitas

citas pendet. Neque video circa hanc propositionem dissensum inter doctores: eademque est ratio, si quis hypothesin inuertat; ipsamque aquam benedictam maiorem minori non benedictæ affundi seu adiungi dicat: tota enim benedicta erit.

II. Si id, quod est benedictum; sit non benedicto notabiliter minus, non benedictum per adiunctionem benedicti; non benedicetur; alioqui si mensuram, aut vrnulam, aut amulam aquæ benedictæ proiiceres in mare, totum mare benedictum foret. Quod licet aliquibus non videatur absurdum; verè tamen absurdum est; & contra Ecclesiæ mentem, quæ, nunquam aquæ vel alterius liquoris immensam quantitatem consecrat; sed eam, quæ vsibus humanis necessaria est, & sufficit. Quapropter nec mens eius est, vt per adiunctionem tantillæ aquæ benedictæ, tota illa pelagi immensitas benedicatur; imò quamuis Sacerdos vsque adeo stultesceret, vt solenni benedictionis formulâ, totum mare consecrare niteretur; nihil tamen efficeret, quia contra institutionem & finem huius benedictionis ageret: nec magis totum mare consecraret; quàm Sacerdos in Germania versans benedicere possit totum Nilum Ægyptiacum, aut Gangem Indicum, aut Boristhenem Sythicum. Quod etiam aliqua ex parte rectè vidit, & ex Tabiena annotauit Marsilius. Seruat quidem aqua benedicta proiecta in mare suam benedictionem; quia aqua non corrumpitur; sed eam cum aliis partibus aquæ non communicat.

Tabien. V. Benedictio. Mars. loc. cit. N. 18. & seq.

Idem sentio si non benedictum, cui benedictum additur, notabili incremento maius sit benedicto; licet non sit adeo immensum ac mare, vt si paruulum vasculum plenum aquæ benedictæ infundas in fontem aut puteum; quis credat totam illam fontis aut putei aquam ideo effici benedictam? Vnde hoc tandem colligimus? Certè non ex ipsa formula, qua benedicitur aqua, nihil enim huius in ea apparet; nec ex mente Ecclesiæ; vbi enim huis mentis declaratio? Et frustra quouis die Dominico aqua consecraretur; iniiciatur enim pauxillulum aquæ benedictæ in fontes aut puteos alicuius Parochiæ; Parochianis sat aquæ benedictæ non vno tantum, sed pluribus annis suppetet.

III. Quando paulatim & successiuè aqua non benedicta benedictæ infunditur, tota benedicta censetur, licet non benedicta diuersis vicibus addita, maior sit, etiam notabiliter, quam benedi-

ctæ: quia hoc in casu semper censetur vna & eadem aqua; quemadmodum vestis & nauis successiuè reparata reputatur pro eadem; licet partium, quæ accesserunt, maior sit numerus, quàm quæ remanserunt. Imo licet fortassis de prima veste aut naue nihil amplius supersit; dummodo partes non simul, sed diuersis temporibus additæ fuerint.

IV. Quod de aqua dictum, id, vt suprà monui, de aliis etiam liquoribus accipi debet; Hinc si vino consecrato affundatur vinum non consecratum; vel non consecrato consecratum; idem prorsus, quod de aqua, iudicium fieri debebit. Et quamuis pusillum vini consecrati non consecret totam vini quantitatem, vt integrum aliquod dolium; non de nihilo tamen est, quod pij factitant, qui de vino in honorem S. Ioannis benedicto, doliis vinariis aliquid infundere consueuerunt contra maleficia & veneficia; licet enim pusillum illud toti vino, quod in dolio est, benedictionem non impertiat; facit tamen vt, propter merita S. Ioannis precesque Ecclesiæ, Deus, pro beneplacito suo, quantum vtile hominibus, vinum illud sumentibus salutare reddat; omnesque Diabolicas machinationes procul inde propulset. Nec semel; sagarum confessionibus innotuit, illis ad vasa vinaria, quibus aliquid de benedictione S. Ioannis infusum erat, non patuisse aditum; neque inde pro symposiis suis merum depromere potuisse. Idem dictum esto de aqua consecrata; si vino affundatur; licet enim, quando exigua est, vertatur in vinum; Eo ipso tamen, quòd vino affusa est, valet dissiciendis & impediendis maleficorum machinis; sicuti valet, quando inde locus aliquis aspergitur; quamuis paulò post exsiccetur, atque adeo desinat esse.

V. Si vino consecrato apponatur aqua non consecrata; benedicetur; si in vinum conuertatur; si non conuertatur; non puto benedici; quòd sit alterius speciei; priuilegium autem hoc, vt benedictum trahat ad se non benedictum, solummodo iis concessum videatur, quę intra eandem speciem debita proportione, miscentur, vel certè in rem benedictam transmutantur. Quocirca licet vinum consecratum effunderetur aquæ non consecratæ, inque illam verteretur; aqua non censeretur benedicta; cum id, quod formaliter benedictum erat; iam propter substantialem sui mutationem in aquam; non sit amplius benedictum; neque coniunctio benedicti cum non benedicto vlterius locum habeat.

VI. Cer-

VI. Certum est, Vinum seu benedictum seu non benedictum, si affundatur sanguini Christi in calice; non conuerti in sanguinem, quia apud omnes Theologos exploratum est, vinum in sanguinem Christi non transmigrare, nisi per verba consecrationis, quæ super hoc vino nunquam fuere pronunciata. Manet ergo ibi substantia vini cum accidentibus Eucharisticis vini.

CAPVT XXI.

Miracula per salem benedictum edita.

MVlta miracula aquæ benedictæ enumerauimus, quæ & ad salem pertinent, saltem tunc, cum sal aquæ admiscetur. Nihilominus separatim miracula nonnulla per salem benedictum edita, adducere oportet.

In vita S. Bernardi hæc legimus. *Non modò hominibus, sed pecoribus etiam & armentis tam frequenter eius benedictio profuit, vt Monasterij sui Cellerarium durè aliquando increparit, quòd sibi non indicans, mori animalia permisisset, vnde fuerant Christi pauperes sustentandi. Dehinc, vt solitus erat, benedixit sal, & animalibus iussit apponi, & protinus lues orta cessauit. Quod in aliis quoque Monasteriis vidimus & cognouimus, vt audiens fratrum animalia mori, interdum etiam non rogatus, sed ipse prior admonens eos, eodem remedio subueniret* Lib. 4 c. [illegible]

S. Monegundem morituram rogabant Sanctimoniales, dicentes: *Venturi sunt multi infirmi ad nos, flagitantes benedictionem à te accipere, & quid faciemus, cum te non viderint esse superstitem? Confusæ enim eos foras emittemus, cum tuam faciem non contemplabimur. Rogamus autem, vt quia hæc ab oculis nostris absconditur, saltem digneris oleum salemque benedicere, de quo possimus ægrotis benedictionem flagitantibus ministrare. Tunc illa, benedicto oleo ac sale, tradidit eis, quæ suscipientes diligentissimè seruauerunt. De qua benedictione multi post eius transitum ægroti, incolumitatis beneficia sunt experti.* Greg. Turon. lib. de Vita Patrum c. 19.

Nec sola ex sexu muliebri Monegundis res benedixit, idem postea factum à sancta Hildegarde Abbatissa, quæ per aquam a se benedictam pluribus salutem contulit, vt videre est in Historia vitæ. Antea idem fecit S. Genouefa Virgo celeberrima; quæ puerulum cœcum à primo ortu; surdum & claudum, oleo, quod ipsa bene- Lib. 3. c. 6. 7. 8. 18. Vita S. Genouef. Tom. 1. Surij.

benedixerat, à triplici illo malo liberauit. Aliquando propulsandis morbis oleum ab Episcopis consecratum adhibuit: quod hoc exemplo docetur. *Dæmoniatus quidam, impetrandæ sanitatis caussa, ad sanctam Genouefam à parentibus cum multo gemitu & lacrymis perductus est. Tum illa ampullam sibi adferri iussit, in qua sacratum oleum asseruare solebat. Accidit autem, vt nihil eius olei id temporis ampulla haberet: nec Episcopus aderat, qui oleum sacraret. Illa igitur hæsitãte, quidnam ageret, ad precandum Dominum humi prosternitur, cumque prolixæ orationis officium, diu terræ affixa, fideliter implesset, ampullam inter manus suas oleo plenam conspicit: atque ita sub vnius horæ momento, & de obsessi hominis emundatione, & de olei collatione, remunerante Christo, gratiam geminæ virtutis emeruit. Ego verò post tricenos ab obitu eius annos, in imo ampullæ, oleum, quod illa orante creuerat, vidi.* Retuli hoc loco ista exempla, vt demonstrarem, non solam Monegundem, sed & alias fæminas sanctitatis gloria fulgentes, benedictionem rebus cum fructu & salute aliorum impertiisse; Quod non modò istis, sed & pluribus aliis exemplis, de quibus suo loco, manifestum euadit.

Adaman. lib. 2. de Vita S. Columbæ. Tom. 5. Antiq. lect.

De S. Columba Abbate Scoto tale quid in literas retulit Adamannus Scotus. *Quidam à sancto Petram salis*, (ein Salßstein) *benedictam accepit, sorori & suæ nutrici profuturam oculorum dolori, quæ Ophthalmiæ laborabat valde graui languore, id est, oculorum dolore. Talem Eulogiam eadem soror & nutricia de manu fratris accipiens, in pariete super lectum suspendit, casuque post aliquantos contigit dies, vt idem viculus cum supra dictæ domunculâ fæminæ, flammâ vastante, totus concremaretur. Mirum dictu, illius parietis particula, ne beati viri in ea deperiret suspensa benedictio, post totam ambustam domum, stans illæsa permansit, nec ignis ausus est attingere binales, in quibus talis pendebat salis petra, sudes.*

Tom. 1. Sury.

S. Parthenius Episcopus sale benedicto insperatum vini prouentum effecit; quem Archidiaconus Dominus Prædij, in vineam recens plantatam introduxit. *Erat autem omnino exsiccata & exesa à vermibus propter pluuiæ egestatem, &c. Beatus autem sale iniecto, totam vineam conspersit: & dixit Archidiacono: Esto bono animo; nam Deus dat tibi ex hoc loco satis magnam benedictionem sicut ei placet.* Subdit Auctor: *Tempore vindemiarum ex plantatione exsiccatarũ vinearum Deus dedit magnam quantitatem vini.*

In

In vita S. Liobæ virginis & Abbatissæ legimus; aquâ, cui sal benedictum iniectum fuerat, incendium restinctum: nam S. Lioba, *ex superiore parte fluminis, quod per medium Monasteriũ currebat, haustam sibi aquam in concha celeriter afferri iussit. Quam sine mora allatam, sale, quod à S. Bonifacio benedictum, indesinenter secum habebat, adspersit, dicens: Ite, & hanc aquam in flumen refundite, omnisque populus ab eo loco deorsum hauriat, & contra impetum sæuientis incendij certatim mittat. Quod cum fecissent, omnis illa ignium violentia, quasi cælitus immisso imbre, ita restincta est, vt nihil ædificiorum postea penitus attingeret.* Tom. 5. Surij.

Eadem sancta vt & hoc obiter adiungamus, sanctimonialem quandam vehementiâ morbi iam tumulo vicinam, benedicto lacte pristinæ sanitati reddidit.

Salis benedicti fit etiam mentio in Legibus Francicis, vbi præcipitur, vt catechumenis exclusis ab Ecclesia, & publicam pœnitentiam agentibus, in Paschate, Pentecoste & Natiuitate Domini loco communionis præbeatur.

S. Euphrasia per benedictum salem & oleum graue vulnus oculorum ac frontis sanauit, vt est in eius Vita. S. Nortbertus sale exorzisato Dæmoniacum furentem ac blasphemantem compescuit. Tom. 2. Surij.

Venerabilis Beda lib. 5. cap. 32. in Euangelium S. Lucæ Euangelistæ scribit, presbyterum sibi familiarem per salem benedictum curasse vulnera, quæ Moniali cuidam suo contactu malus Dæmon inflixerat. Tom. 3. Surij.

CAPVT XXII.

Variæ benedictiones olei.

BEnedictio olei antiquissima est; eius enim formula exstat apud Clementem Romanum. Sed quia olei variæ benedictiones in Ecclesia vsurpantur, illas, claritatis causa, distinguere oportet. Prima olei benedictio est, vt ita appellem, *sacramentalis*, qua oleum ita ab Episcopo, & quidem à solo, benedicitur, vt sit materia eius Sacramenti, quod *extrema vnctio* nominatur. Quod benedictum oleum vulgò *oleum infirmorũ* dicitur, propterea quia eo ęgroti inungi, & ad supremam cum morte luctam præparari soleant: tamensi oleum hoc etiam Clem. lib. 8 Constit.

Bellar. lib. de Baptis. cap. 25. vngendis catechumenis ante baptismum adhiberi consueuerit. De quo ritu plura Bellarminus. Formam consecrationis exhibent libri Rituales, & in his etiam Græcorum Euchologium, vbi inuenies ἀκολουθίαν τοῦ ἁγίου ἐλαίου.

Altera benedictio olei, at non solius, sed cum balsamo permixti; (cui mixto chrismatis nomen inditum) similiter *sacramentalis* est, & solius Episcopi; quia chrisma compositũ quoddam ex balsamo & oleo, est materia Sacramẽti Confirmationis. Quamuis Chrisma etiam ad alios vsus adhibeatur; vt ad consecrationem Calicum, Ecclesiarum, Altarium, Fontis baptismalis, &c. Recens quoq; iam baptizatus chrismate vngitur in vertice: De quo more Illustrissimus Bellarminus. Renouatur singulis annis in die Cœnæ Domini chrisma, vetusq; comburitur, idq; ex Apostolica traditione acceptum esse testatur S. Fabianus Papa & Martyr in Epistola secunda ad Orientales, ex qua Gratianus desumpsit capitulũ, *Literis vestris*, de Consecrat. dist. 3. Ritus benedictionis repetitur in Ritualibus & Græcanicus in Euchologio Græcorũ. Cæterum qua solennitate S. Vdalricus chrisma & oleum infirmorum, quadam vice, cum in Cœna Domini, Synodum Diœcesanam celebraret, consecrauerit; Auctor incertus, sed synchronus in vita eius ita exponit. *Eo die* (Cœnæ Domini) *hora tertia, omnes Clerici, solennissimis paraturis induti venerunt in Ecclesiam; & ipse suo more gloriosissimè ad Dei seruitium paratus, cũ eis sacrum mysteriũ agere deuotissimè cœpit, perlectoq; Euangelio, & admonitione facta ad populum, & confessione populi accepta, indulgentiam humillimè eis fecit, & tota synodo oblationem offerente secundum ordinem, cautissimè impleuit, vsq; ad benedictionem chrismatis & olei; hoc fecit magna reuerentia sibi apportari, cum crucibus & cum pueris portantibus sub palliolo occultatis, & cereis cum versibus ad hoc ministeriũ compositis formosissimè decantatis, & cum processione duodecim presbyterorum, qui cum eo vsq; in finem Missæ in suo ministerio perseuerare debuerunt. Ritè autem sibi allato, humillimè suscepit, & totam synodum rogauit, vt quando ille crucem benedicendo super illud faceret, & ipsi cum iisdem presbyteris qui in processione erant, & sibi adsistebant, benedicere non desisterent, cæterumq; populum* PATER NOSTER *cum magna humilitate decãtare rogauit. Quo benedicto & populo sacro viatico recreato ad sacrarium venit, chrisma & oleum Clericis dispensandum. His dispensatis, ad hospitiũ pauperũ venit, & eis solito more ministrauit.* Hęc Anonymus ille Auctor.

Bellar. loc. cit. cap. 27.

Cap. 4.

Tertia

Tertia benedictio olei sit illa, qua oleum per verbum Dei & orationem sanctificatur eo modo, quo aqua, sal, panis, & cætera huius generis, vt vtentibus cedat in salutem mentis & corporis. Et quamuis in Missali Romano non sit propria benedictio olei; est tamen generalis, quæ ad quæcunq; rem esui vel potui idoneam adhiberi solet; vt nominatim est illa, *ad quodcumq; comestibile*; & illa in libro sacramentorum S. Gregorij: *Benedic Domine creaturam istam, vt sit remedium salutare generi humano; & præsta per inuocationem nominis tui, vt quicunq; ex ea sumpserit, corporis sanitatem & animæ tutelam percipiat.* Et huc pertinere videtur forma illa, quæ apud S. Clementem Romanum legitur.

Quarta benedictio olei est illa, qua homines sancti, etiam primo suo nomine, oleum benedicunt, vt omnibus illud sumentibus salutiferum efficiatur. Quod in Ecclesia Dei vsitatissimum fuisse testantur historiæ. Nec benedictionem exoptatis effectib' caruisse, planum fit ex miraculis, quæ omni ætate visum benedicti olei consecuta sunt. Ex quibus paucula capite sequenti percensebimus. Frequentata est benedictio olei ab Ecclesia, & à viris sanctis, maximè propter Apostolorum exemplum, de quibus S. Marcus: *Euntes prædicabant, vt pœnitentiam agerent, & Dæmonia multa eijciebant, & vngebant oleo multos ægrotos, & sanabant.* Quod eos iussu Christi fecisse, indubitatum esse debet. *Marci 6.*

CAPVT XXIII.

De miraculis oleo benedicto editis.

MAgnus fuit olim accursus ad viros sanctos, cũ vt alia benedicerent, tum vt oleũ. Vidimus id suprà de S. Hilarione. Apud Cassianum senex quidam Machetes nomine, reprehendebat *fratres, quòd oleum benedicentes exposcentibus sæcularibus darent,* sed & hoc, & alia nonnulla, quæ arguebat in aliis, ipsemet postea præstare coactus est: *Oleum enim benedicere ac supplicantibus dare, quod præ omnibus execrabar,* inquit ille Senex, *vtpote iudicans illud ex magna cordis præsumptione descendere, circumdantibus me repente sæcularibus multis, ita constrictus sum, vt aliter eos nullatenus euadere possem, nisi à me summa vi & obtestatione extorsissent, vt oblato ab eis vasculo manum meam impresso Crucis signaculo supponerem. Itaq; se credentes benedictionis oleum consecutos, tãdem me aliquãdo relaxarunt.* *Cass. lib. 5. Instit. cap. 30.*

 Iam

Tertul. lib. ad Scapulam.

Iam miracula olei benedicti enumeremus. Proculus Christianus Seuerum Imperatorem oleo, haud dubiè benedicto curauit, teste Tertulliano, qui etiam initio Scorpiaci docet, Christianos à Scorpione læsos tria hæc remedia adhibuisse; signaculum sanctæ Crucis, adiurationem seu exorcismum, & vnctionem, factam scilicet oleo per verbum Dei sanctificato. *In remediis* (contra ictus scorpionum) *naturalia plurimùm, aliquid & magia circumligat; medicina cum ferro & poculo. Nobis*, inquit Tertullianus, *fides præsidium, si non & ipsa percutitur diffidentia, signandi statim, & adiurandi, & vnguendi bestiæ calcem. Hoc deniq; modo etiam Ethnicis sæpe subuenimus, donati à Deo ea potestate, quam Apostolus dedicauit, cum morsum viperæ spreuit.* Qui locus apertè euincit, vetustissimos illos Christianos oleo benedicto venenatis morsibus, aliisque incommodis medicinam fecisse, tametsi Iunius Caluinista in Notis suis ad Tertullianum omni ope annititur, vt huic tantæ luci tenebras inspergat, quem in Notationibus nostris ad Notas Iunianas iam olim refutauimus, & pestilentes sectarij offucias profligauimus.

Hieron. in vita S. Hilarionis.

Aliquando *terra sitiens arenosaq; regio, postquam pluuiis irrorata est, tantam serpentum, & venenatorum animalium ex improuiso ebulliuit multitudinem, vt percussi innumerabiles, nisi ad Hilarionem concurrissent, statim interirent. Benedicto itaque oleo vniuersi agricolæ atq; pastores tangentes vulnera certam salutem resumebant.*

Sulpicius lib. de vita B. Martini cap. 15.

S. Martinus puellam paralyticam Treuiris oleo benedicto sanitati pristinæ restituit; nam *primùm, quæ erant illius familiaria in eiusmodi rebus arma, solo prostratus orauit*, inquit Sulpicius. *Deinde ægram intuens, dari sibi oleum postulat. Quod cum benedixisset, in os puellæ vim sancti liquoris infudit, statimq; vox reddita est. Tunc paulatim singula contactu eius cœperunt membra viuiscere, donec, firmatis gressibus, populo teste surrexit.*

Sulpic. Dialog. 3. de Virtutibus & Miraculis S. Martini.

Idem sanctus Præsul mutæ cuidam puellæ loquēdi facultatem reddidit, dum præmissis precibus, *pusillum olei cum exorcismi præfatione benedicit, atque ita in os puellæ sanctificatum liquorem, cum & linguam illius, digitis teneret, infudit.*

De Simeone Stylita Theodoretus in historia Religiosa. *Dicūt* (Regis Persarum) *coniugem petiisse oleum Simeonis benedictione dignatum, & tanquam donum maximum accepisse. Quin etiam omnes Regis asseclæ, & à fama commoti, & multas in eum à magis adornatas calumnias accipientes, diligenter rogabant, & cùm intellexissent, virum diuinum*

diuinum nominabant. Cætera verò turba & ad muliones accedentes, & ad famulos, & milites pecuniam offerebant, & rogabant vt essent participes olei benedictionis.

Idem Theodoretus de Aphraate Eremita huiusmodi miraculum commemorat. *Mulier quædam genere nobilis, simul cum viro intemperante trahens iugum matrimonij, venit ad beatum illum hominem, deflens propriam calamitatem: dicebat enim, maritum concubinæ captum consuetudine, magicis quibusdam præstigiis fuisse incantatum, & odio habere ipsam legitimo matrimonio copulatam. Hæc autem dicebat mulier stans pro foribus atrij. Sic enim solebat colloqui cum feminis: nullam enim vnquam admisit intra fores. Tunc ergo mulieris misertus eiulantis, oratione abolet operationem incantationis, & cum olei guttum ab ipsa allatum, inuocatione diuina sanctificasset, iussit, vt eo vngeretur. Hæc præcepta cum implesset mulier, coniugis amorem in se transtulit, & persuasit, vt pro illegitimo, legitimum cubile eligeret.*

De Zebina seu Polychronio Eremita idem doctissimus Auctor Theodoretus. *Cum grauis illa siccitas, quæ homines affligebat, ad preces inuitaret, venit ad eum multitudo Sacerdotum. Erat autem vnà cum eis quidam quoq; cui Antiochenæ regionis multi vici pascendi erant crediti. Is ex iis, qui aderant, seniores rogabat, vt ei persuaderent, vt manum dexteram imponeret lecytho. Cum ij autem dixissent, eum id non esse facturum, dum preces posthæc fierent, & venerandum mihi caput oraret, ille porrò stans duabus manibus porrexit lecythum. Is autem ita cœpit scatere, vt duo aut tres ex iis, qui aderant, manus extenderent, & eas plenas oleo acciperent.*

Oleo benedicto multos morbos depulit S. Germanus Episcopus Parisiensis, vt scribit in eius vita Fortunatus Pictauorum Episcopus. *In Pago Parisiaco quidam impetu lupi rabidi laceratus & extra* Cap. 25. *sensum effectus, beato Sacerdoti est miserabiliter oblatus. Hic ad illa suæ artis recurrens suffragia, mox brachio olei benedicti liquore circumlito, & sacris digitis medicabiliter attrectato, pestis illa, quæ viscera dolore grassante peruaserat, loca fugit obsessa, iamq; putredine resoluta. Sicq; vigore pristino restituto sine cunctatione, velut experrecto de sopore, dolor omnis recessit, mens rediit.*

Idem sanctus mulierem mancam, cui palma digitis affixa fuerat, curauit, cum prius eam *Saliua* tetigisset, ac deinde *oleo perunxisset.* Eodem olei remedio cœcæ feminæ oculos aperuit. Aliam, Cap. 29. Cap. 26.

nouem dies aperto ore hiantem, neq; vllo modo dentes aut labia iungere valentem, similiter oleo benedicto à malo præsenti liberauit.

Idem sanctus Præsul paralyticum curauit, *sanctificati olei liquore eum perfundens*; qui *dum cutis summa tetigisset, statim vigor medullas introijt*. Simili medicamine medicinam fecit puero cuidam paralytico, *continuatim per triduum sacro liniens oleo*. Iterum paralyticum eodem oleo sanauit, vt & podagricum: Et puellam, quæ simul cœca, surda, & muta erat. Alium quoq;, cuius brachium valdè intumuerat: Rursus alium manibus contractũ; alium cœcitate percussum. Item mulierem cœcam. Hydropicum, contractũ.

Cap. 38. *Cap. 39.* *Cap. 44.* *Cap. 48.* *Cap. 51.* *Cap. 52.* *Cap. 53.* *Cap. 55.* *Cap. 60.*

S. Domnolus Episcopus Cœnomanẽsis, S. Germani Parisiensis Episcopi amicissimus, puerulum cœcum, surdũm, mutum & claudum oleo benedicto ab his tam variis crucibus liberauit.

Tom. 3. Surij.

S. Hospitius oleo sacrato mutum ac surdum. Alium itidem cœcum: Et fæminam energumenam curauit.

Greg Turon. lib. 6. Hist. Frãc. cap. 6. & 7.

Oleo benedicto eiecit S. Pachomius Dæmonem à puella quadam.

Tom. 3. Surij.

S. Austregisilus Archiepiscopus Bituricensis oleo benedicto puellæ cuidam visum restituit.

Tom 3. Surij.

Eodem medicamento multis saluti fuit S. Eutychius, Patriarcha Constantinopolitanus. Quãquam videri posset sanctusille vsus oleo nõ precibus consecrato, sed miraculoso, quod Sozopoli ex sacrosancta cruce, & alio, quod ibidem ex veneranda imagine Deiparæ Virginis fluebat. Vtrunq; enim oleum adhibuit, cum coniuges Amaseenses, quorum filij *antequã ex ventre exirent*, moriebantur, benedictione sua ab hac calamitate liberos reddidit. Quapropter vt oleum hoc, ita & miracula tali oleo effecta ad argumẽtum de Reliquijs spectare videntur. Quia tamen exploratũ non est, an hoc solo miraculoso oleo vsus sit, huc reuocabo, quæ per oleum supra naturæ vires effecisse ab Eustathio Presbytero & discipulo suo scribitur. Oleo igitur sancto puellam surdam & mutam curauit: Alium itidem mutum: Et puerulũ, cui exarescebant omnia membra. Alium iam iam animam exhalaturum: præterea puerulum claudum. Puellam insuper, quæ occultè à Diabolo obsessa, Eucharistiam sumere nequibat. Ad hæc pictorem, cuius manus ita intumuerat, *graui vlcere affecta, vt necessariò amputanda videretur*. Item leprosum. Rursus cœcum: Et fæminam, cuius vbera propemodũ exaruerant, vt infantibus alimenta suppeditare nõ possent. Deniq; hydropicum.

Tom. 2. Surij.

S. Nice-

S. Nicetas Confessor quendam oleo sancto ab amentia liberauit. Paralyticum S. Theodorus Siceota; & Episcopum, *qui manuum dolore & articulorum omnium solutione laborabat*; & Ostiarium suum, cui Dæmon manum, ingenti cum tumore & dolore, inuaserat; *accepto enim* oleo, *cui vir sanctus benedixerat, manum vnxit, triduoq; conualuit*: Nautam quoq; vexatū à Dæmone; & luctatorē.

S. Cuthbertus Episcopus Lindisfarnensis puellam capitis & laterum doloribus cruciatam oleo benedicto sanauit. *Beda in Vita S. Cuthberti cap. 30.*

S. Paternus Episcopus Abrincensis, mutæ puellæ per oleum benedictum loquelam reddidit, idem puerum à serpente percussum ab interitu seruauit, nam *edito Crucis signo, & olei liquore puero perfuso, exitiale virus tali antidoto profligauit.* *Tom. 2. Surij.*

S. Macarius puero energumeno per oleum benedictum saluti fuit, similiter etiam puellæ paralyticæ. *Palladius in Histor. Lausiaca.*

S. Remigius ægrum ad extrema deductum, necdum baptizatum, & baptismi salutaribus vndis abluit, & sacro oleo perunctum exoptata sanitate exhilarauit. Hincmarus, qui res B. Remigij literis mandauit, vocat oleum *exorcizatum.* Quo nomine non nisi oleum benedictū intelligit; nam Exorcismo subiungebatur benedictio, vt videre est in Formulis, quibus Ecclesia salem & aquam benedicit. Quanquam oleum, de quo nobis sermo, S. Remigius non benedixerat; sed diuinitus benedictum acceperat; vt & chrisma in alia ampullula.

S. Clarus Abbas Viennensis quendā graui infirmitate viscerum laborantem, oleo sancto curauit: vt & paralyticum S. Launomarus Abbas, itemq; energumenum; S. Parthenius vlceribus plenum; & alium; aridum: & fæminam, *veneficio attentatam.* *Tom. 1. Surij.* *Tom. 1. Surij.*

S. Theodosius cœnobiarcha oleo benedicto bruchos & locustas fugauit, ne frugibus detrimentum afferrent.

De S. Vdalrico, Episcopo Augustano, hæc memoriæ prodidit Berno Abbas Augiensis. *Per oleum in cœna Domini ab eo consecratum, varijs languoribus detenti, pristinæ restituti sunt sanitati; necnon & oculorum caligine obtenebrati, huius sancti olei vnctione merebantur illuminari. Operæpretium est inferre, qualiter etiam per efficientiam huius sancti liquoris consecutus est* (ipsemet S. Vdalricus) *gratiam sanitatis. Quodam itaq; tempore ad Monasterium Campidonense veniens, tanta infirmitate correptus est, vt non nisi inter aliorum manus sustentatus, quoquam posset gressum mouere, vel quid cibi pro*

recreatione virium percipere. Tunc sub omni celeritate Augustam mittitur, oleum ab eo consecratum defertur. Quo in ipsa sancta Pentecostes vigilia, hora diei nona delibutus, in tantum per gratiam Dei, contra spem omnium subito conualuit, vt se reficeret cibo, ac cũ fratribus vespertinæ synaxi incolumis interesset, &c.

Pallad. Hist. Laus. cap. 39.

Ioannes Abbas *dans oleum, curabat multos ex iis, qui laborabant,* vt inquit Palladius, *senatorij enim cuiusdam viri vxor, quæ oculos amiserat, & habebat pupillas obductas rubigine, rogauit maritum suum, vt ad ipsum deduceretur. Cum is autem diceret, eum nunquam conuenisse mulierem, ea autem rogaret, vt ipsi solum significaretur, & pro ipsa id efficeret, sic fecit, & misit oleum. Cum tres autem dies solum inunxisset oculos, respexit, & Deo apertè egit gratias.* Alteri febricitanti dedit idem Ioannes oleum, *quo cum se vnxisset, quidquid intus habebat, per os emisit, & à febre omnino liberatus, propriis pedibus recessit ad hospitium.*

Pallad. ibid.

August. lib. 22. de Ciuit. Dei. cap. 8.

S. Augustinus. *Hipponensem quandam virginem scio, cum se oleo perunxisset, cui pro illa orans presbyter instillauerat lacrymas suas,* (hoc est, cui benedixerat) *mox à Dæmonio fuisse sanatam.*

Sozom. lib. 6. cap. 20. Vide Ruffinum lib. 2. cap. 4.

De quibusdam Monachis Ægypti, cum à Lucio Ariano Episcopo exagitarentur, ita Sozomenus. *Fertur eodem tempore, quo exspectabant, milites in se impetum facturos, quendam, cuius membrorum articuli diuturno morbo ita debilitati erant, vt pedibus consistere non valeret, ad ipsos apportatum fuisse. Quem vbi oleo inunxerant, iubebant in nomine Christi, quem Lucius persequebatur, surgere, atq; domum abire. Itaq; homo ille derepente sanatus, palam prædicauit doctrinæ istorum assentiendum, penes quos etiam Deus ipse veritatem esse suo testimonio confirmauerat; qui Lucium quoq; damnauerat, exaudieratq; preces istorum, eius implorantium auxilium, & ægrotum deniq; ad pristinam valetudinem restituerat.*

Sozom. lib. 6. cap. 29.

Beniamino Monacho Deus hanc gratiam *largitus fuerat, vt solo contactu manus aut oleo, supra quod orabat, absq; medicamentis ægrotos omni morborum genere liberaret,* teste eodem Sozomeno.

Tom. 4. Sury.

S. Theodoricus Abbas oleo benedicto filiam Theodorici Regis Franciæ ad vitam reuocauit: ipsiusq; Regis oculum eodem remedio persanauit.

Tom. 4 Sury.

S. Germanus multos, quorum fauces intumuerant, oleo benedicto à tumore liberauit: & alteri eodem pharmaco lumen oculi; & officium manus reddidit.

Oleo benedicto tempestas maris sedata est meritis beati Aidani, Episcopi Lindisfarnensis, teste venerabili Beda; cum enim Vtta Presbyter, Cantuariam profecturus, vnà cum suis sociis, preces à B. Aidano postulasset, *ille benedicens eos, & Domino commendans, dedit etiam oleum sanctificatum, scio, inquens, quin vbi nauem ascenderitis, tempestas vobis & ventus contrarius superueniet. Sed tu memento vt hoc oleum, quod tibi do, mittas in mare, & statim quiescentibus ventis serenitas maris vos læta prosequetur, & cupito itinere domum remittet. Quæ cuncta, vt prædixerat Antistes, ex ordine completa sunt. Equidem, inprimis furentibus vndis pelagi, tentabant nautæ, ancoris in mare missis, nauem retinere; neq; hoc agentes aliquid proficiebant. Cumq; mergentibus vndiq; & implere incipientibus nauem fluctibus, mortem sibi omnes imminere, iam iamq; adesse viderent; tandem Presbyter reminiscens verba Antistitis, assumpta ampulla, misit de oleo in pontum, & statim, vt prædictum erat, à suo quieuit feruore: sicque factum est, vt vir Dei per prophetiæ spiritum tempestatem prædixerit futuram, & per virtutem eiusdem spiritus hanc exortam, quamuis corporaliter absens, sopiuerit.* Bed. lib. 3. Hist. Angl.

Venerabilis Beda scribens in illud D. Lucæ: *Interrogauit autem illum IESVS dicens: Quod tibi nomen est? At ille dixit; Legio, &c.* refert, se ex pluribus fide dignis sacerdotibus intellexisse; cum obsessis vel vexatis à Dæmone omnem operam perdi, nisi *patientes, quantum sapere possunt, omne, quod ab immundis spiritibus, visu, auditu, gustu, tactu, & alio quolibet corporis vel animi sensu, vigilantes dormientesue pertulerint, confitendo patenter exponant, &c. Et nomen Dæmonis, quo se censeri dixerit, & deierandi modos, quibus amoris sui fœdus alterutrum pepigerint, prodendos esse præcipiunt. Quæ mendacio similima res,* inquit Beda, *sed adeo vera & plurimorum est attestationeteſtiſsima, vt quidam vicinus mihi presbyter retulerit, se quãdam sanctimonialem fœminam a Dæmonio curare cœpisse: sed quandiu res latebat, nihil apud eam proficere potuisse. Confesso autem, quo molestabatur phantasmate, mox & ipsum orationibus, cæterisque, quæ oportebat, purificationum generibus effugasse, & eiusdem fœminæ corpus ab vlceribus, quæ Dæmonis tactu contraxerat, medicinali studio adiuncto, sale benedicto curasse. Sed dum vnum de vlceribus quod altius lateri infixum pepererat, nullatenus posset, quin continuo panderetur, obducere; ab eadem ipsa, quam sanare volebat, consilium, quo sanaretur accepisse. Si inquit, oleum pro infirmis consecratum, eidem medicamẽto adsperseris,* Beda in Euangel. S. Lucæ lib. 3. cap. 8.

sicque me perunxeris, statim sanitati restituar: nam vidi quondam per spiritum, in quadam longius posita ciuitate, quam numquam corporalibus oculis vidi, puellam quandā pari calamitate laborātem, taliter à Sacerdote curatam. Fecit vt illa suggesserat, statimq; vlcus remedium, quod ante respuerat, accipere consensit. Hæc Beda, vbi & salis & olei benedicti miracula habes.

Cent. 8. cap. 6. Recitant hæc eadem ex Beda Centuriatores; sed addunt epicrisin. *Obseruatu dignissimum est hanc ipsam rem non ex verbo Dei, sed ex Dæmoniacæ cerebro originem traxisse.* Nihil minus, ô boni; nam mos oleo medendi ægris, originem ducit ab exemplo Apostolorum, quibus hæc medela in vsu; & à monito illo S. Iacobi: *Infirmatur quis in vobis inducat presbyteros, & orent super eum, vngentes eum oleo*, &c. siue illo, quod ad extremæ vnctionis vsum benedictū est; siue illo; quod piorum vota ac preces sanctificarunt. Exstat hac de re lex admodum salutaris in Capitularibus Francicis. *Vt à* Lib. 6. cap. 72. *Clericis vel Laicis phylacteria, vel falsæ inscriptiones aut ligaturæ, quæ imprudentes pro febribus aut aliis pestibus adiuuari putant, nullo modo vel ab illis, vel à quoquam Christiano fiant; quia magicæ artis insignia sunt; sed pro infirmitate illud, quod Apostoli & Canones sanxerunt; id est, orationes & sacri olei vnctio fiat.*

De Megetia nobili fæmina Carthaginensi scribit Euodius Episcopus Vzalensis: *Eam omni die, buccellam in oleo sanctificato tinctā accepisse, & sic cæteros cibos sumpsisse.*

Tom. 1. Surij. S. Genouefa virgo puerulum quendam cœcum ab ortu, surdum & claudum, olei abs se benedicti inunctione sanauit, vt est in historia vitæ eius. Similia miracula eiusdem consecrati olei efficacitate patrata inuenies in Tomis Surij, in vita S. Macarij, S. Austrebertæ, S. Eugendi, S. Bomiti, S. Theodosij, S. Martij, S. Vulmari, S. Nicetæ, S. Ioannis Silentiarij, S. Alberti Carmelitæ, S. Senochi, S. Maclouij, S. Eloquij Hiberni, S. Constabilis Abbatis, & aliorum. *Per oleum* à S. Vdalrico *in Cœna Domini consecratum variis languoribus detenti pristinæ restituti sunt sanitati, nec non & oculorum caligine obtenebrati, huius sancti olei vnctione merebantur illuminari*, vt inquit Berno Abbas in vita S. Vdalrici. Cap. 17.

CAPVT

CAPVT XXIV.

De benedictione panis vbi præcipuè de Eulogijs disseritur.

ANtiquissimus & vulgatissimus est vsus panem & oleum benedicendi tam solenni, quàm priuata benedictione. Et quidē pro publica panis benedictione exstat in Romano Missali hæc formula. *Domine IESV Christe, panis Angelorum, panis viuus æternæ vitæ, bene†dicere dignare panem istum, sicut benedixisti quinq; panes in deserto, vt omnes ex eo gustantes, inde corporis & animæ percipiant sanitatem.*

Alia Panis benedictio in eodē Missali Romano. *Domine sancte pater omnipotens æterne Deus, benedicere digneris hunc panem tua sancta spirituali benedictione; vt sit omnibus sumentib⁹ salus mentis & corporis; atq; contra omnes morbos & vniuersas inimicorū insidias tutamen,* &c.

Panes à sanctis viris benedictos maximi olim faciebat pietas Christiana. Quod vel vnicum D. Hilarionis exemplum comprobat, de quo S. Hieronymus. *Concurrebant Episcopi, Presbyteri, Clericorum & Monachorum greges, matronæ quoque Christianorum grandis tentatio, hinc & inde ex vrbibus & agris vulgus ignobile, sed & potentes viri & iudices, vt benedictum ab eo panem vel oleum acciperent.* *S. Hier. in vita S. Hilar.*

Græci post Liturgiam distribuunt præsentibus panem illum, ex quo ad sacrificium conficiendum, particulam desecuerunt ac desumpserūt: quem vocant ἀντίδωρον, eumq;, benedictionis gratia, religiosè comedunt, de quo multa Græcanicarum Liturgiarū Commentatores, & in his Cabasila, qui isthæc: *Oblatum panem, ex quo sacrum panem abscidit, in multa diuisum tradit* (Sacerdos) *fidelibus, vt qui sanctus sit, eò quod templo fuerit dedicatus & oblatus: illi autem cū omni reuerentia suscipiunt, & dexteram* (Sacerdotis) *deosculantur, vt quæ sanctißimum Saluatoris corpus recenter tetigerit, & quæ ex eo procedit sanctificationē & susceperit, & ijs, qui attingunt, impertiri credatur. Interea autē eum quoq;, qui illis horum bonorum auctor est & suppeditator, glorificant,* &c. *Cabas. in Exposit. Liturg. cap. 53.*

Similia fermè Simeon Thessalonicēsis in Opusculo *de Templo.* Obserua autem quod dicit Cabasila de osculo sacerdotalis manus: nam hinc natus videtur mos osculandi nouorum sacerdotum manus, quando primam hostiam Deo imolarunt. Mos item petendi

 ab illis

ab illis benedictionem, quia piè sibi persuadent, manum illam, quæ nunc primò corpus Christi tetigit, ad diuina beneficia per benedictionem impetranda efficaciorem esse. Dicitur idem ἀντίδωρον à Græcis, Κλαστὸν & Κατακλαστὸν, à *frangendo* seu *fractione*: Et exstat in Iure *Græcoromano* quæstio Constantini Cabasilæ; an Latino, qui Liturgiæ interest, dandum sit ἀντίδωρον. Respondet Demetrius Chomatenus, dandum esse, quamuis obnitente & restitante Balsamone, qui tanquam durus Capito, fronte sua solido de robore facta semper in Latinos arietabat.

Simile quid pro non cōmunicantibus in Latinam Ecclesiam à vetustissimis temporibus introductum est; ne enim quasi omni Eucharistiæ non perceptæ fructu carere viderentur, datus est illis, finito Missæ sacrificio, Panis benedictus; cui etiam à benedictione Græcum nomen *Eulogiæ* inditum: hunc autē panem benedicendum vel fideles ipsi ad Ecclesiam adferebant, vel benedictum ab Ecclesia accipiebant, eo fermè modo, qui hodie in his Germaniæ locis circa salem benedictum obseruatur. Nam multi domo secum salem benedicendum ferunt. Alij de publico sumunt; nam certo in loco exponitur pars iam benedicti salis, vt qui cupit, aliquid inde benedictionis loco sumere queat: tametsi crediderim, Eulogias plerunq; fidelibus ab ipso sacerdote distributas, vt fit apud Græcos.

Tom. 1. Concil. De his Eulogiis exstat antiquissimus Canon S. Pij Papæ & Martyris. *Vt de oblationibus, quæ offeruntur à populo, & consecrationibus quæ supersunt, vel de panibus quos deferunt Fideles ad Ecclesiam, vel certè de suis, presbyter conuenienter partes incisas habeat in vase nitido & conueniente, vt post Missarum solemnia, qui communicare non fuerint parati, Eulogias omni die Dominico, & in diebus festis exinde accipiant, quæ cum benedictione prius faciat.* Qui Canon totidem verbis à concilio Nannetensi repetitur: Et præterea formula Eulogias benedicendi præscribitur: *Domine sancte pater omnipotens æterne Deus, benedicere digneris hunc panem tua sancta & spirituali benedictione, vt sit omnibus salus mentis & corporis, atq; contra omnes morbos & vniuersas inimicorum insidias tutamentum, per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.*

Hic mos ad varias gentes mox cum ipso Christianismo diffusus est; Thomas Walsinghamus Anglicanus Historicus in Richardo II. *Panis benedictus Dominicis* (diebus) *partiri & conferri*

in Ecclesiis parochialibus consueuit. In Sermone Synodali, quem nonnulli D. Vdalrico, Augustano Præsuli adscribunt: *Eulogias post Missam in diebus festis tribuite.* Turonensis de Gunthramno Rege. *Mane facto, dum Rex loca sanctorum, orationis gratia, visitaret, ad metatum nostrum aduenit, erat enim ibi Basilica S. Auiti Abbatis &c. Surrexi gauisus, fateor, ad occursum eius, &, data oratione, deprecor, vt in mansione mea Eulogias B. Martini dignaretur accipere. Quod ille non respuens, benigno animo ingressus hausto poculo, admonitis nobis, ad conuiuium lætus abscessit.* Vbi tamen *Eulogia* non modò panis, sed & vinum fuisse videtur.

Vide Aimoinum lib. 3. de gestis Francorũ cap. 21. Turon. lib. 8. Histor. cap. 2.

Nec abnuendum est, pani quidem nomen *Eulogiæ* principaliter tributum; interim tamen ad alias quoq; res benedictas, vt ad salem, vinum, & similia, prolatum fuisse. Honorius in libro, qui *Gemma animæ* inscribitur. *Statutum est, vt panis post Missam benediceretur, & populo pro benedictione communionis partiretur; hoc & Eulogia dicebatur. Sed quia hoc in Quadragesima fieri non licuit, orationem super populũ dici Ecclesia instituit, vt per hanc particeps communionis sit.* Quod ideo factum, ne esu benedicti illius panis, viderentur frangere ieiunium.

Lib. 1. cap. 67.

Quò spectat etiam Canon ille Concilij Laodiceni. *Non oportet in Quadragesima panem offerre, nisi Sabbato & Dominica tantum;* his enim duobus diebus Ecclesia Orientalis non ieiunat; Et ita benedictam illam panis buccellam absq; violati ieiunij suspicione sumere poterant. Statuit eadem Synodus, *ne sanctæ oblationes, ad vicem Eulogiarum, per festiuitatem Paschalem, ad alias parochias mitterentur.* Alia versio ita habet. *Quòd sancta nullo modo, causa Eulogiarum, tempore Paschalis festi, ad alias parochias debeant destinari.* Alius Interpres ita reddidit: *Ne Sancta, instar benedictionum, in festo Paschæ, in alias Parochias transmittantur.* Græcè apud Balsamonẽ, summa Canonis his verbis concepta est: περὶ τȣ͂ μὴ τὰ ἅγια εἰς λόγον εὐλογιῶν κατὰ τὴν ἑορτὴν τȣ͂ πάσχα εἰς ἑτέρας παροικίας μεταπέμπειν. Cuius statuti hanc causam fuisse ait Illustrissimus Baronius, quòd festis paschalibus vniuersus populus communicaret, atq; adeo non Eulogiâ; sed Eucharistiâ pasceretur. Sed sunt, qui per τὰ ἅγια *sancta*, non intelligant panes benedictos, sed ipsam Eucharistiam, quam, eiusdem fidei & concordiæ testandæ gratia, olim ad absentes missam fuisse, liquet ex Eusebio: nam quis Canonis sensus esset, si iste esset? Τὰ ἅγια *Sancta*, id est, Eulogiæ, non mittan-

Cap. 14.

Bar. Anno Christi 313. N. 52.

Euseb. lib. 5. Hist. Eccles. cap. 26 Græce edit.

mittantur in festo Paschæ, loco & vice Eulogiarum ad alias parochias. Certè sensus iste perquam ridiculus esset. Videtur ergo alicubi moris fuisse, vt isto festo ipsa Eucharistia ad alias parochias mitteretur: hoc interdicit Canon; nam quod Balsamon in scholiis ad hunc Canonem ait; idem sua ætate à Latinis factitatũ, eosque Laicis azyma, etiam post consecrationem & sanctificationem, perinde ac communia & vulgaria distribuere; id adscribendum puto liuori in Latinos, quo occœcatus Balsamon rectè videre non poterat, quid Latini agerent: quibus inauditum & penitus inusitatum est, Azyma consecrata, consecratione Eucharistica & sacramentali, Laicis aliter, quàm communicantibus impertiri: In Latina enim Ecclesia nemini venerabile Eucharistiæ Sacramentum datur, nisi illud de manu Sacerdotis sumat, & manducando consumat, quidquid vetustissimis temporibus factum sit, quando Eucharistia etiam domum absportanda fidelibus dabatur; sed non alio fine, quàm vt ijdem pro commoditate hoc cœlesti cibo sese pascerent. Vidit vel audiuit fortè Balsamon, Latinos aliquos die sancto Paschæ, vt alios panes, sic & Azymos benedicere, & Laicis pmiscuè diuidere; Quem morem pro suo erga Latinam Ecclesiã candore, candide scilicet interpretatus, id Latinis affinxit; quod ipsis nunquam in mentem venit.

Ad Eulogias nostras spectat quoq; *fermentum* seu *panis fermentatus*, de quo anxiè viri docti disputant, cuius meminit Liber de Pontificibus Romanis in Syricio: *Hic constituit, vt nullus Presbyter Missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum Episcopi loci designati susciperet declaratum, quod declaratur* (nominatur) *fermentum*. Non licebat ergo Presbytero Missas celebrare, nisi *declaratum*, hoc est, panem *fermentatum* benedictum in testimonium vnitatis eiusdemq; fidei, ab Episcopo accepisset. Vocabatur autem *fermentum* hoc, seu panis fermentum; *declaratum*; quia concordiam mutuam, & eiusdem Catholicæ fidei professionem declarabat.

De Melchiade Papa idem Liber: *Hic fecit*, vt oblationes consecratæ, *per Ecclesias, ex consecratis Episcopi, dirigerentur; quod declaratur* (nominatur) *fermentum*.

Vides ergo & hic & suprà in Syricio Eulogias istas *fermenti*, seu panis *fermentati*; ab Episcopo benedictas, & ad alios missas fuisse; de quibus longè copiosius Innocentius Primus hoc nomine Pontifex

tifex in Epistola ad Decentium. *De fermento verò* (hoc est, pane fermentato) *quod die Dominico per Titulos* (hoc est, *Ecclesias titulares*) *mittimus, superfluè nos consulere voluisti; cum omnes Ecclesiæ nostræ* (titulares scilicet ad quas panis fermentatus mittebatur) *intra ciuitatem sint constitutæ. Quarum Presbyteri, quia die ipso, propter plebem sibi creditam, nobiscum conuenire non possunt, idcirco fermentum à nobis confectum per Acolythos accipiunt; vt se à nostra communione, maximè illa die non iudicent separatos; quod per parochias fieri debere non puto, quia non longè portanda sunt sacramenta.* (Accepit nomen Sacramenti impropriè & latè; pro re sacrata, qualis erat ille benedictus panis fermentatus.) *Nec nos per cœmetria diuersa constitutis presbyteris destinamus, vt & Presbyteri eorum conficiendorum ius habeant atq; licentiam.* Vult ergo fermentati panis Eulogias non esse mittendas remotioribus, sed propinquioribus tantùm, quales erant Presbyteri illi *Titulares* intra mœnia vrbis; cæteris autem longius dissitis ius integrum has Eulogias conficiendi & distribuendi relinquendum dicit. Profert quoq; Baronius ex antiquo Rituali *Eur. Anno 313. N. 49.* ista verba. *Quinta Dominica in Quadragesima, Sabbato, datur fermentum in Consistorio Lateranensi.*

Ex his satis planum reddi arbitror, quid sint istæ Eulogiæ, nomine *fermenti* significatæ; Absit enim, vt quis vocabulo *fermenti* dicat aut credat, Innocentium & alios Eucharistiam intellexisse; persuasionem enim istam vel vnicum illud satis superq; refellit; quod Latinæ Ecclesiæ non nisi in Azymis Eucharistiam conficere iam à prima sua origine vsitatum fuit; Et fortè Pontifices has Eulogias ideo in pane fermentato constituerunt, ne qui accepturi erant, arbitrarentur, ipsam Eucharistiam sibi missam esse. Quæ cogitatio ne nasceretur; Panis fermentatus impedimento esse poterat, in quo sciebant, Eucharistiam non confici.

At tempus iam exigit, vt ab Eulogiis *Fermenti*, conferamus nos ad alias, quas siue in Templo, inter vel post Missam, siue priuata benedictione consecratas absentes absentibus, imò & præsentes præsentibus dare consueuerant in mutuæ consensionis & charitatis argumentum.

Flodoardus de S. Rigoberto Episcopo. *Hic venerabilis Præsul Pipinum Maiorem Domus Regiæ traditur amicissimum habuisse, cui Eulogias pro benedictione crebrò solebat mittere.* *Flod. lib. 2. hist. Rhem. cap. 11.*

Lib. 1. cap. 42. 43. 44. 45.

Exstant apud Marculfum Monachum, peruetustū Gallicum Scriptorem, nuper editum, Formulæ, quibus amicis Eulogiæ cōmendandæ & offerendæ erant. Eulogiæ, inquam, die Natiuitatis Domini & Resurrectionis potissimum consecratæ: Ex quibus vna ad Episcopum. *Domino sancto & Apostolica veneratione colendo Domino, & in Christo fratri, &c. Dominicæ festiuitatis resurrectionisq; mysteriis, in qua idem Deus Christus Tartarum per semetipsum decreuit absoluere, nudus victorq; de exsuperato hoste triumphans captiuitatem, dedit dona hominibus, propterea remeauit ad cœlos, anni circulo reuoluente, quæ felicitas vel prosperitas vestram constitit industriam aut sanctitatem excepisse, ipsoq;, Deo præsule peregisse; cum Eulogiis peculiaris patris vestri sancti illius, & salutationis officia veneratione præcipua mittentes, quæsumus, vt nostram extremitatem affatu dignabili iubeatis specialibus informare.*

In formula responsoria ad Episcopum Eulogias mittentem, hæc inter cætera leguntur. *De edulio depasti recreatiq;, sancto hoc de munere vestro tripudiantes, gratias multas agimus, &c.*

Exstat apud eundem Auctorem Formula, qua vtendum, quando in Natali Seruatoris nostri ad Regem, Reginam, vel Episcopum *Eulogiæ* destinantur. Vbi obserua phrasin illam: *Cum Eulogiis peculiaris patroni vestri*: nam vt Eulogiæ gratiores atq; acceptiores essent, benedicebantur ab Episcopis in honorem illorum cælitum, quos Eulogiis donati pro singularibus patronis habebant. Quapropter iam ex Gregorio Turonensi *Eulogias B. Martini* audiuimus; quia in huius honorem à Gregorio Turonensi Archiepiscopo benedicebantur. Etiam Formosus Papa benedictum panem, hoc est, Eulogiam misit Carolo Simplici Gallorum Regi, vt scribit Flodoardus.

Flodoard. lib. 4. Hist. Rhem. cap. 2. in fine.

Epist. 31. inter Epist. S. August.

S. August. Epist. 34.

Epist. 35 inter Epist. S. August.

Verum enimuero moris huius Eulogias ad absentes mittendi, longè illustriora exempla suppeditant nobis S. Augustinus; & S. Paulinus Nolanus Episcopus: nam ex Africa in Campaniam, & ex Campania in Africam Eulogias sibi transmiserunt. S. Paulinus Epist. ad S. Augustinum: *Panem vnum, quem vnanimitatis indicio misimus charitati tuæ, rogamus accipiendo benedicas.* S. Augustinus ad S. Paulinum: *Panis, quem misimus, vberior benedictio fiet, dilectione accipientis vestræ benignitatis.* S. Paulinus ad Alypium: *Panem vnum sanctitati tuæ vnitatis gratia misimus, in quo etiam Trinitatis soliditas continetur. Hunc panem Eulogiam esse, tu facies dignatione sumendi.*

Idem S.Paulinus epist. ad Romanianum. *Ne vacuum fraternæ humanitatis officium videretur, de buccellato Christianæ expeditionis, in cuius procinctu quotidie ad fragilitatis annonam militamus, panes quinque tibi pariter & filio nostro Licentio misimus: non enim potuimus à benedictione secernere, quem cupimus eâdem nobis gratia penitus annectere.*

S.Paulinus ad Seuerum. *Panem Campanum de Cellula nostra tibi pro Eulogia misimus, &c. Tu licet vberioribus micis à Domini mensa iam saturatus sis, dignare & à peccatoribus acceptum in nomine Domini panem in Eulogiam vertere.* *Epist.1.*

Eulogiæ seu panis benedicti alibi quoque meminit S. Augustinus. *Non vnius modi est sanctificatio. Nam & catechumenos, secundum quendam modum suum, per signum Christi & orationem manus impositionis puto sanctificari, & quod accipiunt, quamuis non sit corpus Christi, sanctum est tamen, & sanctius, quàm cibi, quibus alimur, quoniam Sacramentum est*, hoc est, aliquid Sacramentale & Mysticum; & rerum spiritualium *significatiuum.* *S. Aug. lib. 2. de peccat. meritis cap. 26.*

Porro cum Eulogiæ eiusdem fidei testimonium, & quasi contesseratio essent; haud eas licebat ab hæreticis accipere. Quare Concilium Laodicenum. *Quod non oporteat ab hæreticis Eulogias accipere, quia sunt maledictiones potius, quàm benedictiones.* Et in Capitularibus Francicis. *Vt ab hæretico benedictionem nullus accipiat.* Idem in Concilio Bracarensi secundo statuitur, cap. 70. *Cap. 32. Vide Photium in Nomocanone tit. 12. cap. 9. Lib. 6. cap. 65.*

Nec mittebantur Eulogiæ ad Excommunicatos. Qua de re legitur memorabile exemplum in vita S. Albini Episcopi Andegauensis. *Cum rogaretur, vt Eulogias, quas reliqui Antistites ad personam communione suspensam dirigentes benedixerant, vt & ipse signaret; ait ad Sacerdotale Concilium: Etsi ad imperium vestrum ego signare compeller, dum vos caussam Dei recusatis defendere, ipse potens est vindicare. Quo facto, antequam Eulogias excommunicata persona susciperet, exspirauit; Et priusquam portitor perueniret sermo Sacerdotis obtinuit.* *Tom. 2. Surij.*

Nec omittendum, S.Gregorium Nazianzenum, earundem Eulogiarum meminisse. Matris enim suæ ægrotantis somnium enarrans ita scribit. *Visum est ipsi, me, quem charissimum habebat, noctu repente superuenientem, cum canistro, panibusque inprimis candidis, pro meo more benedictis atque cruce consignatis, eam aluisse, sicque conualuisse, ac vires collegisse.* Vbi obseruandum, S.Gregorio vsitatum fuisse panes benedicere, aliisque sumendos offerre. *S. Nazian. Orat. in funere Patris.*

Addamus & hoc. Aliquando nonnullis in pœnam iniunctum est; vt ab Eulogiis dandis abstinerent: nam Vrsicinus Cadurcensis Episcopus pœnitentiæ triennali subiectus, inter cætera hoc etiam mandatum accepit, *vt Eulogias dare penitus non auderet*; teste Gregorio Turonensi.

Turon. lib. 8. Histor. Franc. cap. 20.

Festiuum est, quod Monachus Sangallensis de Carolo Magno prodidit: *Ab alio Episcopo cum benedictionem peteret, & ille, signato pane, primum sibi perciperet, deinde honestissimo Carolo porrigere voluisset, dixit ei: Habeas tibi totum panem illum; & sic eo confuso, benedictionem illius accipere noluit.*

Sangall. lib. 1. c. 13.

Videntur autem Eulogias seu panem & vinum benedictum, etiam tunc percepisse, cum à se mutuò discedere pararent; quemadmodum nos tunc benedictionem S. Ioannis offerre solemus. Apud Gregorium Turonensem Chilpericus Rex *postulat, vt accepta benedictione, discedere liceat*; *Ait enim, dicam tibi, ô Sacerdos, quod Iacob dixit ad Angelum, qui ei loquebatur: non dimittam te, nisi benedixeris mihi; Et hæc dicens, aquam manibus porrigi iubet. Quibus ablutis facta oratione, accepto pane, gratias Deo agentes, & ipsi accepimus, & Regi porreximus, haustoque mero, valedicentes, discessimus.*

Tur. lib. 6. cap. 5.

Ex nefario facto Florentij Presbyteri, qui odio atque inuidia stimulante, D. Benedicto panem veneno infectum, quasi benedictionis loco miserat, elucet bonus mos; nempe vsus mittendi Eulogias.

S. Greg. lib. 2 Dialog. cap. 8.

Meliores Eulogias misit ad S. Gregorium S. Eulogius Patriarcha Alexandrinus, pro quibus etiam gratias agit his verbis: *Eulogias S. Marci à beatissima fraternitate vestra transmissas, cum ea charitate, qua sunt directæ, secundum notitiam earum, suscepimus, & gratias affectiui vestro referimus.*

S. Greg. lib. 11. Regist. Epist. 45.

Panis benedicendi consuetudinem indicat etiam Auctor Operis Imperfecti, qui isthæc. *Non dixit* (Dominus) *panem quotidianum da nobis hodie; sed addidit*: Nostrum, *id est, quem habemus iam præparatum apud nos; illum da nobis, vt dum à te datur, sanctificetur: vt puta, si laicus offerat Sacerdoti panem, vt sacerdos accipiens sanctificet, & porrigat ei. Quod enim panis est, offerentis est. Quod autem sanctificatus est, beneficium est sacerdotis.*

Homil. 14. in Matth.

Nec prætermittendum, ipsos etiam cibos vulgari & communi in mensa appositos; *Eulogiæ* nomen tulisse. Exemplum exstat apud Adamannum in vita S. Columbæ Abbatis de Cainnicho itidem

dem Abbate. *Cum fortè post nonam cœpisset horam in Oratorio Eulogium frangere, ocyus deserit mensulam, &c. Et cum hac voce ad Ecclesiam perrexit, Non est nobis nunc tempus prandere, &c.* Vocantur autem esculenta & poculenta, *Eulogiæ*, tum propter benedictionem, quæ mensæ præmittitur; tum quia ex benedictione & Dei largitate hominibus obueniunt; tum denique quia benedicendo & laudando Deum sumi debent.

Eadem notione vsurpari videtur *Eulogiæ* nomen à Gregorio Turonensi in vita S. Nicetij, Episcopi Lugdunensis, qui ad Presbyterum, mali & inuerecundi responsi nuncium mensæ accumbens alebat: *Eulogias de manu mea non accipies*; quem tamen mox placatus Eulogiarum participem fecit. Eadem notio subiicitur vocabulo *benedictionis* apud S. Gregorium de S. Benedicto, *Vir sanctus à lectione minimè surrexit, sed vocatis fratribus, eum* (Gallam Arianum crudelissimum, sed tunc miraculo nonnihil cicuratum) *introrsum tolli, vt benedictionem* (hoc est, cibum & potum) *acciperet præcepit.* *Greg. lib. 2. Dialog. cap. 31.*

Non rectè autem Centuriatores ex historia, quæ exstat apud Euagrium, Eulogias procudunt; nam Euagrius non nominat *Eulogias*; & expresè loquitur de residuis particulis Eucharistiæ. Ait enim, morem hunc fuisse Constantinopoli, vt si quando πολλὰ χρῆμα τῶν ἁγίων μερίδων τοῦ ἀχράντου σώματος χριστοῦ τοῦ θεοῦ ἡμῶν ἐναπομείνοι, *multæ admodum particulæ immaculati corporis Christi Dei nostri superessent; pueri illibati, qui scholas frequentabant, accerserentur, easque manducarent.* At quis nescit, aliud esse corpus Domini; & aliud *Eulogias*, de quibus in præsenti disputatio instituitur? Panis enim Eucharisticus specie quidem panis est, non substantiâ, vtpote, quæ in corpus Domini conuersa sit; *Eulogiæ* autem nostræ, licet benedictæ sint; verè tamen & *substantialiter* panis sunt. *Cent. 6. cap. 2. Euagr. lib. 4. cap. 35.*

Ad hoc caput reuocari posse videntur panes S. Nicolai Tolentinatis, qui quotannis die decimo Septembris eius in honorem benedici solent: Origo est, quòd Deipara Virgo, comitante S. Augustino, viro illi sancto, dum viueret, panem, quo vesceretur, propriis manibus porrexerit. Quare in memoriam rei, die festo S. Nicolai, panes benedicuntur, qui etiam vocantur *panes S. Nicolai*, vt refert in suo Catalogo Philippus Ferrarius.

CAPVT XXV.

Miracula per panes benedictes seu Eulogias edita.

EVlogia seu benedictus panis, est *Sacramentale* quoddam, vt ex vulgari illo versiculo liquet.

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.

Primo vocabulo significatur *Oratio Dominica*, Secundo; aqua benedicta. Tertio, panis benedictus. Quarto, Confessio generalis. Quinto, Eleemosyna. Sexto, Episcopi vel Abbatis consecrati benedictio. Addunt alij tria alia; *Orationem in Ecclesia consecrata. Tunsionem pectoris, & sacram vnctionem.* Verùm Franciscus Suaretz, vt iam alibi monuimus, orationem Dominicam, Confessionem generalem; Eleemosynam & tunsionem pectoris pro Sacramentalibus non agnoscit: de quo sententiam meam non interpono.

Illud cum aliis Theologis assero, *Sacramentalia*, quæ verè talia sunt, producere effectus suos non tantum ex affectione & pietate vtentis, sed ex *opere operato*, hoc est, ex ipsa sua institutione; &, vt ita loquar, ex naturâ, quam ex institutione habet. Quapropter, quod suprà de aqua benedicta tradidimus, illud etiam ad panem benedictum religiosè sumptum, accommodari debet: quia est conuenientius ipsi benedictionis formulæ; in qua orat Ecclesia, vt qui hunc panem gustant, *salutem corporis & animæ inde percipiant.* Quæ verba significare videntur, panem benedictum reuerenter manducatum, remissionem venialium, efficere, si in subiecto obstaculum, hoc est, complacentiam ad peccata venialia vnum vel plura, non inueniat: quidquid alioqui in subiecto fiat. Eademq; est ratio effectuum corporalium; qui tamen non dantur infallibiliter, licet dentur ex opere operato, sed pro arbitrio Dei, optimè gnari, quid nobis expediat, quid non. Clarior res euadit ex altera benedictionis formula: in qua petitur, *vt panis benedictus sit omnibus sumentibus salus mentis & corporis, & tutamen contra omnes morbos, ac inimicorum insidias.* Idem magis quoque consonat verbis S. Augustini capite superiore recitatis; palam enim ait; *catechumenos pane benedicto sanctificari*: Et panem hunc *sanctiorem esse, quàm sit panis vulgaris, quo alimur*, quamuis iste etiam per verbum Dei & orationem sanctificetur. Hæc Catechumenorum sanctificatio in eo posita videtur,

Vide Henricũ Henriquez lib. 1. de Sacrament. in genere ca. 20. N. 3. & 4.

quod

quod religioso esu panis benedicti remissionem venialium macularum consequuntur. Maiorem quoque huius panis benedicti sanctitatem, quam D. Augustinus prædicat, in eo sitam non iniuriâ credimus; quod istius panis manducatio per se absque implicito vel explicito pœnitentiæ motu veniales labes delere apta est: alioqui quid peculiare præ pane mensario per verbum Dei & orationem sanctificato possidebit, cum & huius panis esus à venialibus exsoluat, si eum formali vel virtuali pœnitentia coniungatur? Idem mihi persuadeo de aliis esculentis & poculentis, quæ ex Ecclesiæ instituto benedici solent, vt est *Agnus paschalis*, seu *Caro*, quæ die Resurrectionis Dominicæ consecratur; item Oua; & qualescunque noui fructus: imò quodcunque *comestibile*, cum in Missali Romano benedictio ad quodcunque *comestibile* exstet.

Restat, vt aliquos panis benedicti seu eulogiarum effectus percenseamus. Vitam S. Germani, Episcopi Parisiensis, literis commendauit Fortunatus Pictauorum Episcopus, qui cap. 42. de sancto hoc ista. *Cum aliquando ad possessionem matris Ecclesiæ, quæ dicitur Mathe, sacerdos Christi accederet, quidam ei accurrens fit obuius. Quem inquirens, de qua nam villa præteriret, ille se solum incolumem esse respondit, vniuersos verò coæculas graui tædio laborare; cuius Eulogiis ad infirmos partitis, statim ab eis languor omnis fugatus est, & primo gustu Eulogiarum, morbus cum pane consumptus. Sic enim fuit ab illa turba cũ esca sanitas manducata.* Tom. 3. Surij.

In eadem Historia idem Fortunatus de eodem S. Germano. *In Pago Alisiensi res gesta est. Coniunx namque illustris viri Vulfarij de Stasia nomine, vitalis spei destituta solatiis, ac linguæ carens officiis, per biduum muta; spiritu quoque deficiente decumbens, apparatis exequiis iam palpitabat exanimis. Cui Eulogiis à sancto per Presbyterum suum directis, ac violenter adapertis præmortuæ dentibus, in os transiectis, mox vt fauces semiuiuæ, liquor benedictionis introiit, incipit mulier vitæ flatibus anhelare, atque oculi nece præclusi, lumen diei requirere, ita vt post funerum pallorem, facies in ruborem transiret, donec cunctis stupentibus, viuificata consurgeret, & circumstantes auctoris muneris gratiam prædicarent. Quæ singulis annis tributum sancto vitæ soluit pro pretio.* Cap. 12.

Pane benedicto expulit S. Pachomius Dæmonem. Res ita narratur in eius vita. *Cum hæc fama* (miraculorum) *in omnem partem peruasisset, alius rursus suum filium, qui immanem habebat Dæmonem, quotidie lugens, cum eum non posset ad Sanctum deducere, venit ipse genufle-* Tom. 3. Surij.

nuflectens & rogans, vt pro eo oraret. Is verò cum esset precatus, & illi panem dedisset, præcepit, vt tempore vescendi eum comedendum præberet laboranti: Ei itaque esurienti pater panem obtulit. Dæmon autem id sentiens, non permisit ei, vt ipsum gustaret, nec vt tangeret: sed cùm multa alia accepisset, expleuit appetitum. Rursus ergo pater eius, cum hunc panem accepisset, & minutatim fregisset cum minutißimis partibus casei, iniecit fragmenta in medium dactylorum, eaque solù ei apposuit, vt actum ignorans, acciperet benedictionem. Ipse autem rursus ea aperiens & humi iecit fragmenta, & dactylos abhorrens reliquit, volens nihil omnino gustare. Cum ergo pater eius eum multis diebus reliquisset ieiunum, nihil aliud, præter hunc panem, reliquit in eius potestate. Is verò fame oppressus ex eo sumpsit; & cum primum fuisset refectus, dormiit, & recesßit ab eo malus spiritus. Tunc pater accepto, qui curatus erat, filio, rursus cum ipso accesßit, laudans Deum, qui per suos Sanctos facit magna mirabilia.

Tom. 3. Surij. In vita S. Austregisili hæc scripta sunt. *Fuit illustris matrona, Deoque dicata Austreberta, coniunx quondam Cranoaldi illustrißimi viri. Hæc referre solet, quod ipsa præsente gestũ fuit. Vnus ex pistoribus eius, Leodemarus nomine, morbo atrocißimo vexabatur. Habebat autem ipsa panem à sancto Austregisilo benedictum, ipsique ab eo pro Eulogiis transmissum. Seruabat ea hunc panem, vt si quis malè affectus videretur, illi integra fide sumendum præberet. Rogauit ergo quosdam, vt pistorem hunc apprehenderent, & in eius os ex illo pane aliquid inferrent. At ille prorsus recusauit, nec quidquam eius sumere voluit. Ingestus est tamen, ipso etiam inuito, in os eius panis, moxque ille malum omne, quo cruciabatur, euomuit, & redditus sanitati hodieque suum officium facit.*

Lisiard. Episc. in Vita S. Arnulphi cap. 12. Tom. 4. Surij. S. Arnulphus Suessionensis Episcopus benedicto pane lunaticum curauit; nam mulieri, quæ pro misero deprecatura ad Sanctum venerat, benedictum panem dedit cum hoc mandato. *Mox vt domum redieris, aliquid huius panis, ante oẽm cibum, eum sumere compelle, &, Deo iubente, pasßio, qua laborat curabitur. Fecit illa, vt docta erat; sed malignus inuasor non permisit, vt eius panis quidquã contingeret: haud secus atq; ignis, eius tactum pertimescens. Sed diuturna fame tãdem compulsus, sumpsit ex eo, & sanatus est. Ad infirmos etiam longius positos crebrò transmisit panẽ vel vinum, sua benedictione conditũ; eoq; gustato, illi confestim melius habebant.* *Ibid. c. 13.* Idem S. Præsul pane benedicto medicinam fecit ægro, cui omnis edendi facultas adempta fuerat.

Tom. 2. Surij. S. Elphegus Cantuariensis Archiepiscopus pane benedicto Danos à torminibus, & ingenti capitis cruciat liberauitu, vt in eius Vita scribit Osbertus.

Qui-

Quidam S. Mederici Abbatis discipulus, *ita erat Diabolica illusione subactus, vt quandocunque operi diuino insistere deberet, statim vt synaxeos oratio consueta finienda erat, ab Ecclesia exiret. Qua de caussa frequenter admonitus, non est tamen emendatus.* Tunc S. Abbas panem *accepit, & benedicens, Eulogias fratri tribuit, & ab eo mox inimicum exclusit.* Tom. 7. Surij. 29. Augusti.

De S. Romualdo Abbate Petrus Damian⁹. *Habebat vir sanctus huiusmodi consuetudinē, vt si quando fratres in viam dirigeret, benedictū illis siue panē, siue pomū, seu quodcunq; aliud daret. Vnde discipuli, vt experti multoties fuerant, certū tenebant, quod si ex benedictione Magistri cuilibet ægroto porrigerent ad salutē, illū incolumem redderent, &c. Cum igitur diu fœmina miserabiliter vexaretur, quidā fratres, qui aderant, de benedictione panis, quā à Magistro susceperant, ei particulā tradiderunt. Quā cum mulier comedisset, mox mente sedata, ab omni redditur insaniæ furore liberrima. Alio quoq; tēpore puer quidā Dæmoniacus ad beatū virū delatus est, cui ille nihil aliud fecit, nisi quod pro benedictione illi panis particulam tradidit. Qua mox puer ille refectus, confestim à Dæmonio liberatus est.* Tom. 3. Surij.

S. Eutychius Patriarcha Constantinopolitanus, pane benedicto mutum loquendi facultate donauit. Idem puerulum fermè exanimem eodem pharmaco à limine mortis reuocauit. Tom. 2. Surij.

Nec minus efficax fuit *Eulogia* S. Cuthberti, in qua salutē reperit Hildmerus Præfectus, iā iā moriturus. *Aderant multi amicorū, qui ad consolandū venerāt languentē: cūq; lecto iacentis assiderēt, repente vnus eorū intulit, quia secū haberet panē, quē sibi nuper vir Domini Cuthbertus, benedictionis gratia dedisset. Et credo, inquit, quia huius gustu possit, si tamen fidei nostræ tarditas non obsistit, medelam recipere salutis. Erant aūt laici oēs, sed religiosi. Conuersi igitur ad inuicē confitebātur singuli, quia absq; vlla dubietate crederēt, per eiusdē benedicti panis cōmunionē eū posse sanari; implentesq; calicē aqua, immiserunt pauxillulū panis illius, & dederunt ei bibere. Cuius statim, vt viscera gustus ille aquæ per panē sanctificatus attigit, fugit dolor interaneorū omnis; fugit exteriorū tabitudo membrorū. Nec mora; expeditū à languore virū salus subsecuta confirmauit, atq; ad laudandum famuli Christi sanctitatem & admirandam fidei non fictæ virtutem, meritò & ipsum & omnes, qui celeritatem tam inopinatæ salutis videre vel audiere, sustulit.* Beda in Vita S. Cuthberti c. 31.

De S. Bernardo hæc scriptis mandata sunt. *Tam multis gustata eiusmodi benedictio (Bernardi) reddidit sanitatem, vt solius Dei, cuius* Lib. 4. Vitæ cap. 4.

hæc

hæc virtute fiebant, possent notitia comprehendi. Vidimus in Meldensi Territorio militem deuotissimas referentes gratias viro Dei, quòd ad primum gustum panis ab eo benedicti, plenam receperit sospitatem à febre quartana: qua sic grauiter laborauerat mensibus ferme decem & octo vt in hora accessionis quasi phreneticus, nec matrem agnosceret suam. Virum quoque venerabilem, Gerardum Lemouicensem Episcopum, testantem audiuimus, iuuenem quendam de familia sua lethaliter in capite saucium, cum iaceret spumans & impos mentis, immissa sibi in os buccella panis, quem benedixerat homo Dei, tam celerem sensisse virtutem, vt incolumis surgeret ipsa hora. Neq; illud tacendum, quòd ipsam quoque substantiam panis ab omni corruptionis iniuria, eadē benedicto vindicabat, *adeo, vt plures viderimus, qui per septennium, & vltra, eosdem seruauerant panes, nec colore nec sapore mutato. Ante hos paucos dies venerabiles Abbates Gerardus & Henricus de Suediæ partibus venientes, dum super his conferremus, testati sunt nobis, panem ante vndecim annos eius benedictione signatum, manere apud se adhuc penitus incorruptum. Nec dissimilem apud aliquos nostrum vsque hodie nouimus, & apud alios multos, credimus esse repositum.*

Mox subiungit memorabile exemplum de Eskillo Archiepiscopo Londensi in Dania; nam cum à S. Bernardo panem benedictum postulasset, eumque, quo diutius duraret, recoqui in furno iussisset, reprehensus est à S. Bernardo, quasi modicæ fidei. *Itáne,* aiebat, *non poterit benedictio ipsum panem magis, quàm recoctio, conseruare? Et non acquieuit benedicere illum* (bis coctum) *sed communem sibi panem præcipiens exhiberi, benedixit & dixit: Ecce nunc tolle tecum, nihil deinceps de corruptione sollicitus; Tulit, & ad suos per multa quidem prosperè rediens, vsque hodie gloriatur, fidei suæ defectum euidentissima rei veritate conuinci, &c. Confessus est etiam nobis de pane, quem retulit, quòd nunc vsque, cum iam tertius annus transierit, illæsum ei beati viri fides & benedictio custodiuit.*

Aliquando panis à viris sanctis benedictus mittebatur in aqua; eaque ægri aspersi optatam sanitatem consequebantur. Illustre huius rei exemplum suppeditat nobis Adamannus Scotus de S. Columba; qui cum cognouisset, incolas quosdam Scotiæ cum pecoribus pluuia perniciali varios morbos aut contraxisse, aut cōtracturos; ait discipulo suo. *Nos eorum subuenire languoribus, Domino miserante, debemus. Tu ergo, Syluane, nunc mecum descendens de monte nauigationem præpara, crastina die, vita comite & Deo volente, à me pane de-*

Adaman. lib. 2. de vita S. Columbæ.

ne accepto, Dei inuocato nomine, benedicto, quo in aqua intincto, homines [illegible] consperſi, & pecora celerem recuperabunt ſalutem. Quid moramur? die craſtina his, quæ neceſſaria erant, citius præparatis, Siluanus, accepto de manu ſancti pane benedicto, in pace enauigauit. Cui ſanctus à ſe eadem emigranti hora addit hoc etiam conſolatorium verbum, dicens: Confide fili, ventos habebis ſecundos, & proſperos diu noctuque, vſque dum ad illam peruenias regionem, vt languentibus ibidem celerius cum ſalubri ſubuenias pane. Quid plura? Siluanus verbo obſecutus ſancti proſpera & celeri nauigatione, auxiliante domino, ad ſupra memoratã perueniens partem, illius regionis plebem, de qua ſanctus prædixerat, deuaſtatam nubis prædictæ morbifera repperit pluuia ſuperfluente citius percurrentis, inprimiſque bis terni viri in eadem mari vicina domo reperti, in extremis morte poſiti ad propinquante, ab eodem Siluano aqua benedictionis aſperſi, in eadem præſenti die oportunius ſanati ſunt. Cuius ſubitæ ſanationis rumor per totam illam morbo peſtilentiore vaſtatam regionem citò diuulgatus, omnem morbidum ad ſancti Columbæ legatum inuitauit populum. Qui iuxta ſancti mandatum homines & pecora, pane intincto benedicto, aqua conſperſit, & continuo plenam recuperantes ſalutem homines cum pecudibus ſaluati, Chriſtum in ſancto Columba cum eximia gratiarum actione laudarunt. In hac enim ſupra ſcripta narratione, vt æſtimo, duo hæc manifeſtè pariter comitantur, hoc eſt, gratia prophetationis de nube, & virtutis miraculum in ægrotantium ſanitate.

Addamus & hoc, licet ad caput iſtud alioqui non pertineat. Idem S. Columba lapidem quoque à ſe benedictum, & in aquam immiſſum, ſalutarem ægris reddidit, aſperſis aqua, quam lapidis tactus ſacrauerat. Cum enim Broichanus vnus ex præcipuis Aulæ Regiæ proceribus, ſeruam quandam, pro qua B. Columba interceſſerat, manumittere nollet; preceſque ſancti viri ſuperciliosè aſpernaretur, in grauiſſimũ morbum incurrit. Cum tam ipſe, quàm Rex facilè morbi cauſſam diuinarent, mox legatos ad S. Columbam deprecaturos culpam, & opem imploraturos mittunt. *Auditis Legatis, Sanctus binos de Comitum numero ad Regem cum lapide à ſe benedicto mittit, dicens: Si inprimis promiſerit Broichanus ſe famulam liberaturum, tum deinde hic lapillus intingatur in aqua; & ſic de eo bibat, & continuò ſalutem recuperabit. Si verò renuerit, refragans ſeruam abſolui, ſtatim morietur.*

Duo Miſſi verbo Sancti obſequẽtes ad aulam deueniunt regiam, verba viri venerabiliter enarrantes Regi. Quibus intimatis Regi, & nutritio

eius Broichano, valde expauerunt. Eadem hora liberatâ famula Sancti Legatis viri assignatur, lapis in aquam intingitur, mirumq; in modum lapis contra naturam in aquis supernatat, quasi pomum vel nux; nec potuit Sancti benedictio viri submergi: de quo Broichanus natante bibens lapide, statim à vicinâ rediit morte, integramq; carnis recuperauit salutem. Talis vero lapis postea in thesauris Regis reconditus, multas in populo ægritudinum sanitates similiter in aqua natans intinctus, Domino miserante, effecit. Mirum dictu ab his ægrotis, quorum vitæ terminus superuenerat, requisitus idem lapis nullo modo reperiri poterat, & sic in die obitus Brudei Regis quærebatur; nec tamen in eodem loco, vbi fuerat reconditus prius, inueniebatur. Sed hæc per parenthesin. Plura miracula pane consecrato patrata suggerent tibi apud Surium & Philippum Ferrarium vita S. Seueri, S. Petri Abbatis, S. Nymphæ Virginis & Martyris, S. Galgani Eremitæ, S. Arnulphi, S. Coletæ Virginis, S. Columbæ Abbatis & aliorum.

CAPVT XXVI.

Benedictionem & Eulogiam accipi etiam pro munusculis non benedictis; Et quænā huius generis ab Eustochio & Marcella, S. Hieronymo transmissa fuerint.

POstquam de Eulogiis consecratis disputatum est, restat, vt de illis agamus, quæ *Eulogia* appellantur; licet non censeantur sacræ. Accipi autem *Benedictionem* & *Eulogiam* etiam pro donariis non consecratis probaui libro primo; Nunc addo locum illum sacrarum literarum de Axa filia
Iof. 15. Caleb, quæ patrem suum sic allocuta est. *Da mihi benedictionem: terram Australem & arentem dedisti mihi: iunge & irriguam. Dedit itaque ei Caleb irriguum superius & inferius.* Vbi *benedictio* manifestè pro dono accipitur. Eadem notio subiicitur vocabulo huic in Prato spiri-
Cap. 85. tuali Sophronij, vbi refert, moris fuisse, vt in cœna Domini & Parasceue in Cœnobio S. Theodosij cuiuis egeno daretur *modius tritici sextarius, benedictiones tredecim, sextarius vini & medius sextarius*
Cap. 157. *mellis*; vbi per *benedictiones* videntur panes intelligi. Idem alibi. *Venit quidam susceptor peregrinorum, elemosynas erogans, & veniens in*

Subiba

Subiba Besorum dedit benedictionem. Rogauit itaq; Abbatem Monasterij dicens: fac Charitatem, & mitte in proximum Monasterium Syrorum, vt accipiant & ipsi venientes benedictionem. Vbi apertè *benedictio* munus est, seu ipsa collata eleemosyna.

In eodem Prato spirituali cap. 42. mittit Abbas Conon ad ægrotum quendam Abbatem, *sudarium vnum, in quo erat vna benedictio, & sex numismata. Æger ille, benedictionem* retinuit, remissis numismatis. Vbi benedictio cuiuscunque tandem modi, escarium munusculum fuisse videtur.

In Concilio Meldensi cap. 45. vetatur, *ne quis Episcopus vel alius Minister Ecclesiasticus propter sacrum Chrisma aliquid muneris accipiat, neq; denarios, vel qualibet munuscula.* Subiungitur. *Decet tamen Presbyteros cum voluntariis eulogiis, tempore congruo, visitare & venerari suos Episcopos.* Vbi clarum *Eulogias* pro munusculis, etiam non benedictis, accipi.

In Regula S. Benedicti. *Nullatenus liceat Monacho nec à parentibus suis, nec à quoquam hominum, nec sibi inuicem literas aut eulogias, vel qualibet munuscula accipere, aut dare sine præcepto Abbatis sui.* Vbi Eulogiæ nihil aliud, quàm xeniola, cuiusmodi erant mappulæ illæ, de quibus S. Gregorius in rebus gestis S. Benedicti. Solebat S. Benedictus, exhortationis & instructionis caussa, Monachos suos aliquando mittere ad quasdam Sanctimoniales. *Quadam die is, qui missus fuerat Monachus, post admonitionem factam, à sanctimonialibus fœminis rogatus, mappulas accepit, sibiq; eas abscondit in sinu. Qui mox vt reuersus est, eum vir Dei vehementissima amaritudine cœpit increpare dicens; quomodo ingressa est iniquitas in sinum tuum? At ille obstupuit, & quid egisset oblitus, vnde corripiebatur, ignorabat. Cui ait: Nonne ego illic præsens non eram, quando ab ancillis Dei mappulas accepisti tibiq; eas in sinu misisti? Qui mox eius vestigiis prouolutus, stultè se egisse pœnituit. & eas, quas in sinu absconderat, mappulas abiecit.*

Cap. 54.

S. Greg. lib. 2. Dialog. cap. 19.

Prohibet etiam Auctor de vita Eremitica ad Sororem, quisquis est, (non D. Augustini, sub cuius nomine circumfertur, viri docti monent) ne Inclusa *Eulogias* accipiat. *Nolo*, inquit, *vt insidiatrix pudicitiæ vetula mixta pauperibus accedat propius, deferat ab aliquo Monachorum vel Clericorum Eulogias, &c.*

Tom. 1. Operum S. August.

Quæ munuscula Religiosis interdicta fuere à S. Benedicto, & ab aliis, tū quia omni rerum proprietate sese abdicarunt; tum, quia reli-

religiosam disciplinam soluunt, & familiaritatem non necessariam cum extraneis inducunt. Vnde multa incommoda & inconuenientia.

Lib. 11. Apud Venantium Fortunatum leguntur duo Epigrammata ad S. Radegundem Reginam *pro Eulogiis transmissis*. Vsitatissimum fuit, vt sacras Christi & Sanctorum Reliquias, aliasq; id genus res pietatis promotrices, vt claues S. Petri; cruces, & similia sibi mutuò in signum amoris ac beneuolentiæ transmitterent; Verùm de his nobis non erit sermo hoc loco; sed de munusculis, quæ nec ad Reliquias, nec etiam ad illa, quæ singulari benedictione consecrantur, spectant. Quò forsan referendæ sunt etiam illæ Eulogiæ, de quibus in Additione prima ad Librum septimum Capitularium Cap. 68. Francicorum: *Vt Eulogiæ fratribus à Presbyteris in Refectorio dentur.* Videntur enim hoc loco *Eulogiarum* nomine esculenta & poculenta intelligi.

Victor. in Scholiis ad Epist. 19. S. Hieron. Eulogiæ seu munera Eustochij ad S. Hieronymum fuerunt isthæc. Armillę, Epistola, Columbæ, Piper, hoc est, vt Marianus Victorius interpretatur, libum aliquod pipere conditum, & cerasa: quæ S. Hieronymus non modò grata habuit, sed & mystica ac morali explicatione dilucidauit his verbis, *Parua specie, sed charitate sunt magna, munera accepisse à Virgine, armillas, Epistolam, & columbas; & quoniam mel in sacrificiis non offertur, nimia dulcedo arte mutata est, & quadam, vt ita dicam, piperis austeritate condita: apud Deum enim nihil voluptuosum, nihil tantùm suaue placet, nisi quod in se habet mordacis aliquid veritatis, &c. Armillis in Ezechiele ornatur Hierusalem.* Ezech. 16. *Baruch Epistolas accipit à Hieremia.* Hier. 36. *In columbæ specie Spiritus sanctus allabitur. Itaq; vt & te aliquid & piperis mordeat, & pristini libelli etiam nūc recorderis, caue ne operis ornamenta dimittas, quæ veræ armillæ sunt brachiorum, ne Epistolam pectoris tui scindas, quam à Baruch traditam, nouacula Rex profanus incidit, ne ad similitudinem Ephraim per Osee audias: Facta es insipiens, vt columba, &c.* Osee. 7.

Verùm ne videar dona minuisse, accepimus & canistrum cerasis refertum, talibus & tam virginali verecundia rubentibus, vt ea nunc à Lucullo delata existimarim, siquidem hoc genus pomi, Pōto & Armenia subiugatis, de Cerasunto primus Romam pertulit, vnde & de patria nomen arbor accepit. Igitur quia in scripturis canistrum ficis plenum legimus, Hier. 24. *cerasa verò non inuenimus, in eo, quod allatum est, id, quod allatum nō est, prædicamus, optamusq; te de illis pomis fieri, quæ contra Templum Dei sunt, & de quibus Deus dicit, quia bona, bona valdè.*

Ma-

Munera à Marcella S. Hieronymo, Paulæ & Eustochio donata, erãt isthæc: *Sellæ, sacci, cerei, calices, muscariá*, de quibus S. Hieronymus. *Vos*, inquit, *dona transmittitis: nos Epistolas remittimus gratiarum, &c. Saccus orationis signum atque ieiunij est. Sella, vt foras pedes virgo non moueat: cerei, vt accenso lumine, sponsi exspectetur aduentus: calices mortificationem carnis ostendunt, & semper animum ad Martyrium præparatum. Quod autē & matronis offertis muscaria parua paruis animalibus euentilandis, elegans significatio est, debere luxuriam citò restinguere, quia muscæ morituræ oleum suauitatis exterminant. Hic typus sit virginum, hæc figura matronarū. Nobis autem licet in peruersum, munera vestra conueniunt*: Sedere, aptum est otiosis: *in sacco iacere, pœnitentibus; calices habere, potantibus, licet & propter nocturnos metus & animos semper mala conscientiæ formidantes, cereos quoq; accendisse sit gratum.* Epist. 29.

CAPVT XXVII.

Eulogiæ Missæ à Lucinio Bætico ad S. Hieronymum, & huius ad illum; itemq; Sulpicij Seueri ad S. Paulinum; & huius ad illum.

QVæ Lucinij Eulogiæ fuerint exponit nobis S. Hieronymus in Epistola ad eundem. *Duo palliola, & amphimallum de tuis vsibus vel vtenda, vel sanctis danda suscepi.* Est autem amphimallum seu Amphimallus, *gausapina tunica, vtrinq; villosa*, inquit Marianus Victorinus. *μαλλὸς enim, villum seu lanam significat; ἀμφὶ circum.* Dicitur etiam ἀμφίβαλλον. Isidorus in Glossis. *Amfibalum, birrum villosum.* Sulpicius Seuerus in Vita S. Martini. *Intra amphibalum sibi tunicam latenter eduxit.* Epist. 28. Victor. in Schol. ad Epist. 28.

Quas porrò Eulogias vicissim Hieronymus Lucinio dederit, ipsemet nobis exponit: *Ego insignia paupertatis, & quotidianæ symbola pœnitentiæ tibi & sorori tuæ misi; quatuor ciliciola, apta proposito & vsibus vestris, & Codicem, hoc est, visiones Isaiæ valde obscurissimas, quas nuper historica explanatione disserui.*

S. Paulinum donauerat Sulpicius cilicio. Inde sumpta occasione pię philosophari cœpit Paulinus. *Necessariò*, inquit, *peccatoribus,* S. Paulin. Epist. 10.

bus & precatu deplorationis, & habitu indigentibus, pallia camelorum pilis texta misistis, quæ nos in conspectu Altissimi stratos vtilibus stimulis admonerent, dum asperitate setarum compungimur, & peccatorum nostrorum horrore compungi, atque intus spiritu conteri, dum extrinsecus terunt habitum.

Post multa in eandem sententiam piè disputata; reponit, gratitudinis ergo Sulpicio agninam seu ouinam tunicam, quam & debitis laudibus extulit. *Misimus tunicam, quam ab vsu meo, vt de stercoris vilitate collectum pannum dignare suscipere; nam vel hoc innocentiæ tuæ congruit, quod de tenero Agnorum vellere contexta blanditur attactibus.* Et vt donum suum magis ornet, adiungit, vnde id acceperit, nempe à Melania Romana, Hierosolymis, post multos annos, reduce. *Adde*, inquit, *adhuc pretio eius & gratiæ, quòd, quò dignior probetur vsu tuo, de sanctæ & illustris in sanctis Dei fœminæ, Melaniæ benedictione mihi pignus est. Vnde, te dignior visa est, cuius fides illi magis, quàm noster sanguis propinquat. Fateor tamen, ausum me; vt eam, quamuis illico vt acceperam, tibi destinaram, meo tamen vestitu initiando præterirem, sciens magis me tibi hac iniuria præstiturum, quàm si te intemerata nouitate illius honorassem; simul vt mihi benedictionem, quasi de tua iam veste præcerperem, vt iactare possim, vestimenti me tui esse participem, qui, propitio Deo, futuram vsus tui tunicam, quasi fuisset, induerem.*

S. Paulin. Epist. 1. Prius ergo induit ipse Paulinus tunicam illam, idque benedictionis gratia, vt ait; qui ad eundem Seuerum misit pro Eulogia, *panem Campanum*; de quo iam supra. Forsan panis ille huc pertinet, quia fortè benedictus non erat. Panis huic adiunxit *scutellã buxeam*.

CAPVT XXVIII.

Eulogiæ ex Venantio Fortunato, & ex Epistolis S. Bonifacij.

Venant. lib. 11. ACceperat Venantius à Radegunde, sanctissima Regina, Eulogias, carnes, olera, poma, pullos, lac, pruna, & id genus alia; ipse vicissim, ne ingratus esset; mel reddidit, casta-

castaneas, & similia, quæ omnia versiculis decorauit: vbi notādum illud distichon.

Si bene perpendas, apud omnes semper amantes,
Muneribus paruis gratia maior inest.

Vt proinde magnitudo muneris minimè spectāda sit. Eodem pertinet ille Pentameter.

Munere in angusto cernitur amplus amor.

In Epistolis S. Bonifacij, Archiepiscopi Moguntini, & Germaniæ Apostoli, crebra est mentio huiusmodi munusculorum; vt ad Danielem Episcopum: *Parua munuscula propter indicium puræ charitatis, transmitto vobis, id est, casulam non holosericam, sed caprina lanugine mixtam, & villosam, ad tergendos pedes dilectionis vestræ.* *Epist. 3.*

Epistolâ quartâ fit etiam mentio munusculorum; sed quæ illa sint, subticetur.

Epistolâ quintâ ita loquuntur Auctores illius: *Parua quoque munusculorum transmissio Schedulam istam comitatur, quæ sunt tria, id est, turis & piperis & cinnamomi permodica xenia, sed omni mentis affectione destinata.*

Alibi Eadburgæ Abbatissæ, *Parua munuscula transmittuntur, id est, vnum graphium argenteum, & storacis & cinnamomi pars aliqua.* *Epist. 7.*

Ecberto Archiepiscopo donantur exemplaria Epistolarum S Gregorij, & * *corporale pallium, & villosa vna, ad tergendos pedes, cum lauerit, seruorum Dei.* Est hæc *Villosa* ea ipsa, quam Epistolâ tertiâ vocauit *Casulam.* *Epist. 8.* * Leibmantel. *Epist. 9.*

Hutberto Abbati dono misit S. Bonifacius *lectisternia caprina.* Hereftido Presbytero *partem thymiamatis & Sabanum pro benedictione, & signo puræ charitatis.* Porro Sabanum linteum est cum pro aliis vsibus, tum pro abstergendo corpore. S. Gregorius de quodam defuncto, cuius spiritus, formâ humanâ indutus, operā suam in balneis locabat; qui Centumcellensi Presbytero balneaturo *de pedibus calceamenta abstrahebat; vestimenta suscipiebat, & exeunti de caloribus Sabana præbebat;* quibus nimirum humorem & sudorem abstergeret. *Epist 10.* *S. Greg lib. 4. Dialog. cap. 55.*

Apud Victorem Vticensem accipitur pro linteo, quo infans iamiam ex baptismo susceptus seu leuatus amicitur. Nam Muritta Diaconus Catholicus, cum ab Elpidoforo Apostata Ariano, fidei caussa, torquendus esset, *priusquam,* ait Victor, *exueretur,* clam, furto, *nescientibus cūctis, illa, quibus Elpidoforum suscipiens de fonte dudum texerat,* *Vict. lib. 3. de Persecut. Vandal.*

texerat, sabana baiulabat. Quibus ventilatis, simulque, in ostensione cunctorum extentis, in his verbis totam ad fletum & lacrymas commouisse dicitur ciuitatem; Hæc sunt linteamina, Elpidifore, Minister erroris, quæ te accusabunt, dum maiestas venerit iudicantis.

Aldhelmus de laudibus virginitatis. *Qui in Sabanis & Sindonibus baiulabantur ægroti, sanctorum meritis sospites, & vel compotes salubriter abscedunt.* Non est silentio prætereundum munus, quod à Presbytero illo oblatum dicit S. Gregorius ministro suo tam fideli ac sedulo. *Idem Presbyter die quadam ad balnea iturus, intra semetipsum cogitãs dixit: Viro illi, qui solet mihi tam deuotissimè ad lauandũ obsequi, ingratus apparere non debeo; sed aliquid me necesse est ei pro munere portare. Tunc duas secum oblationum coronas detulit. Qui mox, vt peruenit ad locum, hominem inuenit, atq; ex more, eius obsequio in omnibus vsus est. Lauit itaque, & cum iam vestitus voluisset egredi, hoc, quod secum detulerat, obsequenti sibi viro pro benedictione obtulit; petens, vt benignè susciperet, quod ei gratia charitatis offerret, &c.* Sed quid duæ istæ oblationum coronæ? Zacharias Pontifex, in Græca sua versione hũc locũ ita vertit. *δύο οὖν μεθ' ἑαυτοῦ προσφορὰς λαβὼν ὁ πρεσβύτερος. Duas oblationes secum accepit Presbyter.* Iterum *ὥσπερ μεθ' ἑαυτοῦ προσφορὰς ἐβάσταζε τῷ ὑπουργοῦντι αὐτῷ ἀνδρὶ εὐλογίας χάριν ἐπέδωκε. Oblationes, quas secum ferebat, ministranti sibi viro, benedictionis gratia, obtulit.* Videntur ergo fuisse panes à fidelibus Presbytero oblati; Vnde etiam oblationis nomen; & postea ab eodem benedicti, vt solebant Eulogiæ; formâ rotundâ: & hinc *coronæ* nomen; Quocirca ipse spiritus humana sub imagine delitescens, cum sibi panes isti offerrentur, aiebat: *Mihi ista quare das pater? Iste panis sanctus est; ego hunc manducare non possum. Ego etenim, quem vides, huius loci Dominus aliquando fui; sed pro culpis meis, huc post mortem, deputatus sum. Si autem mihi præstare vis, omnipotenti Deo pro me offer hunc panem, vt pro peccatis meis interuenias. Et tunc exauditum te esse cognosce, cum huc ad lauandum veneris, & me minimè reppereris. In quibus verbis disparuit, &c.*

Epist. 11. Reuertamur ad S. Bonifacium: qui Pethelmo Episcopo, *munuscula pro indicio charitatis direxit, id est, corporale pallium albis stig-*
Epist. 12. *matibus variatum, & villosam, ad tergendos pedes seruorum Dei.* Ethelbaldo Anglorum Regi munera statui ipsius consentanea obtulit idem S. Bonifacius. *Pro signo veri amoris & deuotæ amicitiæ, direximus tibi accipitrem vnum, & duos falcones, duo scuta, & duas lanceas.*

Eadbur-

Eadburga Abbatissa S. Bonificio *liborum sanctorum munera*, Epist. 14.
id est, biblia, dono dedit; pro quo munere amplas agit gratias.
Eidem Bonifacio Bugga *quinquaginta solidos* & *pallium altaris* mi- Epist. 35.
sit: Ingalice Presbyter Lullo *quatuor cultellos; nostra*, inquit, *con-*
suetudine factos, & *calamistrum argenteum*, & *mappam vnam*. Eidem Epist. 39.
misit Æthilbertus Rex *caucum argenteum*, *intus deauratum*, & *duo* Epist. 40.
repta. Est autem *Caucum*, patera, seu poculum. Idem *Caucium*, &
Caucolium. Sed quid *repta*? Alibi: *Misimus vobis parua xenia*, id est, Epist. 77.
reptem ruptilem vnam. Lullo Episcopo misit Gotewinus *tres lucer-*
nas. S. Bonifacius Ekberto Archiepiscopo *duas cupellas vini*; Et Epist. 82.
addit: *Petentes, vt charitatis inter nos precibus nostris inde latum diem* Epist. 85.
cum fratribus vestris faciatis.

Ginthcardus Episcopus dedit Lullo Episcopo, *tunicam laneam*,
& *lineam*, *caligas* & *peripsemata*, *orarium*, & *coculum*, & *gunnam bre-*
uem nostro more consutam, inquit, *ad indicium plenissimum dilectio-*
nis nostræ. Est autem *Guna* seu *Gunna* idem quod *Sisyra*, vestis pelli-
cea & villosa, ex ouium vel caprarum aliarumq; animantium vil-
losarum pellibus. Vide Glossarium Græcobarbarum, in verbo
γοῦνα. Pro, *peripsemata* omnino legendum existimo; *perizomata*.
Quid enim hoc loco *peripsemata*?

Cuthbertus ad Lullum Episcopum: *Ante sex annos per Hunuini* Epist. 89.
meum Presbyterum illuc ad vestra loca aduenientem, & *Romam videre*
desiderantem, aliqua parua xenia, cultellos videlicet viginti & *gunnam*
de pellibus lutrarum factam, tuæ fraternitati misi, &c. *Duo verò pallia*
subtilissimi operis, vnum albi, alterum tincti coloris cum libellis, & *clo-*
cam, qualem ad manum habui, tuæ paternitati mittere curauimus.

Alrchdus Rex ad eundem Lullum. *Parua munuscula dignitati* Epist. 90.
tuæ admisimus, id est, duodecim sagos (saga) *cum annulo aureo maiori*
dono, ad dotem.

Bregouinus ad Lullum: *Tibi indicare curauimus, nos misisse ve-* Epist. 103.
stræ beatitudini parua quædam munuscula; non parua charitate, id est,
capsam vnam ad officium quidem sacerdotale ex ossibus fabricatã, salu-
tationis tantummodo ac benedictionis causa.

Lullus Cœnæ pallam holosericam misit. Idẽ Lullus ad Guth- Epist. 109.
bertum: *Misimus tuæ dilectioni parua munuscula, vnam pallam holo-* Epist. 111.
sericam, &c.

Benedictus Episcopus ad S. Bonifacium: *Benedictionem à ve-* Epist. 148.
stra beatitudine missam, sicut à patre meo suscepi, &c. *Etenim paruum*
munuscu-

munusculum sanctitati vestræ direxi Sabanum vnum, & facitergium vnum, & modicum thymiama. Gemmulus Diaconus ad S. Bonifacium. *Benedictionem, quam nobis direxistis, suscepimus, id est, poculum argenteum, & sindonem vnam, quam in duplici suscepimus benedictione, eò quòd à tanto patre meruimus visitari. Et licet tribuere non valemus, tamen ad vicem charitatis cum magna reuerentia dereximus Cinnamomum vncias quatuor. Costum, vncias quatuor. Piper, libras II. Cozumbrem libram vnam.* Quid autem sit *Cozumbre* intelligitur aliquo modo, etsi non perfectè ex sequenti Epistola. *Transmisimus aliquantum Coczumbri, quod incensum Domino offeratis, temporibus matutinis & vespertinis, siue dum Missarum celebratis solennia, miri odoris atq; fragrantiæ.* Vide notas Serarij nostri ad hanc Epistolam.

Epist. 140. Theophylacias ad S. Bonifaciũ: *Direximus vobis paruam benedictionem ex largitate B. Petri Apostoli; propter Deum grato animo dignemini suscipere costum, cinnamomum & styracem.*

Epist. 147. S. Bonifacius Guthberto Abbati *lectisternia caprina direxit.* Et hæc de Eulogiis seu benedictionibus munusculorum, ex Epistolis S. Bonifacij.

Epist. 150. Bonifacius Pontifex Romanus in Epistola ad Edelburgam Reginam Eduini Regis Anglorum coniugem: *Benedictionem protectoris vestri beati Petri Apostolorum Principis vobis direximus, id est, speculum argenteum, & pectinem eburneum inauratum. Quod petimus, vt eo benignitatis animo gloria vestra suscipiat, quo à nobis noscitur destinatum.* Similia idem Pontifex ad ipsum Eduinum Regem: *Benedictionem protectoris vestri beati Petri Apostolorum Principis vobis direximus: id est, camisiam cum ornatura in auro vna, & læna Ancyriana vna, &c.*

Apud Bedam lib. 2. Hist. Angl. cap. 11. Beda loc. cit. cap. 10.

CAPVT XXIX.

Eulogiæ, quas S. Gregorius Magnus ad amicos missitare consueuerat.

Munuscula huius sanctissimi Antistitis plerunq; sacra erant; vt Cœlitum lipsana, cruces, claues beati Petri. Aliquando tamen vulgaria & communia dabat: *Excellentiæ*

lentiæ vestræ benedictionem, inquit in Epistola ad Theodorum Medicum, *ea, qua transmissa est, charitate, suscepi. Vnam verò anatem cum duobus paruulis Atticis, pro vestri amoris gratia transmittere præsumpsi; vt quotiens ad respiciendum eam vester oculus ducitur, memoria etiam mei inter occupationes tumultusque causarum in animo vestro reducatur.* Videtur *anas* ista Scyphi quoddam genus fuisse; nam & hodie moris est pocula in formas variorum animalium effingere. S. Greg. lib. 4. Indic. 13. Epist. 41.

Ad Narsen Religiosum misit idem S. Gregorius duas *Camisias* & quatuor *oraria*, *quæ prædictis viris*, inquit, (Marino & Christodoro) *ex bendictione S. Petri peto humiliter offerri; præterea quidam moriens vnum mihi puerulum dimisit, de cuius anima cogitans, eum dulcedini vestræ transmisi, vt in eius viuat in hac terra seruitio, per quam ad libertatem cœli valeat peruenire.* Lib. 6. Indict. 15. Epist. 27.

Item S. Gregorius ad Eulogium, Patriarcham Alexandrinum. *Paruulam benedictionem de amatoris vestri sancti Petri Ecclesia, sex minora Aquitanica pallia, & duo oraria transmisi; quia enim multum diligo, etiam de paruis præsumo.* Lib. 6. Indict. 15. Epist. 37.

Secundino seruo Dei & *Incluso* misit S. Gregorius *duos Homiliarum Codices, quas dixi*, inquit, *in Ecclesia, dum adhuc loqui præualerem, vt quia ipse te videre, tibiq; sedulò colloqui non possum, charitati tuæ vel per ea, quæ scribere valui, absens non sim. Exiguum quoq; vestimentum transmittere studui, per quod tua charitas, quia Australi in animo calore feruet, foris à corpore Arcturi frigus repellat.* Ad eundem destinauit *aloën, thymiama, styracem & balsamum sanctorum Martyrum corporibus offerenda.* Lib. 7. Indict. 2. Epist. 54.

Palladio presbytero *de monte Sina* transmisit *de benedictione sancti Petri Apostoli cucullam & tunicam, quæ ea*, inquit, *charitate petimus suscipi, qua à nobis transmissa sunt.* Ad Eulogium Episcopum Clusinum. *Vnum caballum vobis, qualem inuenire potuimus, de benedictione S. Petri transmisimus; vt habeatis post infirmitatem, cum quo vectari possitis.* Ecclesio Episcopo *amphimalum* tunicam dono dedit. Adulowaldo Regi Longobardorum, præter Phylacteria, misit *lectionem sancti Euangelij thecâ Persicâ inclusam; & sorori eius tres annulos, duos cum hyacinthis, & vnum cum albula.* Hæc ex Epistolis S. Gregorij. Lib. 8. Indict. 3. Epist. 45. Lib. 8. Indict. 3. Ep. 46. Lib. 10. Indict. 5. Epist. 52. Lib. 12. Indict. 7. Epist. 7.

Vnum vel alterum addamus ex Alcuino, cui Flauius Damœtas *pectinem* miserat: quod donum his verbis ornat. *De munere charitatis vestræ multum gauisus sum, tot agens gratias, quot dentes in dono* Alcuin. Epist. 41.

numeraui. Mirum animal duo habens capita, & dentes singuli non Elephantinæ magnitudinis, sed eburneæ pulchritudinis. Nec ego huius bestiæ territus horrore, sed delectatus aspectu. Nec me frendentibus illa mordet dentibus. Timui, sed blanda adulatione capitis mei placare capillos arrisi. Eidem soror cappam miserat: ob quam ista: *Sed & cappa, quam mihi aptißimam misistis, valdè animo meo placet.*

Epist. 56.

CAPVT XXX.

S. Bonifacium & alios nonnullos, quorum vel Epistolæ, vel mentio inter Bonifacianas, pro xeniis libros potißimum postulasse.

Epist. 3. SAnctus Bonifacius ad Danielem Episcopum. *Paternitatis vestræ clementiam de vno solatio peregrinationis meæ intimis precibus diligenter rogare velim, si præsumam; id est, vt librum Prophetarum, quem venerendæ memoriæ Vuynbertus Abbas & Magister quondam meus de hac vita ad Dominum migrans dereliquit, sex Prophetæ in vno corpore, claris & absolutis literis scripti, reperiuntur, mihi transmittatis. Et si hoc Deus cordi vestro facere inspirauerit, maius solatium vitæ meæ senectuti, & maius vobis mercedis præmium transmittere non potestis: quia librum Prophetarum talem in hac terra, qualem desidero, acquirere non possum; & caligantibus oculis minutas ac connexas literas discere non possum.*

Epist. 4. A Dealuno petiit Lullus Aldhelmi Episcopi aliqua opuscula *seu prosarum, seu metrorum aut rythmicorum, ad consolationem peregrinationis suæ, & ob memoriam ipsius beati Antistitis.*

Epist. 8. Ab Ecberto Episcopo postulat S. Bonifacius *aliquos Tractatus*
Epist. 9. *Bedæ.* Eadem petitio exstat ad Hubertum Abbatem. Alibi sibi postulat quæri, describi & mitti *interrogationes Augustini Pontificis*
Epist. 15. *ac Prædicatoris primi Anglorum, & Responsiones S. Gregorij Papæ.*
Epist. 149. Eiusdem S. Gregorij Epistolas petiit idem S. Bonifacius à Gem-
Epist. 150. mulo Diacono: Et Bedæ opera aliqua à Guthberto Abbate. Ea-
Epist. 89. dem promisit Lullo Guthbertus, quæ etiam petiit à Cœna Epi-
Epist. 109. scopo, & à Guthberto Abbate.
Epist. 111.

Epistolas

Epistolas S. Petri Apostoli aureis characteribus pro suo vsu exarari voluit; S. Bonifacius, idq; in honorem S. Petri, à cuius successore Romano Pontifice ad conuertendos Germaniæ populos missus fuerat. *Adhuc deprecor*, inquit S. Bonifacius scribens ad Eadburgam Abbatissam, *vt augeas, quod cœpisti, id est, vt mihi cum auro conscribas Epistolas Domini mei sancti Petri Apostoli, ad honorem & reuerentiam sanctarum scripturarum ante oculos carnalium, in prædicando; & quia dicta eius, qui me ad hoc iter direxit, maximè semper in præsentia cupiam habere.*

A Bugga sanctimoniali passiones & res gestas SS. Martyrum petiit. *Epist. 33.*

Vides igitur, quas sanctus Bonifacius Eulogias seu benedictiones ambiuerit, libros nimirum, quorum lectione & se & alios ad salutem instrueret.

Similem benedictionē postulauit olim S. Hieronymus à Paulo Concordiensi, nempe Commentatarios Fortunatiani, & Aurelij Victoris Historiam, simulq; Epistolas Nouatiani: cui ipse vicissim Pauli Eremitæ vitam dono dedit. *Misimus interim te tibi, id est, Pauli Seni Paulum Seniorem.* *S. Hieron. Epist. 21.*

Pro coronide Eulogiorum subijcere placet rem festiuam ex Palladio de Valente Monacho, qui sibi nimium tribuens & fidens ambulare solebat *in mirabilibus supra se. Accidit, vt quidam venientes hospites adferrent ad fraternitatem bellaria in Ecclesiam. Porrò autem cum ea accepisset sanctus Macarius Presbyter noster misit ad vnūquemq; in cellam circa manipulum inter quos etiam ad Valentem. Cum autem accepisset Valens eum, qui attulerat contumelia affecit, & verberauit, & ei dixit: Abi & dic Macario; Non sum te deterior, vt tu ad me mittas benedictiones.* Qui, vt ibidem Palladius memorat, variis Diaboli illusionib' circumactus, tandem ad saniorem mētem reuertit. *Pallad. in Hist. Laus. sect. 28.*

CAPVT XXXI,

De Benedictione Cereorum præsertim Paschalis Cerei.

IN Ecclesia Catholica variæ sunt cereorū benedictiones: Vna est generalis Candelarum, cuiuscunq; materiæ, quæ quocunq; tempore fieri potest, cuius in Romano Missali hæc

hæc est forma. *Domine* IESV *Christe, fili Dei viui, bene†dic candelas istas supplicationibus nostris; infunde eis, Domine, per virtutem sanctæ Cru†cis, benedictionem cœlestem, qui eas ad repellendas tenebras humano generi tribuisti: talemq; benedictionem signaculo sanctæ Cru†cis accipiant, vt quibuscunq; locis accensæ siue positæ fuerint, discedant Principes tenebrarum & contremiscant, & fugiant pauidi cum omnibus ministris suis ab habitationibus illis, nec præsumant amplius inquietare aut molestare seruientes tibi omnipotenti Deo. Qui viuis & regnas in sæcula sæculorum, Amen.*

Lib. 1. cap. 21. Alia est benedictio Cerei Paschalis, qui solenni ritu pridie Paschæ, seu Sabbato sancto consecratur. De cuius origine multa dixi in opere de Festis. Quæ hic non repeto. Lector inde petat.

Illud inprimis asserui, Zozimum Papam non esse primum huius moris Auctorem. Nec obstat; quòd à nonnullis *instituisse* dicitur; nam institutio sæpe tribuitur illi, qui ritum renouat, amplificat & propagat, vt à Zozimo factum. Ibidem eâdem opera disputatũ est aduersus Hospinianum Caluinistam de Hymno Prudentij *ad accensionem Cerei Paschalis.*

Edit. secunda. Tomo sexto Bibliothecæ sanctorum Patrum exstat benedictio Cerei Paschalis, sub *Augustini Episcopi* nomine, quam *ediderit, & cecinerit, cum adhuc Diaconus esset.* Quæ vnà cum aliis Bibliothecæ collector ex vetustissimo manuscripto Gothico *Missali* exscripsit. Sed hæc benedictio, pauculis mutatis, eadem est, cum illa, quæ in Romano Missali reperitur, nisi quòd in Romana formula Encomium Apum omittitur: Et in altera subduntur duæ *Collectæ*, seu vt ibi vocantur, *collationes*: Vna, *post benedictionem ceræ*: Altera, *post hymnum ceræ.* Prior ita habet. *Sancte Domine omnipotens Deus, qui ad nostrarum contemplationem tenebrarum hæc in mundi huius obscuro luminaria emicare iussisti, præsta, vt dum ad illum æternitatis diem, & vnigeniti tui properamus occursum, ad hanc interim, quam tenebris præparasti lucernam, dum nox ista transcurritur, sine peccatorum offendiculo ambulemus.*

Posterior his verbis constat. *Deus templum ignis æterni, Deus veræ lucis habitaculum, Deus sedes perpetuæ claritatis, vota tibi Domine solemnia diei consummationis & noctis inchoationis celebrantes, ac luminibus altaris tui mensis temporarium lumen offerentes, vt famulis & famulabus tuis verum ac perenne lumen largiaris oramus.*

Prius

Prius tamen, quàm cereus consecratur, benedicitur nouus ignis ex silice iam iam excussus ex quo carbones accendantur, & inde Paschalis cereus, & omnia alia Ecclesiæ luminaria. Imò de *ipso nouo & benedicto igne accendunt in omni domo, quia omnis ignis anterior, qui tunc ardebat, extingui debet,* inquit Ordo Romanus.

Solet autem in nonnullis Diœcesibus, ex igne recenti, integer quasi focus in cœmeteriis accendi & benedici, ex quo fideles, deuotionis & benedictionis gratia, non modò ignem, sed & integros titiones secum domum referunt.

Hospinianus clamitat; *morem hunc desumptum ab Ethnicis.* Sed criminationem hanc iam depuli in opere de Festis. Mirum, ni & baptisma ab Ethnicis petitum calumnietur; quia *& ipsi tingunt,* inquit Tertullianus, idque expiandi animi consilio. *Cap. 25. Tertull. lib. de præscript.*

Ad vtranq; benedictionem ignis scilicet seu noui Luminis, & Cerei spectat iste Canon Concilij Toletani IV. *Lucerna & cereus in peruigiliis Paschæ apud quasdam Ecclesias nō benedicuntur.* Vbi benedictio *lucernæ* nihil est aliud, quàm benedictio noui ignis seu luminis, cuius geminæ benedictionis vsus non erat apud omnes receptus; eam ob causam præcipit concilium, vt per omnes Hispaniæ Ecclesias recipiatur. Nihil ergo huc facit *Lucernarium*, illud, de quo Synodus Toletana prima. *Lucernarium, nisi in Ecclesia non legatur; aut si legitur in villa, præsente Episcopo, vel Presbytero, vel Diacono, legatur:* Etsi aliter mihi visum in opere de Festis: quia *Lucernarium* istud erat pars vesperarum (quæ olim initio noctis, surgente vespero seu Lucifero, canebantur,) à lucernis accensis ita appellatum; & duobus prioribus vesperarum Psalmis continebatur; quia enim duo priores Psalmi in lucernarū accensione & gratiarum actione vespertini Luminis legebantur, inde illa prima pars vespertini officij *Lucernarium* nominabatur, vt inquit Illustrissimus Toletanæ Sedis Antistes Garsias Loaisa in Notis ad Concilium primum Toletanum, probatque ex Isidoro, & aliis. Græci λυχνικὸν vocant, & Psalmos tunc decantari solitos, λυχνικὰς, quasi *lucernarios* quod continuantur, dum lucernæ accenduntur, vt videre est apud S. Epiphanium in fine operis contra Hæreses. *Canon. 9. Canon. 9.*

Clemens Romanus Psalmum ἐπιλύχνιον indigitat. *Congregabis Episcope, Ecclesiam ad vesperam, & post recitatum Psalmum Epilychniū* seu *Clem. lib. 8. Constit. cap. 35.*

seu *Lucernale edicat Diaconus, quæ precatari sunt pro catechumenis,* &c. S. Basilius appellat ἐπιλύχνιον εὐχαριστίαν; *gratiarum actionem ad lychnos accensos.* Postea vespertinæ preces, die adhuc durante, decantari cœptæ sunt, adeoq; mos iste ἐπιλύχνιος mutatus. Inde tamen mansisse videtur apud Germanos, consuetudo, vt qui, etiam priuatis in ędibus, in conclaue aliquod candelam accensam infert; hoc vel simile quid precetur. *Lucem æternã largiatur nobis Dominus.* Vel; *Lux æterna luceat nobis.*

S. Basil. lib. de spiritu sancto cap. 29.

Iam ad cereum Paschalem reuertamur; qui, vt ex Alcuino Flacco apparet, per *septem dies Neophytorum,* id est, vsq; ad Sabbatum in *Albis,* præferebatur Episcopo, imò & ipsis Neophytis; hoc enim indicari puto his Alcuini verbis. *Ducuntur quotidie ad Ecclesiam, columna cerei illuminata præcedente eos. Vnde intelligitur, ad nullos alios vsus in quibuslibet locis, eam debere accendi, nisi in recordatione luminis spiritus sancti dum itur ad Ecclesiam. Hic ordo cerei benedicendi in forensibus ciuitatibus agitur,* inquit Ordo Romanus, hoc est, extra Romam; nam in Catholica Ecclesia infra (intra) *ciuitatem Romanam, non sic benedicitur; sed mane primo, Sabbato sancto, venit Archidiaconus in Ecclesiam, & fundit ceram in vas maius, & miscitat ibidem oleum, & benedicit ceram, & ex ea fundit similitudinem Agnorum, & seruat eos in loco mundo. In Octauis verò Paschæ,* inquit Alcuinus. *dantur ipsi Agni ab Archidiacono post Missas in Ecclesia, & communionem, populo, & ex eis faciunt in domibus suis accendi incensum, & ad fumigandum in domibus suis pro quacunq;, quæ eis euenerit, necessitate.*

Alcuin. lib. de diuinis officiis.

Respexit huc Ennodius Ticinensis in benedictione prima cerei Paschalis. *In huius autem cerei luminis corpore, te, Domine, postulamus, vt supernæ benedictionis manus accommodes, & si quis hinc sumpserit, aduersus flabra ventorum, aduersus spiritus procellarum, tua iussa faciens, sit illi singulare profugium, sit murus ab hoste fidelibus.*

Idem Ennodius in secunda benedictione eiusdem Cerei. *Tu resurrectionis tuæ, quo vernat anni reuiuiscentis infantia, sumptam ex hoc* (cereo) *contra procellas, vel omnes incursus fac dimicare particulã,* &c. Vbi apertè vides, morem particulas cerei Paschalis domũ absportandi, & ad varios salutares effectus procurandos, adhibendi.

Hic mos abiit tandem in ritum consecrandi imagunculas cereas, quas à forma impressa *Agnos Dei* nominamus. De quo suo loco.

Assimile quid factitabant Patriarchæ Constantinopolitani; qui initio suæ Quadragesimæ populo thymiamata, vtique ad suffitum, distribuebant. Die autem Palmarum cruces & cereos. Tertio post die; iterum *thymiamata*. Tandem in festo Paschæ, numismata; vt docet Balsamon in propria de hoc argumento *Meleta*. *Tom. 1. Iuris Græcorom. l. b. 7.*

CAPVT XXXII.

Benedictio Cereorum in die Purificationis B. Virginis.

ALia Cereorum solennis & publica benedictio instituitur die Purificationis B. Virginis. De qua ex Beda egi in Opere de Festis. Ritus benedictionis exstat in Missali Romano. Monet Beda, morem benedicendi & gestandi cereos transiisse etiam ad alia festa Deiparæ. Quod ex Alcuino itidem cõstat, vt & ex Ordine Romano. Audi illius verba. *De hac festiuitate* (Purificationis) *& aliis festiuitatibus S. Mariæ in gestis Pontificalibus legitur, quòd Sergius Papa præceperit Litanias fieri in die præsentationis Domini in Templo. Ita enim scriptum est. Vt in diebus Annunciationis Domini, Dormitionis ac Natiuitatis sanctæ Dei Genitricis Mariæ, & S. Simeonis cum Litaniis exeant à S. Adriano, & ad S. Mariam populus occurrat. Ipsa ergo die, aurora ascendente, procedit omnis Clerus seu populus cũ Litaniis & Antiphonis ad Ecclesiam S. Adriani, exspectantes Pontificem. Ingressus Pontifex in sacrarium, induit se vestibus nigris, & clerus similiter. Post hæc accipiant omnes, singulos de manu Pontificis cereos.* *Lib. 1. c. 25. & lib. 2. cap. 3.*

Ordo Romanus benedictionem Cereorum prius exhibet: & addit, Cereos accipi *de Pontificis manu vel Æditui.* Non est tamen, quod suspiceris Sergium Cereorum hoc festo benedicendorum & gestandorum primum Auctorem fuisse; nam in *Hypapante* (sic vocant Græci hoc festum) cereos gestari consueuisse, testem habemus S. Cyrillum Hierosolymitanum, qui in Epilogo Orationis in *Hypapanten* seu *Occursum Domini* ita suos auditores hortatur. *Læti hodie lampadas ornemus. Tanquam filij lucis ceras veræ luci Christo offeramus.* Et S. Eligius Nouiomensis, qui ante Sergij tempora vixit,

 (obiit

(obiit enim, teste Sigeberto in Chronico Anno 665.) Sermonem in festo Purificationis habuit, in quo pluribus de Mysterio cereorum disserit. Nec Beda in Martyrologio 5. Idus Septembris dicit, Sergium statuisse, vt cerei benedicerentur, sed vt Litaniæ agerentur. Et quamuis vsui horum Cereorum consecratorum aliquando apud nonnullos aliquid superstitionis admisceatur, id tamen sanctitati ipsius benedictionis nihil derogat; alioqui quid saluum remanebit, cum nihil fermè sit quo improbitas hominum abuti nequeat.

Idem dico de inconditi vulgi leuitate, cũ *faces immittere certãt*
Alter in alterius crines, fumumque ciere
Ludo incomposito, & tetris nidoribus aras
Inficiunt, risuque leui delubra profanant.

Qui versus Mantuani vsque adeo placuerunt Hospiniano, vt illos in suam *Farraginem* de Festis trãscribere voluerit. Nempe propter iuuenilem quorundam petulantiam ritus sacri abrogandi erunt: Et ipsorum etiam Prædicantium Conciones tollendæ; quia non paucæ leuitates aliquando interseruntur.

CAPVT XXXIII.

De cereis S. Blasij.

Die S. Blasij Episcopi & Martyris, cui tertius dies Februarij dicatus est, offeruntur & accenduntur nonnullis in locis cerei, quos S. Blasij cereos appellant. Quæ consuetudo nata videtur ex illis, quæ in Martyrio S. Blasij commemorantur de quadam vidua, quæ S. Blasio in carcerem coniecto attulit canistrum plenum carne, fructibus & seminibus seu leguminibus, non sine cereis accensis. Cui *cum gratias egisset sanctus, & ex eis sumpsisset, ei benedixit, & mandauit dicens: Mulier, in hoc habitu perage mei commemorationem, & in domo tua non deficiet omne bonum à Deo meo. Sed & si quis te hoc modo imitans, mei peregerit commemorationem, habebit à Deo meo perpetuum donum, & benedictionem omnibus diebus vitæ suæ. Et veneranda quidem illa & beata vidua, accepto mandato à B. Martyre Blasio, Deum laudans, abiit læta in domum suam, &c.* (*Tom. 1. Surij.*)

Ibidem sub horam Martyrij ita precatus fertur S. Blasius. *Domine Deus virtutum, &c. audi me seruum tuum, & quicunque ad hanc aram tuam accesserit, & quamcunq; spinam aut os deuorauerit, aut variis fuerit vexatus morbis, aut in afflictione fuerit, aut in necessitate per-*

secu-

secutionis, imple vniuscuiusq; cordis petitionem, Domine, vt bonus & clemens. Cum hæc precatus esset, Christus descendit de cælo, & dixit ei. Omnes petitiones eorum implebo propter te. Non hæc autem solùm, sed etiam faciam, vt precatus es viduæ, & benedicam omnem domum, quæ tuam celebrat memoriam, &c.

Cum verò accepisset veneranda & pia vidua consummationem beati Martyris Blasij, celebrauit eius memoriam eo ritu, quo celebrauit in custodia: & non solum cognatis misit ex seminibus terræ benedictiones, & ex reliquis, sed omnibus amicis. Qui vicißim imitantes, rursus in eodem tempore remiserunt non solùm fideli viduæ, sed etiam omnibus suis amicis & cognatis. Vnde etiam traditum est hoc pulchrum & bonũ exemplum visus, in hodiernum diem omnibus, qui fideliter peragunt venerandam memoriam S. Martyris Blasij, cum lampadibus & hymnis, &c. Hæc in Actis S.Blasij. Hinc exstitit mos quibusdam in locis, vt die S.Blasij benedicantur *panes, vinum, fructus, semina seu legumina* contra morbos gutturis; quarum consecrationum formulæ inueniuntur in variarum Diœceseon Ritualibus, nominatim in illo, quod inscribitur, *Sacerdotale ad consuetudinem Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, aliarumque Ecclesiarum.* *Impress. Venetiis 1567.*

In nonnullis Germaniæ locis formant cereolos S. Blasij in modum scultellulæ, vocantque, S. Blasij Schüssele.

Hospinianus Caluinista, ridet illos, tanquam superstitiosissimos, qui anginæ morbo oppressi S. Blasium inuocant. Et tamen, si Caluinianus iste in periculo versaretur, ne fauces intercluderentur, forsan ad hoc medicamentum ipse etiam confugere non dedignaretur: Forsan & illos Mantuani abs se recitatos versiculos admodularetur. *Hosp. lib. de Festis.*

Adsis sancte tuis, & nos dignare clientes
Custodire: nihil nobis angina, nec vlli
Officiant morbi, tua præsentißima nobis
Sit tutela salus: tibi mitia corda fuerunt
Semper, & es solitus voces audire precantum.
——————————Tu guttura verbo
Suffocata aperis, & nos audire memento.

Etiam Iulianus Apostata oderat sanctam Crucem. Et tamen metu compulsus, hanc salutiferam armaturã arripuit. Nec desunt inter ipsos Hæreticos, qui si repentino aliquo terrore percellantur, crucem frontibus imprimant; non sine hac apprecatione. Behüt vns Gott vnd das H. Creutz.

CAPVT XXXIV.

De Benedictione imaginum cerearum, quas Agnos Dei *nominamus.*

NOn dubito, vsum harum imaginum introductum ex prisco illo more, cuius ex Alcuino & Ordine Romano capite superiore meminimus; de quo & Amalarius. Verba Ordinis Romani sunt ista. *Eadem Dominica post Albas, id est, in Octauis Paschæ,* infra (intra) *ciuitatem Romanam, dantur Agni Cerei ab Archidiacono in Ecclesia post Missam & communionem populo, & ex eis faciunt infra domos suas incensum accendi ad suffumigandum in domibus suis pro quacunq; necessitate. Similiter in suburbanis Ciuitatibus* (extra Romam) *de cereo benedicto faciunt, ad suffumigandum scilicet in domibus suis seu ponendum in agris, vel in vineis propter illusiones Diabolicas, siue contra fulgura & tonitrua.*

Amal. lib. 1. de Officiis Ecclesiast.

Ex hoc more natam existimo consuetudinem consecrandi, distribuendi & gestandi *Agnos Dei.* Sed ita, vt qui antea consecrabantur ab Archidiacono Romanæ Ecclesiæ; nunc à solo Pontifice Romano benedicantur; nec pridie Paschæ; sed Sabbato in Albis: Nec quocunque anno, sed primo sui Pontificatus anno, & postea, quolibet septennio. Nec fit benedictio ista sine chrismate.

Illustrissimus Baronius ait, Cereas istas plagunculas, ex cereo Paschali, & alia pura & candida cera admixta, olim fieri consueuisse, & recens baptizatis de collo appensas fuisse; Cum enim Gentiles infantibus suis ad auertendas fascinationes Bullas appenderint, decuisse, vt superstitione in religionem mutata, ex eiusmodi sacris ceris *Bullæ* conficerentur, quas Agni Christum præferentis imagine insignitas, regenerati in Christo gestarent. Cordis insuper imaginem in Bullis suis Gentiles ferebant; *quò* (teste Macrobio) *scilicet noscerent se esse homines, si corde præstarent.* Christiani verò Christi Agni effigiem portant, vt eius exemplo mansuetudinem & humilitatem cordis discant. Est autem bulla ornamentum pueritiæ aureum, argenteum, inauratum, vel inargentatum, vel ex alia materia, intus cauum; & rotundum; vel, vt alij dicunt, Bullæ surgenti in aqua simile.

Baronius Tom. 1. Anno Christi 58. N. 76.

Macrob. lib. 1. Saturnal. c. 6.

De antiquitate huius moris definitè pronunciare, difficile est. Si loquamur de imaginibus Agni, quæ conficiebantur & consecraban-

crabantur pridie Paschæ, antiquus sæpè censeri debet; quippe cuius Alcuinus Flaccus, & Amalarius, & Ordo Romanus meminerint. Et fortè de his Agni Iconibus intelligi debet, quod ferunt eas à Leone III. Pontifice Max. ad Carolum Magnum missas; de quo ita Andreas Frusius.

Ante octingentos fermè Leo Tertius annos,
Optimus exhibito munere testis adest.
Carolus hoc Magnus magna pietate recepit,
Thesaurum reputans cælitus esse datum.

Frus. in Carm. de Agno Dei.

Tametsi Frusius id, quod de Leone fama canit, intelligere videatur de Agni Dei imagunculis, prout posterioribus sæculis confici & benedici cœptæ sunt. Quod si verum esset, caussæ nihil suppeteret, cur altiorem originem desideraremus. Tritum est, Vrbanũ V. *Agnos Dei* misisse ad Imperatorem Constantinopolitanum, additis hisce versiculis.

Balsamus & cera munda, cum chrismatis vnda.
Conficiunt Agnum; quod munus do tibi magnum.
Fonte velut natum, per mystica sanctificatum.
Fulgura desursum depellit, & omne malignum.
Peccatum frangit, vt Christi sanguis, & angit.
Pregnans seruatur, simul & partus liberatur.
Dona refert dignis, virtutem destruit ignis,
Portatur munde, de fluctibus erigit vndæ.

Iniit autem Vrbanus V. Pontificatum Anno Domini 1362. Porro, prædicti versus continent materiam, formam, & effectum harum imaginum. Materia est cera munda & candida; balsamũ seu oleum sacrum & chrisma. Verùm hæc olim fuêre, quando vt in Cæremoniali Romano dicitur, *caram albam mollificabant cum oleo sancto & oleo chrismatis, quod superfuerat de Anno præterito.* Sed *hodie non miscentur* (inter formandum) *oleo sacro, aut sacro chrismate: sed puri & mundi* (id est, ex sola cera confecti) *præsentantur* (Agni Dei) *in capsis Papæ in Camera sua*, qui eos certo & commodo die benedicit, cuius benedictionis vna pars est immersio in aquam consecratam per preces, perque infusionem balsami & sacri chrismatis.

Forma est consecratio & benedictio, cuius verba ex Romano Cæremoniali transcripsit Hospinianus, Adeo palato eius sapuerunt; &, vt videtur, supra mel & fauum. Tribus ergo primis versiculis materia & forma comprehenditur; Reliquis effectus; qui desum-

Hosp. lib. de Festis.

desumpti sunt ex formula consecrationis, in qua petitur primò generatim, vt ab omni malo liberemur, omnique bono fruamur. Deinde speciatim enumerantur mala, à quibus nos vsu & gestatione huius Agni liberari rogat; nimirum ab omni tempestate maris & terræ, à fulmine, grandine, noxiis ventis, pluuia, terræmotu, tonitru, peste, morbo comitiali, morte improuisa, igne, insidiis, inimicorum, malorumque spirituum; denique; ab omnibus aliis periculis. Additur etiam, vt parturientibus mulieribus Deus adesse dignetur, & quauis in tentatione Dæmonis, Christi fidelibus animum viresq; addere; quibus intrepidè hostes repellant ac superét. Quia igitur experientia frequentissimè docet, ista sæpè à Deo cócedi, non sunt temerè reiiciendi, sed magna deuotione gestãdi orbiculi isti & aliis commendandi. Hæc Costerus in Institutionibus.

Nec fermè vllus effectus imaginibus Agni cerei tribuitur, qui non iam olim tributus sit vel particulis cerei Paschalis, vel Agni illius Icunculis, quæ Romæ Dominica in Albis distribuebantur. quorsum virtus valebat aduersus fulgura, fulmina & tonitrua, aduersus spiritus procellarum, Diabolicas illusiones, & quoscunque incursus. Imò pro quacunq; necessitate præsens Pharmacum censebantur, vt supra ex Amalario, Alcuino, & Ennodio audiuimus. Ea de caussa etiam in *agris & vineis* ponebantur, vt ait Amalarius. Nec in supra recitatis versiculis amplius quid imaginibus cerei Agni hoc æuo vsitatis adscribitur. Cæterum, de Dæmone per crucem ex cera benedicta confectam repulso, illustre exemplum inuenies apud Cæsarium. *Cæs. lib. 5. cap. 47.*

CAPVT XXXV.

Miracula quædam sacris Agni Dei sigillariis patrata.

LIbro secundo de vita Pij V. eiusmodi historiam prodidit Antonius Gabutius. *Non est hoc loco omittendum, quod in hoc bello* Belgico sub Albano Duce *magna omnium admiratione atq; vtinam pari hæreticorũ ad rectam fidem conuersione, diuinitus accidisse, graues auctores memoriæ mandarunt. Hispanum militem Catholicum inter alios, quos peremerunt, ab Aurantio captum, arboriq; alligatum impij milites hæretici æneorum tormentorum ictibus occidere conati, tantum abfuit, vt illum confoderent, vt ne creberrimis* qui-

quidem, ac vehementissimis ignitis globis in eum emissis vel minimùm lædere potuerint. Quo viso obstupefacti, eum vestibus exuere cœperunt, rati hominem occultis quibusdam armis communitum, quæ tormentorum vis penetrare non posset. Sed cum nihil in eo præsidij reperissent, præter sacrũ Agnum è collo pendentem ex iis, vt coniectura est, quos Pius V. primo sui Pontificatus anno de more consecrauerat, (eorum namque magnum numerum in Hispaniam, Galliam, & Belgium, præsertim militibus pro fide Catholica dimicantibus distribuendos curauerat) hoc illi detracto, primo ictu transuerberatus occubuit.

Idem Auctor lib. 6. Vt Pius V. *Omnium mentes ad Deum ritè colendum, ac suam quemq; salutem procurandam excitaret, precatorias coronas, piaculares calculos, æreas tum cruces, tum sanctorum imagines, ac cereas Agni cælestis effigies, res ad augendam piorum religionem inprimis accõmodatas, plurimas variis temporibus ritè consecrauit. Quæ res tanta pietate ac veneratione ab omnibus excipiebantur, quantam ex omni memoria recordari nemo potest. Nam etsi salutarem illam vim rebus eiusmodi diuinitus adiunctam à Pontificia potestate proficisci non ignorabãt, tamen propter singularem huius Pontificis sanctitatem nescio quomodo, ad hasce res, ab ipso potius, quàm à cæteris Pontificibus consecratas in dies magis ac magis affici, iisq; munitos, se in periculis tutiores fore existimare, iam per annos fermè XL. cùm foris, tum in Vrbe conspicimus; in quo vel ij, in quos ipse aliquando animaduerterat, admirabile studium pietatis in illum ostenderunt. Verùm neq; iis religionis instrumentis, siue etiam Pontificis sanctitati diuinæ virtutis defuit testimonium; nam cum tumescentem in Tiberim, ex alueoq; summo populi Romani cum terrore, pariq; periculo defluentem, vnus ex cereis illis orbiculis, iubente Pio, proiectus fuisset, confestim impetus aquæ resedit.* Qui plura cupit, Delrium consulat ad finem Disquisitionum Magicarum.

CAPVT XXXVI.

Refelluntur Calumniæ Hospiniani & Vergerij contra Agnos Dei.

HOspinianus, vt tantam impietatem, scilicet, lectorum oculis dilucidè repræsentet, totum modum, quo Agni cerei conficiuntur, & totam formulam, qua benedicũtur, suum in Centonem intulit; omnesq; ad tantæ blasphemiæ spectaculum conuocat; cum formula nihil contineat, nisi arden-

ardentissimas preces, quibus Ecclesia postulat, vt Deus cereis istis imagunculis suam benedictionem infundat; & ad noxia quæque auertenda ac propulsanda, idoneas reddat, idque *per virtutem passionis Iesu Christi.* Et quia in formula verbum *Baptizandi* apparet; maiusculis literis id Hospinianus exprimendum curauit: quasi ista cereorum Agnorum in aquam immersio, sit talis baptismus, qualis est baptismus hominum; cum nihil notius sit, quàm res quoque inanimes dici, *Baptizari*; quando vel in aquam immerguntur, vel aqua perfunduntur atque tinguntur.

Illa etiam benedictionis verba: *Et sicut ille Agnus, de cuius sanguine postes & superliminaria domus linebantur, immolatus, populum tuum à persecutione Ægyptiaca media nocte liberauit; & quemadmodum ille Agnus innocens tua voluntate immolatus, in ara Crucis, Iesus Christus filius protoplastum nostrum, de Diabolica potestate eripuit sic isti Agni immaculati virtutem illam accipiant, &c.* ingẽtem blasphemiam Hospinianeis naribus halant. Quapropter hanc margini notulam appingit. *Nota blasphemiam.* Vbi verò hæc blasphemia? An fieri nequit, vt sicut olim, volente Deo, sanguis ille Agni, superliminaribus illitus, populum & à percussore Angelo, & à persecutione Ægyptiaca eripuit, ita etiam nunc, Deo, tanquam principali caussa, operante, cælestes isti Agni *versutias Diabolicas & fraudes maligni spiritus* pellant, ceu instrumenta Dei? Num Deus nunc impotentior est, quàm olim? Num aptior sanguis Agni ad propulsanda mala, quàm imago cerea Agni cælestis? An non perinde est Deo, quocunque instrumento vtatur, qui ignem lanâ æquè ac ferro secare potest?

Nec illud de Christo in ara Crucis immolato quidquam impietatis continet: sensus est enim: *Quemadmodum innocens ille Agnus tua voluntate immolatus in ara Crucis, Adamum de Diabolica potestate eripuit sic,* (sed suo modo, imitatione & proportione quadam) *isti Agni immaculati virtutem illam accipiant,* vt valeant, *contra omnes Diabolicas versutias & fraudes maligni spiritus, & vt deuotè super se ferentibus, nulla tempestas præualeat, nulla aduersitas dominetur, &c.*

Cæterum isti vbicunque *voculam* SIC intuentur, statim perfectam æqualitatem somniant. Quid, si quis ita preces conciperet: *Concede nobis omnipotens Deus, vt quemadmodum tu perfectus es atque misericors; sic & nos perfecti atq; misericordes efficiamur:* an ideo blasphemiæ scelere sese obstringeret? An non ad hoc ipsum SIC, vt ita

loquar,

loquar, seu ad hanc ipsam æqualitatem, inuitat nos Christus illis verbis: *Estote perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est. Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est.*

Etiam ad versiculos frontem corrugat Hospinianus; *In iis etiam tribui Agno Dei, quæ Verbum Dei merito & sanguini Christi adscribunt nempe, quòd crimina diluat, peccatorum maculas abstergat, veniam impetret, gratiam conferat, & ab omni malo protegat ac defendat.* Respondeo; Hæc omnia tribuuntur baptismo absque vlla iniuria in merita & sanguinem Christi: quia tribuuntur illi, vt organo, quo fructus meritorum & sanguinis Christi nobis applicatur; Idem & hic cogitandum est; cum tales effectus Agno Dei adscribi audis; non enim ei adscribuntur, nisi vt instrumento Saluatoris; neque enim imago ceres quidquam præstat aut efficit, nisi virtute Passionis, sanguinis & meritorum Domini nostri Iesu Christi.

Quanquam falsum est, quod mendaciloquus præco blaterat, ex nostra vel versiculorum suprà memoratorum sententia; imaginem *Agni Dei conferre gratiam*, directè scilicet ac immediatè; Nemo asserit, aut veniam peccatis impetrare; aut peccata dimittere: grauia nimirum, & mortifera; Ita enim Prædicans intelligit. Nam venialia remittere, si asseras; nihil à ratione alienum affirmabis: non frustra namque versiculus: *Peccatum frangit*: Quod de venialibus haud ineptè acceperis. Quanquam *frangit* quoque, impediendo, ne quis in peccatum, etiam enorme, ruat: idque facit, *vt Christi sanguis* non perfecta similitudine, sed proportionali.

Vergerius, impurus Apostata, multa furiosissimè contra imagines Agni cælestis detonat: & inprimis hoc; *summam esse indignitatem, & facinus intolerandum, quòd solus Papa earum consecrandarũ potestatem sibi arroget.* Nimirum, si Pontifex Episcopo alicui aut Sacerdoti potestatem consecrandi fecisset, Vergerius libenter tale Agnum de collo suo suspendisset: A Papa & ob Papam, noluit. Quænam hæc diuerticula? Quasi verò Vergerius de Consecratore, non de ipsa consecratione, totoque adeo instituto laboret. Etiamsi S. Petrus, aut S. Paulus effigies Agni Dei consecrarent; & *Prædicantibus* gestandas mitterent, haud obsequerentur; sed amuleta à Medea quapiam ad lunam confecta potius eligerent, & certis modis appensa circumferrent. Quid verò miraris, si Pontifici quædam munia propriè competant? An oportet, vt omnia omnibus conueniant? An non vestri *Superintendentes* quædam sibi reseruarunt,

Verg. Tom. 1. suorum Operum in fine.

uarunt, vel potius arrogarunt, quæ cum minorum gentium Symmystis sibi communia esse nequaquam patiuntur?

Verùm hæc cura mitius coquit Vergerium; quam versiculus ille: *Peccatum frangit, vt Christi sanguis, & angit.* Qui Vergerio ceruicem fregisse videtur; vsq; adeo vociferatur. Audi Bacchicum boatum. *Hic cogit me zelus gloriæ Dei mei, & tanta indignitas & enormitas rei; vt exclamem: Maledictus sit Papa, qui pronunciat ceram cum Agno impresso, delere aut destruere peccatũ, vt sanguinem Christi.* Ilia ne rumpas, ô Stentor. Iam diximus, quæ, qualia, & quomodo *Agnus Dei* peccata frangat; & quo sensu accipiendum illud: *Vt Christi sanguis.* Tantum quietus esto, & parce tantis clamoribus, ne tanta contentione venam frangas; sputatorque sanguinis euadas. At morem non geris. Clamitas, quantum guttur capit. *Quid hic Theologastri, Antichristi Satellites? Franguntne isti vestri Agnus Dei ex cera adiurata confecti, peccatum, vt sanguis Christi? &c. Si hoc audetis affirmare, iam estis non homines, sed sub persona hominum ipsimet Diaboli.* Furor itaque, non ratio hæc talia proloquitur. Vociferandum est, & vociferationes contumeliis inferciendæ, vt plebeculæ Lutheranæ videaris rem magni momenti tractare. An vis, vt quæ iam dicta sunt, repetam? Agnus Dei frangit peccatum, *vt Christi sanguis*; similitudine quadam non omnimoda, sed, vt vocant, *analogica* seu *proportionali*: nec grauia; sed leuia & venialia. Num satis tibi hoc? Num iam fulminare desines?

Hospinianus sibi persuadet, & nobis etiam persuadere conatur, cerea ista iconismatia, originem ducere ex Poëta Martiali, ob sigilla, de quibus ipse in Apophoretis.

Gloria tam parui non est obscura sigilli.

Et, *Sum fragilis; sed tu, moneo, ne sperne sigillum.*

Adde, *compertum esse, Romanos Saturnaliorum festo, sigillaria, seu sigillaritia sibi inuicem* missitasse. Quis ergo amplius ambigat, cælestis Agni imagines à sigillis istis Romanorum originem duxisse? Etsi quis Hospiniano manus dare nolit, hic tali argumentationis forma cogi debebit. *Romani conuiuis suis, aliisque amicis distribuebant sigilla quædam, quæ erant paruæ imagines*, inquit Caluinista; *& præter alios, locupletem huius rei testem habemus Martialem: ergo Papa introduxit Agnos Dei ex Martiali; illo enim lecto, statim de huiusmodi cereis*

sigillis

sigillis cogitare cœpit; si Hospinianus vigilans non somniat. Quem miror, originem harum icuncularum non repetiuisse à *sigillis*, quæ Verres ex delubris Siciliæ, priuatorumque ædibus, quondam tagacium & rapacium manuum suarum euerriculo euerrit?

Mendacium est Hospinianicum, Baronium fateri, *morem faciendi & gestandi Agnos Dei, ex Ethnicismo in Ecclesiam deriuatum esse.* Quomodo ex Ethnicismo in Ecclesiam deriuari potuit; quod in Ethnicismo nunquam fuit? Num Ethnici gestarunt *Agnos Dei*, prout nunc faciunt orthodoxi? *At gestarunt Bullas.* Num illæ Bullæ *Agnus Dei* erant? *Bar. tom. 1. Anno Christi 58. n. 76.*

Obiicies: Baronius dicit: *Christianos ex Bullis Ethnicorum, quas solit. fascini auertendi caussa, appendebant, occasionem sumpsisse, vt recens baptizatos, Bullis sed sacris, insignirent; superstitione in Religionem mutata.* Ita est. Affirmat hoc Baronius, & rectè quidem. Sed istud longè aliter tinnit; quàm quod Hospinianus canit; nempe, *ritum imaginum cerearum ex Ethnicismo in Ecclesiam inuectum.* Aliud est, aliquid ab Ethnicis mutuari; aliud, aliquid instituere, cuius vmbra quædam apud Ethnicos exstabat; prius illud non fecit Ecclesia, sed posterius.

Nec dicit Baronius, prout Hospinianus mendaciter ei affingit; *rectè fieri, si quædam ex superstitione gentilitia in religionem christianam transferantur.* Nihil ex superstitione Gentilium in Ecclesiam inuehere licet; quia superstitionem inuehere non licet: sed aliquid ab Ethnicis accipere fas iusque est, quod ex genere suo, & secundum se spectatum, bonum ac salutare est: & ne longè exempla accersamus, maneamus in isto ipso, quod præ manibus nobis est: Gestare pensile ex collo amuletum, tutelæ gratia, & auertendorum periculorum caussa, illicitum non est; nec culpari iure potest; cuilibet enim ius suæ incolumitatis licitis modis defendendę competit. Cæterum gestare huiusmodi bullam, qualem ferebant Ethnici; & ea mente, & eo ad falsa numina intuitu; aliisque adiunctis superstitionibus, id idololatricum est, & nullum in locum introducẽdum, sed ex omni loco exterminandum. Si quid igitur ab Ethnicis acceptum videtur; id non vt Ethnicum, sed vt secundum se bonum; acceptam vel potius ex naturæ fontibus haustum, & in consuetu-

 dinem

dinem introductum est: vt festos dies colere, bonum est secũdum se, & ipsi naturali lumini consentaneum; At festos dies dicare Ioui, Marti, Mercurio, id malum est: nec imitandum, sed totis viribus repudiandum. Prius fecerunt Christiani, & aliquando etiam eo fine, vt recentes ab Ethnicismo nostris sacris suauius & citius assuescerent. At posterius, tanquam idololatricum, Cultores Christi perpetuò abominati sunt.

Mendacium illud Hospiniani, quod Walafridus Strabo habeat *Agnos Dei*, de quibus hîc disputamus, *pro cæremonia Iudaica*, vt Caluinista scribit, refutaui iam in Opere de Festis.

Lib. 1. cap. 27.

Porrò, vt & hoc addamus Gregorius XIII Pontif. Max. primo statim Pontificatus sui anno, *statuit & ordinauit*, *ac sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda prohibuit ac interdixit, ne quisquam siue vir, siue mulier, secularis, aut Ecclesiastici, etiam regularis Ordinis ille sit, & quocunque gradu, conditione, statu, nomine, dignitate, & honore præcellat, posthac in perpetuum Agnos Dei per Romanum Pontificem, pro tempore existentem, benedictos depingere, inficere, minio notare, vel aurum, vel colorem aliquem illis imponere, aut quidquam aliud superinducere, neq; depingi, aut miniari facere, nec illos venales proponere, seu tenere, quouis prætextu audeat: verùm eos albos & mundos, Agnum illum purum & innocentem repræsentantes, qui occisus pretiosissimo sanguine suo nos redemit, decenter ac reuerenter à cunctis haberi, deferri & custodiri præcipimus*; inquit Pontifex.

Qua sua constitutione duobus vel tribus malis Pontifex occurrit. I. Irreuerentiæ, neque enim par est, vt laica manus *Agnos Dei* iam consecratos tangat propter chrisma, quo delibuti sunt: nec apparet facilè, quomodo sine manuum contactu potuerint depingi, minioq; vel auri bracteolis insigniri, vt taceam illud ipsum irreuerentia nõ carere; quòd tales non contenti eo ornatu Agnorum, quem candido suo corpori conuenienter ab Ecclesia haberi, pigmenta externa superaddunt; quasi suppleturi, quod ab Ecclesia neglectum est.

II. Auaritiæ & turpi quæstui: nam pictores isti simul etiam institores seu nundinatores, vel nundinatorũ administri erant; istaque picturatas imagines Agni cælestis venum exponentes, magnũ lucrum faciebant; præsertim ex illorum crumenis, quibus ex errore persuasum erat, ornatiores huius generis iconas, simul etiam maiore efficacitate præditas esse.

Non

Non est tamen contra reuerentiam sacris hisce plagunculis debitam; si iniiciantur in ignem pro exstinguendo incendio, aut in aquam pro sedandis tempestatibus atque procellis: aut si brutis animantibus, seu, vt prophylactica, seu, vt therapeutica remedia appendantur; aut in ipsis etiam stabulis, tutelæ caussa; asseruentur; ad hos enim & similes vsus imagines Agni cælestis repertæ atque institutæ sunt.

In quodam tamen Prouinciali Concilio Mediolanensi, sub S. Carolo Borromæo, vetatur, teste Azorio; ne Agni benedicti imagines in agros camposue abiiciantur, aut arboribus affigantur, aut in ramis arborum suspendantur; sed præcipitur, idque ex antiquo instituto, vt in vineis agrisque adoleantur ad suffumigationem, ob imminentem tempestatem, fulgura, fulmina, incendia, & grandinis vim, aliasque Diabolicas illusiones depellendas.

Azor. tom. 1. institut. lib. 9. cap. 9. Q. 2.

Quæres. Num liceat retinere cereas Agni cælestis imagunculas, depictas contra sanctionem & prohibitionem pontificiam. Affirmat Thomas Sancius; quia Pontifex prohibet ne depingantur; postquam igitur illicitè depictæ sunt, retineri possunt; non enim ideo destrui debent: & qui huiusmodi depictam effigiem seu licitè, seu illicitè acquisiuit; iure eum retinet; nam verbum *Tenere*, in Constitutione Pontificia referri ad vocabulum VENALES, ita vt nefas sit miniatas istas icunculas *tenere* seu *retinere* ad vendendum, notat modò nominatus Sancius: vendere enim Agnos Dei coloratos & pigmentis fucatos ex Gregoriano diplomate non licet; vt nec ratione benedictionis; quia Simoniacum est. Ratione materiæ, hoc est, ceræ, id non est illicitum, quia nec calicem quidem, vt aureus vel argenteus est, vendere illicitum censetur; si iusta subsit caussa. Ita tandem ipse etiam Azorius concludit; quia Pontificia constitutio tantummodo pingere & pictas Agni imagines vendere vetat.

Sanchez lib. 2. Operis Moralis cap. 43. Num. 28.

Azor loc. cit. Q. 4.

Sed quale peccatum, si maiore Ordine non initiatus imagines istas contingat: nam ab initiato Maiore aliquo Ordine, absq; peccato tangi, in confesso est. Respõdeo, inquit Sancius, Clericis, qui Subdiaconi non sunt, non licere *Agnos Dei* tangere, quia non sola oratione Pontificis consecrati sunt; sed chrismate etiam, instar calicum, tincti. Quapropter sicut hac ratione solis Subdiaconis fas est tãgere calices, ita & *Agnos Dei*. Ita etiam Azorius, qui hoc ipsum ex Prouinciali quodam Concilio Mediolanensi ostendit.

Addit tamen vterque Auctor; laicos non grauiter peccaturos, si absque contemptu tangant; (quod multò magis dicendum de Clericis inferioris gradus) eò quòd multi affirment, etiam fœminas, corporalia & calices, absque contemptu tangentes, aut nullam culpam, aut leuissimam venialem contrahere; & Canones id prohibentes intelligi de consilio. Quare & Agnos Dei tangere inquit Sanchez, *à fortiori*, non excedet culpam venialem. Imò credo nullam esse culpam, inquit idem Auctor, eò quòd vsus obtinuerit, vt à laicis, etiam fœminis, tangantur. Qui vsus, vt sit in Hispaniis, in Germania tamen, passim Laici, quibus est aliquis pietatis sensus, cogitare videntur, sibi non minus esse illicitum ceram illam benedictam, nudis manibus cōtingere; ac tangere calicem, aut *patenam*.

Lutherus Tom. 2. Latin. Colloq. titulo *de Papistis* paucis verbis duo magna mendacia de his imaginibus effudit; quorum primum est, *Agnos Dei sacramento multum esse prælatos;* Quanquam elegantissimo Interpreti iniuriam facio, qui verba eius non retineam. Sunt autem ista: *Agnus Dei sacramento multum est prælatum.* Vide Elegantiam plusquam Atticam. Alterum mendacium: *Papa semel tantùm in vita sua consecrat.* Non est ita: Consecrat primo electionis suæ anno, & postea quolibet septēnio. *Cum sub Leone X.* inquit Lutherus, *incendio prorsus periissent Agnus Dei, dispensatum est, quò Leo rursus consecraret.* Cuius dispēsatione egebat ad hoc summus Pontifex Leo X. Quomodo fieri potuit, vt omnes per vrbem *Agni cælestis* dispersæ imagines, vno incendio interirent?

In Colloquiis Sympoſiacis Germanicis titulo *de Antichristo;* alius sensus est; quàm quē barbarus versor exhibet. Ita enim Germanica. **Das** Agnus Dei, **wie mans genennt hat/ ward vor dem Sacrament getragen/** hoc est, *Agnus Dei, prout vocabatur, ante Sacramentum portatum est.* Ibidem dicitur, *ex disputatione* euenisse, vt Leo iterum *Agnos Dei* consecraret. Quod igitur Latino barbaro translatori est *dispensatio*, hoc Germanico Aurifabro est *disputatio*, minore literarum, quàm rei significatæ variatione.

Narrat Munsterus Nouator in sua Cosmographia, Romæ Anno salutis M. D. XLIV. repertam Sacrophagum, in qua Cineres Mariæ, filiæ Stiliconis, quæ olim Honorio Imperatori nupta fuerat, vnà cū variis Cimeliis & pretiosissimis vnionibus, & quod mireris, *cum Agno Dei*; sic enim vocat Munsterus, in cuius Peripheria scriptum fuerit: *Maria nostra omnium pulcherrima.* Addit; ibidem

inuen-

inuentam laminam auream, Græcis characteribus exarata ista Angelorum nomina: *Michael, Gabriel, Raphael, Vriel;* præferentem: Sed per *Agnum Dei*, non videtur iste intelligere id, quod hodie hoc nomine significamus, ceream nempe Agni cælestis effigiem; sed vel *Agni* figuram ex auro, argento, gemmisue compactã, vel eandem in auro, argento, vel vnione quopiam sculptam siue cælatam; frequens enim erat olim hæc Agni cælestis effigies, & piis magno in vsu, pretio ac honore. Hodie etiam nonnulli sua periapta, seu amuleta, quæ vel ornatus vel tutelæ caussa de collo suspendunt, *Agnos Dei* appellitant, licet ne micam quidem consecratæ huius ceræ cõtineant, translato hoc vocabulo à re propria ad impropriam.

CAPVT XXXVII.

De benedictione nouorum fructuum.

HEbræi olim acceperunt à Deo hoc præceptum: *Decimas tuas & primitias tuas non tardabis reddere.* Alibi: *Primitias frugum terræ tuæ deferes in domũ Domini Dei tui.* Cui præcepto obtemperatum est, nõ tantum gratitudinis gratia erga Deum ob accepta beneficia; sed etiam, vt benedictionem diuinam impetrarent, vtque in consecratis primitiis omnes reliqui fructus consecrarentur, & sumentibus salutares efficerentur; & hoc Sacerdotum precibus interuenientibus, prout liquet ex Deuteronomio. *Exod. 22. Exod. 23. Deut. 26.*

Qui mos ad Christianos transiit; nam apud Clementem Romanum ista legimus. *Dabis Sacerdotibus omnes primitias torcularis & areæ, vindemiæ & messis, boum atq; ouium; vt apothecæ cellarum tuarũ penuariarum, & fructus agri tui benedictione afficiantur, vt firmeris in frumento, & vino atq; oleo, augeanturq; armenta boum tuorum, & tuarum ouium greges, &c. Dabis etiam Sacerdotibus omnes primitias panum recentium, vini ex dolio, olei, mellis, pomorum siue baccarum, vuæ, aut aliorum fructuum.* *Clem. lib. 7. cap. 30.*

Respexit huc S. Hieronymus. *Primitiæ ciborũ nostrorum Sacerdotibus offeruntur, vt nihil gustemus nouarum frugum, nisi Sacerdos antè gustauerit. Hoc autem facimus, vt reponat Sacerdos benedictionem & oblationem nostram in domo sua: siue vt ad imprecationem suam Dominus benedicat domibus nostris. Grandis dignitas Sacerdotum, sed grandis ruina eorum, si peccant. Lætemur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum.* *S. Hier. cap. 44 in Ezech.*

Viden-

Videntur autem omnes primitiæ olim oblatæ ad altare; Sacerdote sacrificante. Sed id postea vetitum Canone Quarto Apostolorum. *Offerre non liceat aliquid ad altare, præter nouas spicas & vuas, & oleum ad luminaria, & thymiama, id est, incensum, tempore, quo sancta celebratur oblatio.* Et Canone Quinto. *Reliqui fructus omnes ad domum, primitiæ Episcopo vel Presbyteris dirigantur, non offerantur in altari; Certum est autem, quod Episcopus & Presbyteri diuidant & Diaconis & reliquis Clericis.* Ita distinguo hos Canones cum veteri editione, quæ Dionysij Exigui esse dicitur. Nam Holoandri, Herueti, & Turriani distinctiones, tenebris non carent.

In vita S. Eutychiani Papę & Martyris apud Damasum seu Anastasium Bibliothecarium isthæc leguntur. *Hic constituit fruges fabæ & vuæ super altario benedici.* Constituisse dicitur, non quòd primus instituerit; sed quia veterem institutionem renouauit. Quod clarum ex prima eius Epistola ad Episcopos Bæticæ prouinciæ; vbi cum admonuisset, ne quis à maiorum traditionibus abscederet; subiungit; *Idcirco, fratres, ista prætulimus, vt hæ species quas non licet offerre super altari, iuxta Constitutionem Apostolorum, eorumq; successorum, ad domum sacerdotum deferantur, & à sacerdotibus benedicantur, & per simplicem benedictionem benedictæ, demum à populis sumantur, fabæ tantum & vuæ, & cætera, quæ Apostoli constituerunt super altare offerantur.* Hæc S. Eutychianus.

Quibus cõfirmãtur, quæ diximus de recta distinctione Canonũ Apostolicorũ; qua in sua versione vsus est Dionysius Exiguus, eumque secutus Walafridus Strabo, cui etiam Græcus textus accommodari debet: Itaq; Quarti Canonis initium sumendũ est ab illis verbis: πλὴν νέων χίδρων ἢ σταφυλῆς τῷ καιρῷ τῷ δέοντι μὴ ἐξὸν ἔστω προσάγεσθαί τι ἕτερον. Illud, πλὴν χίδρων, omisit Dionysius Exiguus, Gentianus vertit: *Noua legumina.* Turrianus, *Præterquam nouas spicas frumenti.* Rectè. Suidas, χίδρα. στάχυες νεογνεῖς, ἢ κέλυμνα. Ergo tantum quatuor istas rerum species ad altare benedictionis caussa, offerre fas erat, nouas spicas; vuas, oleum ad luminaria, & thymiama; hoc est thus, & alia Odorifera, ad incensum. Reliquæ omnes ad ædes Episcopi vel Presbyterorum deferri debebant.

Walaf. in lib. de rebus Ecclesiast. cap. 18.

In tertio autem Canone aliud vetatur, nempe, ne Episcopus, aut Sacerdos, dum sacrificium corporis & sanguinis Domini offert, offerat simul mel, aut lac; & ne vini loco accipiat siceram, *aut confecta quædam.* Ita enim reddidit Dionysius, & cũ illo Heruetus,

quod

quod Græcè est, ἢ ἐπιτηδευτὰ, sed Turrianus in sua versione Latina, vt & in Græca editione Clementis, coniungit vocabulum ἐπιτηδευτὰ, cum vocabulo σίκερα, omissa disiunctiua particula; & interpretatur. *Sicera studio confecta.* Quod rectius existimo. Vetat præterea Canon, ne aues offerantur, aut animalia, aut legumina; quia Christiana Ecclesia, præter sacrificium corporis & sanguinis Christi, nullum aliud agnoscit.

Nec verum est, quod Centuriatores dictitant: *Eutychianum Papam benedictiones leguminum & frugum instituisse*: nam ipsemet se disertè ad institutionem Apostolorum refert. Et ex Clemente Romano habemus benedictionem aquæ & olei. Si aquam & oleum Romanæ Ecclesiæ consecrare moris fuit, tempore B. Clementis, cur non & legumina & fruges nouas, cum omnis creatura per verbum Dei & orationem sanctificetur? Quanquam ex Canone Apostolorum, de quo iam disseruimus, satis liquet, etiam fructus benedici consueuisse: neque enim alio fine afferebantur ad altare, quàm benedictionis caussa. *Lib. 8. Cōstitut. Apostol.*

Porrò nouæ fruges non solum benedicuntur offerendo eas sacerdotibus in alimentum, sed etiam propriis & ad id destinatis precationibus: quarum duæ in Libro Sacramentorum S. Gregorij exstant: Altera, his verbis. *Domine sancte pater omnipotēs æterne Deus, qui cælum & terram, mare & omnia creasti, te supplices quæsumus, vt hunc fructum nouum benedicere & sanctificare digneris, & multiplicare abundanter offerentibus tibi, vt repleas eorum cellaria cum fortitudine frumenti & vini, vt lætantes in eis referant tibi Domino omnipotenti laudes & gratias.*

Altera est ista. *Oramus pietatem tuam omnipotens Deus, vt has primitias creaturæ tuæ, quas aëris & pluuiæ temperamento nutrire dignatus es, benedictionis tuæ imbre perfundas, & fructus terræ tuæ vsq; ad maturitatem perducas. Tribuas quoq; populo tuo de tuis muneribus tibi semper gratias agere, vt à fertilitate terræ esurientium animas, bonis affluentibus repleas, & egenus & pauper laudent nomen gloriæ tuæ.*

In Missali Romano talis benedictio reperitur. *Bene†dic, Domine, hos nouos fructus N. & præsta, vt qui ex eis in tuo sancto nomine vescentur, corporis & animæ salute potiantur*

Apud S. Gregorium peculiaris benedictio est *vuæ* vel * *fauæ*: sic enim inscriptio habet. *Benedic Domine, hos fructus nouos vuæ siue fauæ, quos tu Domine, per rorem cæli, & inundationem pluuiarum, &* ** faba.*

 tem-

tempora serena atq; tranquilla ad maturitatem perducere dignatus es ad percipiendum nobis cum gratiarum actione in nomine Domini nostri Iesu Christi.

Habent & Græci in suo Euchologio benedictionem primitiarum frugum, & aliam, ἐπὶ ἅλωνος, *areæ*; aliam, τῶν κολύβων, *seminum & leguminum*. Suidas. κόλυβα. σῖτος ἑψητός.

Olim Christiani fruges benedicendas ad Iudæos deferebant. Quod hoc Canone prohibitum est in Concilio Eliberitano: *Admoneri placuit possessores, vt non patiantur fructus suos, quos à Deo percipiunt, à Iudæis benedici, ne nostram irritam & infirmam faciant benedictionem. Si quis post interdictum facere vsurpauerit, penitus ab Ecclesia abiiciatur.* Res planè indigna erat, benedictionem à maledictis expetere aut expectare.

Can. 49.

Nec sancti viri nouos duntaxat fructus benedicebant, sed & tunc, cum nouitatem quodãmodo exuissent; Quare S. Malachias, Hiberniæ Episcopus, mulierem sanguinis profluuio de vita periclitantem, missis tribus benedictis pomis, ab interitu vindicauit, vt in eius vita scribit S. Bernardus. Etiam flores benedicti salutem attulerunt; Testis S. Gothardus Episcopus, de quo in Historia vitæ hoc miraculum proditum est. *Erat Goslariæ matrona, quæ grauissimis oculorum doloribus cruciabatur, ita vt per dies aliquot nec cibũ, nec potum, nec somnum capere posset; quæ filiolum suum ad Episcopum cum quibusdã munusculis misit, eumq; certiorem faciens de immodicis doloribus suis, aliquid sibi petiit ab ipso remedij adhiberi. Audiens hoc vir Dei, non sine quadam iucunditate subrisit, & flores quosdam rubicundos de quadam arbore, ei fortè eodem momento à paupere homine oblata, decerpens, eos signo Crucis muniuit, dansque eos pueruló, affer, inquit, hos flosculos dilectæ mihi matri tuæ, vt eos seruet pro mei memoria, & à Deo petat sanitatem: illa verò simul atq; flores ægris admouit oculis, vti sæpe etiam iurando coram nobis affirmauit, dolores omnes incredibili celeritate à toto capite euanescere sensit; statimque & foribus & fenestris patefactis, quæ hactenus morbi illius caussa clausæ permanserant, perspicuè vidit oculis suis, nec vllam amplius sensit in iis molestiam.* In Legibus Francicis exstat hoc mandatum. *Annuncient Presbyteri plebi publicè, vt primitias omnium frugum terræ ad benedicendum afferant, & sic postea inde manducent.*

Tom. 6. Surij.

Tom. 7. Surij.

Lib. 6. cap. 189

Vide Grat. de Consecrat. Dist. 2. Didicimus.

Inualuerat nonnullis in Ecclesiis Græcanicis consuetudo, vt vuam recentem ad altare allatam Sacerdotes cum Eucharistia miscerent,

ferent, eamque simul cum corpore & sanguine Domini populo distribuerent. Quod ne amplius fieret, vetuit Trullana Synodus, Can. 28. sub pœna depositionis. Et meritò abusus iste proscriptus est, siue Græci vuam hanc communicantibus cum specie panis, siue cum specie vini porrexerint.

Diuersus ab hoc fuit mos, de quo Balsamon ad Tertium Canonem Apostolorum, vbi ita scribit: *Nouas spicas, seu legumina* (χλόας) *dic offerri sacerdoti tanquam nouorum fructuum primitias, & vt ea ex manibus sacerdotis cum benedictione accipientes, Deo gratias agamus, qui ea nobis suppeditat, quæ ad victum nostrū cultumq; sufficiunt. Et ideo, vt est verisimile, Patriarchæ quoq; vuas offerunt in altari sacræ Ædis Blachernarum peracto sacro in festo Dormitionis* (Assumptionis) *sanctissimæ Deiparæ.* Hæc ergo vuarum ad altare oblatio, nihil erat, nisi nouarum vuarum benedictio, vel potius benedictionis procuratio.

Adiungit Balsamon, se Monasterij cuiusdam præfectum vidisse de officio deiectum, *quòd caseos & carnes ad altare intulisset;* cum ex decreto Apostolico nihil inferre liceat, præter spicas, vuas, & oleum ad luminaria; reliqua omnia ad ædes Episcopi vel Sacerdotis deportanda sint.

Quæsitum erat ex Niceta Archiepiscopo Thessalonicensi, an Sacerdos à fidelibus licitè accipere possit *ouium & boum pectuscula & coria; an etiam columbas ad mortuorum sepulchra mactare fas sit;* Respondit Nicetas: *Animalia & oues in Ecclesiis offerre, vt mactentur à Sacerdotibus, qui velut eorum portiunculam accipiant, veteri more, pectuscula & coria, item columbas ad sepulchra mortuorum sacrificare, Iudaicum omnino est, & paganicum, & correctione dignum. Sed vt animalia Sacerdotibus offerantur ab aliis siue viua, siue mactata, honoris & deuotionis caussa, præter rationem non est, sed pietate plenum, modò ne ad altare, vel intra Ecclesiam. Ideoq; pectuscula & coria allata Sacerdos omnino citra reprehensionem accipiet, &c. Quod si etiam in mortuorum commemorationibus columbæ, animalium grandiorum vice, sacerdotibus exhibentur à tenuioribus, in eorum alimoniam, non per rationem sacrificij, neque, vt ad sepulchra mactentur, hoc nemo prohibuerit: oportet enim sacerdotem ex sacerdotio ali, & à Laicis honorari, &c.*

Lib. 5. Iuris Græco Romani. p. 349.

Et quia simul quæsitum fuerat, num salem benedicere, eumque animalibus, tutelæ gratia, præbere, ipsaque etiam animalia benedictione prosequi ius esset; Respondet Nicetas; *Ratione carentia*

dignari sale, & oues ac boues ad vtilitatem tam eorum, qui inde emolumenta capiunt, quam ad sanitatem ipsorum animalium, nihil est absurdi, quin potius fidei hoc opus est. Hæc Nicetas.

Cæterum circa oblationes, quę vel fiunt, vt res benedicantur, vel quæ sacerdotibus, aliisq; Ministris Ecclesiæ in alimoniam impertiuntur, multa mutauit æui longæua vetustas, & regionum hominumque diuersitas. Videndum ergo, quid consuetudo ferat, eidemque cõuenienter agendum. Nam in Germania sub ipso Missæ sacrificio bis pecunia ad altare offertur, imo ipsi altari imponitur; solent etiam panes, farinam, oua, & aliquando etiam frumentum altari imponere, tametsi extra sacrificium Missæ, imò pullos quoque & gallinas, priusquam ministris tradant. Vbi tamen semper diligenter considerandum est, quid reuerentia Deo & sacro loco debita deposcat. Quanquam ne olim quidem vbique idem mos erat. Quocirca in Canone 40. Concilij Carthaginensis apud Balsamonem, vel quarto, in Latina editione, (vbi Concilij Africani nomen habet) statuitur, *ne quidquam pro primitiis offeratur, præter vuas & frumentum.* Permittit tamen offerri quoque *lac & mel vno die solennissimo in infantum mysterio;* quod Balsamon interpretatur, *pro infantibus; & quamuis in altari offerantur, suam tamen habeant propriam benedictionem, vt à Sacramento Dominici corporis & sanguinis distinguantur.* Hæc Canon.

Alibi aliis satius visum est hæc talia ad benedictionem oblata, extra altare, separatâ in mensa reponere, ne incruenti Sacrificij pars esse; vel illa eadem benedictione benedici viderentur, qua panis & vinum in corpus & sanguinem Domini transmutantur.

Quæsierant Monachi circa Constantinopolim degentes, *an oporteat ea, quæ in Ecclesia offeruntur, vt oblationes, panem scilicet ac vinum, sacerdotem indiscriminatim comedere, & an tãquam panem communem debeat hæc comedere; & si multa eiusmodi collecta fuerint; quid oporteat his facere?* Respondet Synodus Constantinopolitana sub Nicolao Patriarcha. *Exaltatæ oblationis fragmenta in sola Ecclesia comedi debere: donec vniuersa absumantur.* Vocat autem *exaltatæ oblationis fragmenta* panem illum, ex quo materia pro Liturgia seu Missæ sacrificio desumpta est; quemque Græci vocant ἀντίδωρον, qui sub finem Liturgiæ præsentibus, qui non communicarunt communionis loco, & benedictionis gratia distribuitur, vt suo loco diximus. Appellatur autem panis iste *oblatio exaltata*; quia ante Litur-

Apud Balsam. Comment. in Conciliorum Canones.

tur-

turgiam in processione per templum supra caput Ministri, velo tectus, circumferri solet. Hunc ergo panem, intra, non extra Ecclesiam comedendum esse synodus rescripsit: vt & hodie fit à Græcis, qui *antidorum* seu buccellas panis huius in ipso Templo comedũt; Nescio tamen, an nefas arbitrentur vel integrum vel partem *Antidori* domum deferre, idque vt benedictionem ad alios itidem deriuent.

Addit Synodus. *Quæ ex aliis supersunt*, hoc est, reliquiæ, *ex pane non exaltato, non cum lacte & caseo & piscibus, sed separatim & per se absumi debent.* Sæpe enim plus panis ad sacrificium vel pro sacrificio apparando offerebatur, quàm necesse esset. Itaque partem tantum panis oblati accipiebant; & eleuatum in disco per processionem circumferebant. Is ergo in Ecclesia comedi debebat; Reliquus etiam extra; sed separatim, non admixtis aliis esculentis. Qui honor residuis istis oblationib⁹ habetur, quòd ad sacrificium corporis & sanguinis Domini destinatæ fuerunt; eo ipso enim sanctificationem quandam induisse videntur, licet non fuerint *exaltatæ*, hoc est, in disco supra verticem Ministri per Ecclesiam circumlatę.

De vino nihil respondit Synodus expresse & exserte, de quo iam olim Theophilus Alexandrinus hoc decreto. *Quæ in sacrificij rationem offeruntur*, post ea, quæ in Sanctorum vsum (hoc est, ad vsum Eucharistiæ) *consumuntur, Clerici diuidant, & nec Catechumenus ex iis bibat vel comedat, sed solùm Clerici, & qui cum eis sunt fideles fratres.* *Quia enim altari oblata sunt*, inquit Balsamon, *& ad diuina dona*, (id est, ad corpus & sanguinem Domini) *partes ex illis sumptæ sunt, illaque sanctificatæ sunt, quomodo iis, qui sunt imperfectiores dabantur consumenda?* Nec tamen Theophilus definiuit, vbi hæc, quæ superant, comedi vel bibi debeant. Licet verò vinum, ex quo pars ad Eucharistiam conficiendam seligitur, non *exaltetur*, hoc est, in processione non circumferatur instar panis; sanctificatur tamen, eò, quòd pars ad sacrificium inde selecta sit. *Non exaltatur vinum*, inquit Balsamon, *sed solùm sanctificatur*; non peculiari aliqua benedictione; sed oblatione & destinatione illa ad sacrificium.

Apud Balsam. Comment. in Canones Concil.

Quæsiuerant iidem Monachi circa Constantinopolim; An oporteret, eos, qui ab Eucharistia sumenda prohibiti sunt, comedere *panes exaltatos*, id est, Antidorum; Respondet Synodus; *Inuenimus in vita S. Theodori Siceotæ, eos ab Antidori participatione repulsos fuisse.* Vbi Balsamon. *Quòd exaltati panis fragmentum non accipiant,*

qui diuinorum sacramentorum participes esse prohibiti sunt, actu fieri videmus. Existimo autem, quòd mulieres, etsi prohibitæ fuerint sanctis communicare, exaltati tamen panis fragmentum accipere non vetabuntur. Nam in diuersis etiam Canonibus dicit Basilius, mulieres, quæ lapsæ sunt; & propterea ecclesiasticæ excõmunicationis pœna tenentur, à sancta quidem participatione (Eucharistiæ) *arceri sed ab Ecclesiastica cõmunione,* (hoc est, à perceptione Antidori) *vt viros, non alienari, ne mala suspicio de eis oriatur, & propterea traducantur. Si itaq; non datum eis fuerit in Ecclesia panis exaltati fragmentum, cognoscetur protinus malum, propter quod sancta communione dignæ non habentur.*

Sed quia de pane exaltato tam multa diximus, adiungamus & hoc ex vita S. Theodori Siceotæ. *Cum 16 Kalend. Augusti solennis sancti Martyris Antiochi dies in eius templo celebraretur, & B. Theodorus sacrificaret, dum, vt regionis est mos, discum in sublime tolleret, vt sanctũ panem ostenderet; sanctus ipse accepti sacrificij panis super disco per se cœpit sublimis extolli, & tanquam exultans & saliens sursum deorsumque, cunctis spectantibus, ita moueri, vt omnes, qui aderamus, illius ascendentis, descendentisq; motum & sonitum videntes audientesque, admiratione & timore propter miraculum compleremur.*

CAPVT XXXVIII.

De Benedictione vini, in Festo S. Ioannis Euangelistæ.

VSitatissimum est in Germania, die S. Ioannis Euangelistæ, benedicere vinum; quod vocamus, S. Johannis Segen. *Benedictionem S. Ioannis.* Idque gustare mos, ante omnem alium potũ; Nec desunt; qui inde etiam in alia vini dolia, veneficiorum auertendorum gratia, aliquid huius consecrati vini infundant. Nec euentus pietatem proborumque exspectationem fallere solet.

Exstitit hæc consuetudo ex traditione, quæ fert, à S. Ioanne venenum sine læsione epotum. Qua de caussa maiores nostri non immeritò crediderunt; potum sibi non fore noxium, quem in honorem & cum benedictione S. Ioannis sumerent. Quocirca benedictio S. Ioannis non tantum ipso Festo S. Ioannis; sed quocunque tempore, cum amici à se mutuò digrediuntur; vsurpari consueuit; tametsi frequenter non sine abusu, vt lib. 1. dictum est.

In Romani Missali non exstat peculiaris pro hoc vino benedictio. In *Sacerdotali* quodam, quod, vt titulus habet, conformatū est ad *consuetudinem Ecclesiæ Romanæ, aliarumq; Ecclesiarum*; reperitur benedictio vini in Festo S. Ioannis; cuius posterior oratio est ista. *Deus cuius potestate B. Ioannes Euangelista potum venenosum & toxicum digessit, bene†dicere & conse†crare digneris hanc creaturam vini, vt omnium ex eo gustantium, expulso omni gustu nociuo, infuso tuæ benedictionis Mysterio, sit in terris corporis & animæ remißio criminum, & in cælis perpetua consolatio.* *Impress. Venet. 1567.*

Assimiles benedictiones leguntur in variis variarum Diœceseon Ritualibus libris; ex quibus hos effectus colligas; Orat enim Ecclesia I. Vt omnes ex hoc benedicto vino gustantes ab omni malo custodiātur. II Vt diuinæ benedictionis opulentia repleantur. III. Vt omnes mereantur in corpore & anima misericorditer exhilarari. IV. Vt ad regnum gloriæ perducantur.

Græci in suo Euchologio habent benedictionem vini; sed generalem pro quocunque tempore: quæ verbatim in latinum conuersa ita sonat. *Domine Deus noster, clemens & benigne, respice super hoc vinum, & super illos, qui ex eo degustant, & benedic illud, quemadmodum benedixisti puteum Iacob, & Natatoriam Siloë, & calicem sanctorum Apostolorum. Tu, qui in Cana Galileæ præsens adfuisti, & benedictis hydriis aquam in vinum commutasti, tuamq; gloriam sanctis tuis discipulis & Apostolis manifestasti, idem nunc quoq; sanctum Spiritū tuum emitte super hoc vinum, & benedic illud in nomine tuo sancto, quia tu es, qui benedicis, sanctificas & multiplicas omnia Christus Deus noster.*

Multa sæpè miracula patrarūt viri sancti vino benedicto; nam S. Malachias Episcopus Hiberniæ, poculo benedicto mulierem à morte liberauit, vita etiam fætui conseruata, vt saluus & incolumis in lucem ederetur, teste S. Bernardo. S. Wilibrordus, vt in eius vita scribit Alcuinus haustu benedicto insanabilem, & rabidam cuiusdam sitim exstinxit atque profligauit. Similia passim occurrunt; & nonnulla huius generis iam in recensione aliorum miraculorum capitibus superioribus commemorata sunt. *D. Bernar. in Vita S. Malachia.*

CAPVT

CAPVT XXXIX.

De benedictione Cinerum, in capite Ieiunij Quadragesimalis.

Erantiquus est ritus cinerum, exstat enim Homilia sancti Maximi Taurinensis hac inscriptione: *In die Cinerum.* At rem secus habere, inde Hospinianus monstrare conatur, quòd quatuor illos dies, qui Dominicam *Inuocauit* antecedunt, nempe ferias Quartam, Quintam, Sextam & Sabbatum, *Gregorius Magnus Quadragesimali ieiunio primus adiecerit, vt legitur* de Consecratione Dist.5.cap.*Quadragesima.* At Hospinianus solitam artem factitat. Imponit nimirum. Sed quid? Tu coniice. Nihil de quatuor istis diebus abs se Quadragesimæ additis S.Gregorius; vt intelliges ex his eius verbis: *Vt sacer numerus, quadraginta dierum adimpleatur, quem Saluator noster suo sacro ieiunio consecrauit, quatuor dies prioris hebdomadæ ad supplementum quadraginta dierum tolluntur,* (adsciscuntur, adduntur) *id est, Quarta feria, quæ caput Ieiunij subnotatur, & quinta feria sequens, & sexta, & Sabbatum. Nisi enim istos dies quatuor superioribus triginta sex adiunxerimus, quadraginta dies in abstinentia non habemus.* Vbi prorsus nihil est; quo significetur, quatuor istos dies à S.Gregorio Quadragesimæ adiectos fuisse: quia S.Gregorius tantum memorat, quid ad explendos Quadragesimæ dies fieri soleat.

S. Gregorium consecrationē & asperginem Cinerum in Ecclesiam introduxisse, affirmat Hospinianus non sine auctoritate Balæi, grauissimi scilicet testis, qui id Centuriâ primâ Scriptorum Britanniæ audacter asserit. At quis hæc Balæo reuelauit? Quis genius patefecit? Quis Scriptor docuit? Nisi Turegiensis Caluinista locupletiores testes protulerit; turpe cum suo Balæo, mendaciorum loquentissimo, exsibilabitur.

Insectatur Hospinianus ex inquinatissimo suo Naogeorgo abusus quosdam, vel potius reliquias ex Bacchanalibus, quibus nonnulli die cinerum adhuc perstrepere ac tumultuari solent. Sed, gratia Deo, multis iam locis nihil simile visitur, omnia ad pietatem & sanctitatem Quadragesimæ composita sunt. Caluinista de domesticis perfidiæ suæ primùm sollicitus sit; deinde ad *Papistarum* reformationem curæ aliquid transferat; & in id ante omnia incumbat,

cumbat, vt Leo ille æreus, quem *laniones Tigurini* die Cinerum ludicrè circumportant, otio non annuo, sed perpetuo donetur, in eius campanulam aliquam conflētur. Etsi enim istis *Cineralia* nihil minus sunt, quàm *Cineralia*, quia tamē modestiæ & quietis tam rigidi exactores sunt, decet, vt quam à nobis exigunt, ipsi prius præstent.

Græculi cuiusdam criminationes de vsu Cinerum apud Latinos, refutaui in Opere de Festis. *Lib. 1. c. 15.*

Effectus consecratorum Cinerum colligere licet ex formula Benedictionis, quæ in Missali Romano exstat. Nam I. rogat Ecclesia, vt iuuetur homo ad internam humilitatem cordis. II. vt benedictio cælestis in aspersos cinere descendat, quà seriò compungantur, & de peccatis doleant; considerantes, per peccatum hominis etiam ipsam terram maledictam fuisse, & nos omnes in cinerem & terrā redituros. III. vt hi cineres sint salubre remedium, ad assequendam remissionem peccatorum, & præmium vitæ æternæ. IV. vt detur corporis sanitas ad pœnitentiam pro peccatis agendam. V. vt anima ipsa diuinâ tutelâ protegatur. VI. vt illa à Domino impetremus, quæ ad ipsius voluntatem petimus. VII. vt in bono constanti animo perseueremus.

CAPVT XL.

De Benedictione Rosæ, in Dominica Lætare.

DOminicâ Lætare seu Mediâ Quadragesimâ benedicit summus Pontifex Rosam; cuius benedictionis formula reperitur in Cæremoniali Romano. *Et est duplex ratio,* inquit Innocentius III. Papa, *cur hac die Romanus Pontifex in hoc loco,* nempe in Basilica sanctæ Crucis in Hierusalem, *florem aureum fidelibus populis repræsentet: vna, secundum literam; altera, secundum mysterium*: vtranque rationem fusè persequitur Innocentius, vt & Durandus lib. 6. Rationalis, cap. 53. *Innocent. Serm. de Rosa.*

Addit Innocentius: *Triplex est in hoc flore* (Rosa) *materia, aurum, muscus, balsamum. Sed mediante balsamo muscus coniungitur auro; quia triplex est in Christo substātia, Deitas, corpus & anima, sed mediante anima, corpus coniungitur Deitati.* Dicitur Rosa ista triplici materia

constare; quia in benedictione balsamo inungitur, non sine adiectione musci triti: alioqui propriè ex vna duntaxat materia, nempe ex auro conficitur; Quæ semper principi alicui magni nominis & de Ecclesia Dei bene vel merito vel adhuc bene merenti dono datur, & mittitur à summo Pōtifice; quemadmodum anno M.D. XXIV. Missa est Henrico VIII. Regi Angliæ, & anno M.D.XIX. à Leone X. Friderico, Saxoniæ Duci, Electori; Patrono Lutheri, quem hoc etiam sacro munusculo à defensione Lutheri Pontifex abducere tentabat: & exstant Tomo primo Lutheri, duæ super hac re Epistolæ Leonis X. altera ad Degenhardum Pfeffingerum, Friderici Cancellarium; altera, ad Georgium Spalatinum, eiusdem Friderici Secretarium & Sacellanum: Vtraque iisdem fermè verbis concepta est. Vtriusque hoc est exordium. *Quanto affectu paternoq; amore, sacratissimam Rosam auream quotannis à Romanis Pontificibus Quarta Dominica sacratissimæ Quadragesimæ consecrari magno mysterio, & alicui ex primoribus Christianorum Regi vel Principi dicari & mitti solitam, hoc anno dilecto filio, nobili viro, Friderico Duci Saxoniæ, vtpote suorum clarissimorum progenitorum more, de nobis & sancta Apostolica Sede bene merito, vtq; posthac magis mereri possit, dicauerimus, ex dilecto filio Carolo Miltitz Nuncio, Cubiculario secreto, & familiari nostro, & quædam, quæ nos, Sedisq; prædictæ dignitatem auctoritatemq; respiciunt, deuotio plenius intelliget.* Postea hortatur Pontifex, Friderico auctor sit, vt Lutherum expellat, & tam infamis hæretici patrocino gloriam suam maiorumque suorum non contaminet. Sed surdis hæc cantata auribus, Luthero iam per Spalatinum & alios Aulicos in intima Friderici præcordia illapso; cui perpetuò hoc inculcabant, non quæri Catholicæ religionis euersionem, sed abusuum solummodo quorundam correctionem.

Schleid. lib. 4. Histor.

Luth. Tom. 1. Lat. VVitteberg.

Eiusdem Rosæ ad Fridericum missæ meminit aliquoties Lutherus in latinis Epistolis. Vt, Princeps noster Illustrissimus, *tentatur à Miltitio cum aurea Rosa.* Et; *Rosam tandem obtulit* (Miltitius) *Aldenburgi, absente Principe, quam nescio quanta pompa conatus fuerat VVittenbergam ducere.* Alibi sagaciter odoratus est Lutherus caussam missæ Rosæ ad Fridericum. *Retulit idem Doctor* (Præpositus Collerburgensis Pomeranus) *fuisse traditum* (Miltitio) *Breue Apostolicum Rosam allaturo: quo & mandaretur, vt Rosam Principi sic offerret,* vt Martinum vicissim mitteret: *fuissetq; ita progressum, nisi prudens quidam Cardinalis interuenisset; qui, lecto Breui, dixit multo stomacho:*

Tom. 1. Epist. Lat. Epist. 119. 121. Epist. 122.

machos: Puerine omnes estis, an insani, vt Monachum emere tetetis à Principe? Atq; cum mox discerpsisse manibus propriis idem Breue. Mirum, ni Lutherus Cardinali huic tam prudenti statuam in foro aut Lyceo Witebergensi erigendam curauerit; cuius tota narratio tantæ fidei, quantæ ipse, & is, quem citat, Præpositus: homo, quem natum nescires, nisi id ex Lutheri Epistola scires. Neque opus erat hæc de Luthero Romam mittendo in aliquod *Breue* coniicere; poterat id Pontifex Miltitio Nuntio suo, ore tenus mãdare; quemadmodum etiam pleraque alia mandauit, vt liquet ex Epistolis Leonis ad Spalatinum & Pfeffingerum. Et quæ probabilitas, Cardinalem lacerasse palam in omnium conspectu, Bullam Apostolicam?

Errant, qui originem consecrandæ Rosæ referunt ad Vrbanum V. cum hunc diu antegressus Innocentius III. de more hoc integrâ Homiliâ disputet; deq; Alexandro III. ex gestis eius Manuscriptis Baronius, Anno M.C.LXXVII. ista cõmemoret. *Interim vero cum turbæ multæ irruerent in eum, & ex ciuitatibus circumpositis, multitudo nobilium properaret ad eius præsentiam, vt viderent illum, & audirent, tanquam Angelum à Deo missum, dignum duxit in proxima Dominica,* Lætare Hierusalem, *ad Ecclesiam beati Marci* (Venetiis) *solennia Missarum celebraturus accedere. Indutus ergo sacris vestibus, & de consuetudine auream ferens* ROSAM, *cum Episcopis & Cardinalibus ad altare maius processit. Post Euangelicam lectionem populo Dei ex diuersis partibus cõgregato pastoraliter prædicauit. Et completis Missarum officiis*, ROSAM, *quam detulerat, Duci Venetiarum in signum gratiæ Sedis Apostolicæ contulit.*

Eiusdem moris meminit eiusdem temporis Scriptor Petrus Blesensis: *Idipsum etiam* (nempe iucunditatem & lætitiam Hierusalem) *Papa noster auream circumferendo Rosam repræsentat. Circumferendo,* inquit, quia fert ad Ecclesiam sanctæ Crucis in Hierusalem, si Romæ sit, & refert. *Blesen. Sermon. 15.*

In Notis ad quartum caput tertij libri Wilhelmi Neubrigensis, de rebus Anglicis, protulit Ioannes Picardus Epistolam, quam Alexander III. Pontifex cum Rosa aurea ad Francorum Regem misit; eam huc trãsferre placet, vt totus hic ritus magis illustretur.

Alexander Papa III. Illustri Francorum Regi. *Romanorũ Pontificum institutione noscitur processisse, quod media quadragesima, ea Dominica, qua cantatur,* Lætare Hierusalem, *consueuerunt ipsi florem aureum, non gratia temporalis elationis, propriis manibus, annua semper reuolu-*

nolutione, gestare: ea vtique in facto huiusmodi designantes, quæ tam ad decorem Ecclesiæ, quàm ad fidelium noscitur instructionem spectare. Vnde & cum nos eorundem antecessorum nostrorum vestigia subsequentes, similem florem eo die, in quo constitutum est, nuper in manibus gestaremus: non inuenimus, cui tam dignè sicut Excellentiæ tuæ florem huiusmodi debemus offerre: quem & deuotione circa Ecclesiam Dei, & nosipsos, & dignitatis honore cognoscimus præeminere.

Quia verò floris huius significantiam, tuam Celsitudinem credimus tanto libentius nostra velle expositione cognoscere: quanto te constat corde & opere diuinis obsequiis, & piis actibus feruentius inhærere: Prudẽtia regiæ serenitatis agnoscat, quod flos iste Christum Regem exprimit ac designat, qui de seipso loquitur dicens: Ego flos campi & lilium conuallium: *Aurum namq; Regem nõ immeritò dicitur denotare; cum ad hoc designandum à Magis figuraliter oblatum fuerit Saluatori; vt per hoc Rex Regum, & Dominus Dominantium monstraretur. Rubor autem, quo aurum coloratum est, & suffusum, passionem significat Redemptoris: de quo vtiq; scriptum legitur;* Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? *Et iterum:* Quare rubrum est indumentũ tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari? *Odor autem huius floris, resurrectionis eius gloriam præfigurat: vt sicut ipse primogenitus mortuorũ ex multis fratribus & resurgens à mortuis iam non possit mortis vinculis detineri: qua & mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo, in immortalitatis gloriam reparauit.*

Math. 2.

Sane huiusmodi anfractus & climata omnium scelerũ fœditate concreta tantus odor Dominicæ resurrectionis aspersit, vt nulla pars orbis alienam se ab odore illo sentiat vel expertem: sed omnes se gaudeant odore hoc suauissimo spirituales nequitias in cælestibus iam vicisse. Porro si ad ipsius Christi resurrectionem figuraliter denotandam sanctæ illæ mulieres ad sepulcrum, aromata detulerunt, suauitate redolentium vnguentorum, gloriam præsignantes: quæ vtiq; terrorem, inferis: cælis, gaudium: terris intulit suauitatem, Hæc sunt, fili in Christo charissime, quæ in flore isto noueris figurari: vt tanto acceptior apud te & gratior habeatur, quanto eum, trifaria expositione, significaris affectuosius diligere, & sincerius colere didicisti. Petimus autem & totis affectibus exoptamus, vt ille flos aureus, qui omnes Reges & Principes antecedit: imo per quem Reges regnant & prudentes describunt iustitiam, terrenum tibi regnum diuturno tempore, sua ineffabili pietate conseruet: & æternum, in illa fœlici retributione iustorum misericorditer largiatur. Hactenus Alexander.

Pro-

Profert idem Picardus ex Anonymo Auctore de Vrbano V. ista. *Præterea ad ipsum eodem mense, Romam venerunt Ioanna Regina Siciliæ, & Petrus Rex Cypri: tunc occurrit Dominica, Lætare Hierusalem, in qua consueuit dari per Papam Rosa aurea viro nobiliori tunc in curia existenti: dictam rosam dedit memoratæ Ioannæ tanquam nobiliori & excellentiori (licet vir non esset) prædicto Regi ipsam præferendo in hoc.* Subiungit Picardus etiam sequentia.

Anonymus ad S. Victoris Parisiensis Canonicus florens quadringentos ab hinc annos, in Sermone habito, eodem Dominico de Fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum: sicut sol, *dicit: sicut Christus, qui est sol iustitiæ; sol, qui illuminat tenebras nostras. Huius fulgoris similitudinē tunc gestabimus, si tamen ipsum Christū, id est, ipsius conformitatem & imaginem in operibus nostris, dum sumus in corpore, gestare voluerimus, quod incessanter agere debemus, si ad hebdomadæ quartæ lætitiam desideramus peruenire. In huius rei figuram hodie Dominus Papa gestat rosam auream, &c.*

Effectus, quos Ecclesia petit à Deo in consecratione Rosæ, indicat hæc benedictionis formula. *Deus, cuius verbo & potentia facta sunt omnia, & cuius nutu vniuersa diriguntur, qui es lætitia & gaudium omnium fidelium; maiestatem tuam suppliciter exoramus, vt hanc Rosam odore visuq; gratissimam, quam hodierna die in signum spiritualis lætitiæ gestamus, bene✝dicere & sancti✝ficare tua pietate digneris, vt plebs tibi dicata, ex iugo Babylonicæ captiuitatis educta, per vnigeniti filij tui gratiam, qui est gloria & exultatio plebis Israel, illius Hierusalem, quæ sursum est mater nostra, sinceris cordibus gaudium repræsentet, & cuius ad honorem nominis tui, Ecclesia tua hoc signo hodie exultat & gaudet, tu ei Domine verum & perfectum gaudium largiaris, & deuotionem eius accipiens peccata dimittas, fide repleas, indulgentia foueas, misericordia protegas, aduersa destruas, prospera cuncta concedas, quatenus per fructum boni operis in odorem vnguentorum illius floris transeat, qui de radice Iesse productus, flos campi & lilium conuallium mystice prædicatur, cum quo in superna gloria cum sanctis omnibus sine fine lætetur.*

CAPVT XLI.

De benedictione Palmarum.

DOminicâ Palmarum benedicuntur in Ecclesia Catholica Palmæ, & aliarum arborum rami, vel ramusculi. Neque enim simpliciter necessarium est, vt materia huius benedictionis sint *Palmæ*, cum Palmæ non crescant vbique; neque etiam ex locis vbi nascuntur, in omnia alia importari possint: & qui ritui huic occasionem dederunt, Christo Hierosolymam triumphatoris specie ingrediente, *cedebant ramos de arboribus, & sternebant in via. Ramos* dicit absolutè, non *Palmas*. Quanquam illi, qui Christo ex vrbe obuiam iêre, ἔλαβον τὰ βαΐα τῶν φοινίκων. *Acceperunt ramos Palmarum*, vt ait S. Ioannes. Quocirca omnes frondes idonea sunt huius consecrationis materia. Græci quoque, teste Balsamone, non tantum ramos Palmarum, sed & myrteos dic τῶν βαΐων, benedicebant, distribuebant, circumferebant. Nam Festum Palmarum nominant ipsi ἑορτὴν τῶν βαΐων, vel sine adiuncto: βαϊφόρον. βαΐα Græco sermone dici *Palmas* seu *ramos Palmarum* tradit S. Hieronymus in cap. 8. Ezechielis. Idem S. Hieronymus contra Iouinianum ex Chæremone Stoico de vita antiquorum Ægypti Sacerdotum. *Cubile eis de foliis Palmarum quas Baias vocant, contextum erat.* Hesychius in Lexico: βαΐς, ῥάβδος φοίνικος καὶ βαΐων. *Bais & ramus Palmæ & Baiorum.*

Matth. 19.

Ioan. 12.

De Origine & Etymologia vocis *Baïa*, prorsus ineptit Balsamon in Epistola quadam de Thymiamatibus seu incensis, vt ostedi in Facula Georgio Codino accensa. Quò Lectorem ablego. Nec Meursius in lexico suo Græcobarbaro scopum veritatis attigit, cum ait; βαΐα, *vocari dona, quæ ab Imperatore & Patriarcha quotannis distribuebantur septimanâ, quæ ante diem Palmarum, vnde & nomen.* Non est ita. Baïa distinguebantur à muneribus aureis, argenteis, & ab aliis id genus, quæ Imperator Aulicis suis distribuebat: cuius distributionis luculentum exemplum commemorauimus in *Facula* ex Luitprando Ticinensi. Omnia quidem βαΐα, erant dona; sed non omnia dona, βαΐα. Testatur id apertè Balsamon. *Imperatores annuis Rogis seu* erogationibus & largitionibus munerum, pecuniarum scilicet & vestium, *miscebant baia; argento putà vel auro exornata. Quippe congratulabantur iis, qui hæc consequebantur, velut Orthodoxis erga Deum; & in principes beneuolis.* Vbi *Rogæ* seu *dona*, & baia

Tom. 1. Iuris Græco-Romani lib. 7.

Luitpr. lib. 3. cap. 5.

baia expressè discriminantur; vt & sequentibus verbis eiusdem Balsamonis. ἐπεὶ δὲ τῶν μὲν βασιλέων αἱ ῥόγαι καὶ τῶν βαίων τὰ ἄνθη τὰ τούτοις συναναπέμποντα, πρὸ χρόνων ἐσχόλασαν. &c. *Postquam Imperatorum dona, & cum his simul Baiorum exorti flores, iam pridem desierunt, &c.*

Nec verum est βαΐον generatim pro omni dono accipi in illo Palladij loco. βαΐα ὀλίγα παρὰ τοῦ πρεσβυτέρου αἰτησάμενος τοῖς ζώοις ζώνας ἐσχεδίαζε; nam βαΐα hoc loco ramos seu frondes palmarum annotant; ex his enim texebat ille Eremi incola Ioannes cingula pro animalibus. Rectè ergo Interpres Palladij. *Cum paucos palmæ ramos petisset à Presbytero, efficiebat cingula animalibus, &c.* Ait Meursius, *Rogas & Baia non tantum data circa Festum Palmarum, sed & in aliis Festis;* profertque Cedreni locum de Iustiniano Rhinotmeto, qui Apsimari & Leontij inuasorum Imperij, ἱππικοῦ γενομένου, *circensibus ludis*, colla calcauit, populo ἄχρις ἀπολύσεως τοῦ πρώτου βαΐου, vsq; ad finem primi Baij, *acclamante; super aspidem & Basiliscum ambulabis, &c.* Vbi Meursius existimat βαΐον esse *Rogam*, seu munerum erogationem; & Rhinotmetum calcasse vtriusque Tyranni colla, donec prima *Roga* finiretur; vel, populum accinuisse illud: *super aspidem, &c.* donec prima *Roga* absolueretur. Quod secus habet: significat enim primam partem ludorum; quam βαΐον vocat, quia ad singulas decursiones certantium ramo signum dabatur; quod rectè vidit & annotauit Interpres Cedreni, quem proinde Meursius immeritò erroris arguit. Dicit ergo Cedrenus, Rhinotmetum calcasse colla tyrannorum, donec prima decursio terminaretur; vel populum eo vsque acclamasse illud: *super aspidem & Basiliscum, &c.* Nam textus Cedreni vtrunque sensum admittit. Et quamuis mappâ vel tubâ plerunq; signum daretur ad cursum, nil tamen obstat, quo minus etiam ramos ad id adhiberi potuisse existimemus, cũ ad indicium faciendum æquè idonei sint, ac mappæ. *Pallad. Histor. Laus. cap. 56.*

Formula benedicendi Ramos Palmarum, aliarumque arborum exstat in Missali Romano. In Indice Euchologij etiam hæc inscriptio legitur. εὐχὴ εἰς τὸ εὐλογῆσαι τὰ βαΐα τῇ κυριακῇ τῶν βαΐων. *Oratio pro benedicendis Baiis seu Palmis, Dominica Palmarum.* Sed nescio qua ratione fiat, vt postea in ipso Euchologio benedictio hæc non appareat. Egi de hoc Festo iam alibi; & quomodo in Aula Constantinopolitana celebraretur, ex Codino demonstraui; refutatis etiam Hospiniani calumniis; qui obstrepit, *Festum hoc non esse vetus;* *Impress. Venet. 1600.* *Lib. 1. de Process. cap. 18.*

vetus: neq; Dominicam hanc à Palmis nomen adeptam esse, nisi sequentibus aliquot sæculis post Christum natum. Dic ergo, quæso te, quando Palmarum solennitas cœpit? Quando Dominicæ huic benedictio & circumgestatio Palmarum accessit? Ais, *id factum circa Annum Domini CCCC.LV.* At quo Auctore hoc affirmas? Ais, *hoc tempore demum festi huius mentionem fieri: non esse igitur antiquius.* Consecutio ista elumbis est; quia potest aliquid vsu teri, cuius tamen in literarum monumentis aut nulla, aut non nisi sera mentio fiat. Exstat Homilia S. Maximi, cui adscriptus Titulus; *In Dominica Palmarum.* Caluinista oggrunnit, *inscriptionem hanc esse suppositiam.* Credamus & cedamus; quia quando supponebatur, Hospinianus coram aderat, & oculis suis imposturam hanc videbat. At in contextu & decursu Homiliæ istius, nihil de Palmarum cæremonia disseritur, sed Thema illud ex Psalmo, *Deus Deus respice in me, &c.* Solummodo explicatur. An ideo non habitus est sermo ille, *in Dominica Palmarum.* Quid si quis hodie in Dominica Palmarum concionetur ad populum de sacrosancta Eucharistia, aut Passione Christi, an ideo verum non erit, hunc Sermonem *Dominicâ Palmarum* pronũciatum esse? Vtique verum erit: quia Tituli tales non sunt indices materiæ seu argumenti, sed temporis.

Polyd lib. 6. de rerum Inuent. cat. 8.

Insilit Caluinista in Polydorum Vergilium, quòd scripsit, *Dominicam Palmarum, vt & alios dies festos multos ab Apostolis institutos & ordinatos fuisse.* Non immeritò istud Polydorus; quia conuenienter regulæ illi, ex S. Augustino petitæ; vt scilicet in Ecclesia id, cuius Origo nescitur, neque plenariis Conciliis introductum est, non nisi ad Apostolicam originem reuocetur.

Miror, Hospinianum se continere potuisse, quo minus circumgestationem Palmarum ad Græcorum *Oschophoria*, tanquam ad primum principium, referret: nam hoc faciendo, nihil à more suo alienum fecisset. Sed non ausus fuit; Apertior enim est huius ritus origo, quàm vt vllis Caluinianis tenebris obscurari possit: nã euidenter constat; morem hunc fluxisse ab illis, qui ex arboribus ramos cædebant, eosque in via, qua transiturus erat Christus, sternebant; & ab illis, qui, audito Saluatoris aduentu, eidem, acceptis Palmarum ramis, obuiam processerunt. Quos *Oschophoria*, seu *Ramalia* Græcorum imitari voluisse, afferat, si lubet, Caluinicola; qui versibus planè asininis ex suo Naogeorgo transcriptis, irridet imagines asini, & Christi insidentis. Sed Sannioni Iconoclastico nihil

prom-

promptius ac facilius est, quàm *subsannare*, & contra ritus Ecclesiasticos ruditer rudere.

Si quis & hos asinos putet, haud errauerit ille;

vt & ego Naogeorgicum versiculum vsurpem.

Subsannasset proculdubio ipsum etiam Christum, si præsens villi asello insidẽtem conspexisset; nec magis indignationem suam contra turbas præeuntes & subeuntes, & contra pueros in Templo clamantes; *Osanna filio Dauid*; continuisset, quàm principes Sacerdotũ & Scribæ: siue Osanna idem sit, quod, *Ramos filio Dauid*; portamus nimirum, siue, sit, *serua quæso*; *filio Dauid*: hoc precamur, scilicet, vt sit oratio Elliptica; vel sine Ellipsi; *serua quæso filium Dauid*; Nam & verbum à quo *Hosanna* descendit, cum tertio casu apud Hebræos construi; iam pridem viri docti monuerunt.

Pulchrè de Machabæis, & qui cum illis, Auctor libri secundi Machabæorum, cum Templum à gentibus contaminatum expurgarent; & encænia agerent; *propter quod thyrsos, & ramos virides præferebant ei, qui prosperauit mundare locum suum*: in honorem nimirum Dei, qui prosperos successus concesserat; ramos illos gestabant, quos si laurei essent, αἰσάκους appellant, Hesychius in Lexico αἴσακος ὁ τῆς δάφνης κλάδος, ὃν κατέχοντες ὕμνουν τοὺς θεούς. *Æsacus lauri ramus, quem manu gestantes, Deos celebrabant.*

Quomodo S. Vdalricus Episcopus Augustanus Festum Palmarum obire & celebrare consueuerit, his verbis exponit Auctor incertus, qui res ab ipso gestas literis mandauit, *Hoc modo dies* Quadragesimæ expleuit, vsque in diem Indulgentiæ, quem dicunt Pascha Palmarum; (obserua nomina huius Dominicæ) *eo die mane diluculo ad S. Afram veniebat. si in præterita nocte ibi non manebat, Missam de sancta Trinitate cantabat, & ramos Palmarum diuersarumque frondium benedicebat, Euangelioque & Crucibus & fanonibus*, (fanen Germanicum; vexilla) *& cum effigie sedentis Domini super asinum, cũ Clericis & multitudine populi ramos Palmarum in manibus portantis, & cum cantationibus ad honorem eiusdem diei compositis, & cum magno decore pergebat, vsque ad collem, qui dicitur Perleich* (Hodie Perlach seu Perle) *ibiq; obuiam ei veniebat chorus Canonicorum cum pulchritudine magna, & cum ciuibus, qui in Ciuitate remanserant, & qui de oppidis circumiacentibus ipsis se iungere voluerunt; ibi ad imitandum humilitatem puerorum cæterorumq; populorum, ramis Palmarum & vestimentis suis viam sternebãt.* Hæc Auctor ille; vbi vides cæremonias, Cap. 4.

quæ hodie Dominicâ Palmarum vſurpatur; à S. Vdalrico ante ſeptingentos annos, vſurpatas fuiſſe, abſque vlla vllius reprehenſione aut ſugillatione. Nec mirum; necdum enim Volcij, Rulichij, & id genus alij nouorum Dæmoniorum præcones ac fidicines Auguſtam, aliáque loca inſederant & infecerant.

Ex benedictione Palmarum ſeu Ramorum, quibus Eccleſia vtitur, ſequentes effectus colliguntur: nam Deus rogatur, vt geſtantes hos ramos. I. Accipiant benedictionem mentis & corporis in ſalutis remedium, & ad gratiam diuinam obtinendam. II. Vt ſicut rami virentibus ſunt foliis, ita frondeant opera noſtra virore iuſtitiæ, & variarum virtutũ pulchritudine. III. Vt ſicut Hebræorum populus Chriſto his ramis occurrit, & cum ipſo in ciuitatem Hieruſalem intrauit, ita nos bonis operibus inſtructi, Domino obuiam procedamus, eiuſque veſtigia ſequẽtes, per ipſum & cum ipſo in cæleſtem Hieruſalem admittamur. IV. Vt ſicut Chriſtus de hoſte per paſſionem ſuam triumphauit; ita & nos ſæpe hoc opus miſericordiæ animo voluentes, amore Chriſti accendamur ad pugnam, & ad victoriam de Dæmone, carne & mundo referendam. V. Vt in quemcunque locum importati fuerint hi rami, habitatores Benedictionem Dei conſequantur, & omni aduerſitate fugata, dextera Dei protegantur. Valent ergo etiam contra fulmina, fulgura & tempeſtates, & contra quaſlibet Cacodæmonis in perniciem humanam machinationes.

Nec ſilendus hoc loco mos quarundam Diœceſeon, quibus ſolenne in Aſſumptæ Deiparæ feſto frondes vel potius frutices, herbas & flores conſecrare. Vnde ipſi feſto apud vulgus appellatio. Vnſer Frawen Kräuterweihe. Nec ferè huius benedictionis alij fines ſunt & effectus, quàm conſecrationis *Ramorum* Dominica in Palmis.

Legimus Palmas, etiam extra feſtum Palmarum benedictas, muneris loco à Pontificibus Romanis ad Principes miſſas fuiſſe; id enim fecit Ioannes VIII. donans Carolo Caluo Imperatori huiuſmodi Palmam; de qua ipſemet Ioannes. *Inter cætera, quæ vera creſcente religione ab olim Eccleſiaſtica facta veſtræ pietati duximus intimanda, virentium palmarum ecce brauium mittimus, quod Apoſtolus non omnes, qui currunt, ſed vnum propter vnitatem legitimè certantium accipere proteſtatur, &c. Ad extremum quaſi non hodieq; manui veſtræ, ſpeciali voto & prærogatiua plenam benedictione Palmam, ſicut & cer-* (Ioan. epiſt. 32.)

nitis,

nitis, destinemus, aduersus visibiles hostes & inuisibiles triumphantem; optantes enim vos de cunctis aduersariis triumphare, nihil aptius vobis, quàm Ramos Palmarum duximus offerendum, &c.

Idem Ioannes ad Carolum Crassum Imp. *Honorificentiæ vestræ cum benedictione Apostolica Palmam, per quam signum datur victoriæ, ecce ex more direximus, exoptantes omnipotentemq; Deum deprecantes, vt hanc cum lætitia vos in die tantæ solennitatis gestare faciat atq; permittat.* Hæc Ioannes Papa. *Epist. 269.*

Pulchrè Dorotheus Abbas monet, vt & nos Domino cum palmis & ramis oliuarum obuiam eamus. *Quid vero est illi occurrere cum palmis & ramis oliuarum? Moris est, cum quis à bello redierit, profligatis hostibus, & in fugam versis, vt suorum quisque ei cum palmis & ramis oliuarum occurrat; victoriæ namque signum, palma est. Item si aliquis iniuria affectus, ad vindictam & vltionem suam exire voluerit, oliuarum ramos præmittit, clamitans, vt sui omnes misereantur & opem ferant; oliua enim misericordiæ signum est: sic & nos Domino nostro Christo occurramus cum Palmis, vt victori; vicit enim ipse hostem nostrũ; cum ramis autem oliuarũ, vt ab eo misericordiam impetremus; vt quemadmodum ille pro nobis pugnauit, & vicit, ita & nos per ipsum victores esse possimus, portemusq; pendentia collo, non solum ob victoriam, qua ille pro nobis vicit, sed etiam ob eam, qua & nos per ipsum vicimus.* *Doroth. Doct. 15.*

CAPVT XLII.

De benedictione Agni Paschalis; seu carnium, ouorum, lactis & mellis in festo Paschæ.

SOlent fideles, veteri & laudabili more, post abstinẽtiam à carnibus per dies Quadragesimæ, priusquam alias carnes gustẽt; sumere aliquid de carnibus benedictis; quas benedicendas sacerdoti in ipsa Resurrectionis solennitate offerunt; alij quidem integrum Agnum, vnum vel plures; alij alias carnes pro copia & arbitratu cuiusque. Exstat quidem in Missali Romano, Titulus eiusmodi: *Benedictio Agni Paschalis.* Verùm ipsa benedictio non facit mentionẽ *Agni*; sed generatim carnium, quales quales illæ. In Ordine tamen Romano, *de diuinis Officiis,* qui

liber antiquissimus est; reperitur peculiaris benedictio *Agni Paschalis*; & alia aliarum carnium, in qua etiam *ouium mundarum* fit mentio.

Romana formula, qua Ecclesia hodie vtitur, generalis est, vt dixi, hoc verborum contextu. *Deus, qui per famulum tuum Moysen in liberatione populi tui de Ægypto Agnum occidi iussisti in similitudinem Domini nostri Iesu Christi, & vtrosque postes domorum de sanguine eiusdem Agni perungi praecepisti, ita bene† dicere, & sancti† ficare digneris hanc creaturam carnis, quam nos famuli tui ad laudem tuam sumere desideramus per resurrectionem eiusdem Domini nostri Iesu Christi, qui tecum viuit & regnat in saecula saeculorum, Amen.*

VValaf. lib. de rebus Ecclesiast. c. 18. Non placebat Walafrido Straboni hic mos consecrandi *Agnum*, quòd iudicio illius, Iudaicum quid resiperet, & à Sacramentis Christianae perfectionis abhorrere videretur. Ex cuius Auctoris verbis Hospinianus Caluinista occasionē sumpsit, tametsi immeritò; cudendi immane mendacium de cereis illis imagunculis, *Lib. 1. c. 27.* quas vulgò *Agnos Dei* nominamus, vt ostendi in Opere de Festis.

Omisso iam Caluinicola, necesse non est, vt vnius Walafradi sensui plus tribuamus, quàm aliorum, qui nihil Iudaismi hîc deprehenderunt; cum *Agnus* iste alio fine non benedicatur, quàm vt eius esus comedentibus in salutem corporis & animae cedat, idque largiente illo, qui per Agnum illum legalem & typicum praemon- *Vide Durand. lib. 6. Rationalis cap. 86.* stratus, & praesignificatus est: quique toties in sacris literis Agnus appellatur, & cum Agno comparatur. Si alias carnes benedicere licet, cur non & agninas? Si in frusta concisas ritè consecramus, cur non & integras? Quid impedimēti habet Agniculus integer, quo minus per verbum Dei & orationem sanctificetur, quemadmodū aliae creaturae Dei? Nec Christiani Agnellum illum manducant illis caeremoniis, quibus olim Iudaei suum, vt notum est, nec venturi Messiae imaginem esse volunt; quippe qui eum iam venisse probè norint.

Walafridus ergo frustrà in illo ritu Iudaismum latitare censuit; quia alio fine benedictio Agni, vel aliarum carnium non fit, quàm vt Christiani esum carnium cum benedictione resumant. Qua de caussa eodem festo benedicuntur oua; his verbis in Missali Romano. *Subueniat, quaesumus, Domine tuae bene† dictionis gratia huic ouorum creaturae, vt cibus salubris fiat fidelibus tuis in tuarum gratiarū actione sumentibus, ob resurrectionem Domini nostri Iesu Christi.* In quibusdam

busdam locis benedicitur etiam lac & mel, inquit Durandus, & exstat Formula benedictionis in *Ordine Romano*; sicuti etiam pridie, hoc est, in Sabbato Paschæ, formula benedictionis casei; quia veteres ab ouis, lacte, melle, & caseo per Quadragesimam religiosè abstinebant. Quamobrem cum benedictione harum creaturarum vsum & esum repetere volebant. Auctor incertus de S. Vdalrici, præsulis Augustani prandio in die Paschæ. *Sanctificato cibo* (per benedictionem mensæ) *carnes Agni & particulas lardi inter Missarum solennia benedicti omnibus dispensauit, & tunc demum cibum cum iis omni gaudio sumpsit.* *Durand. lib. 6. Ration. c. 86.* *Cap. 4.*

Ad calcem Manuelis Calecæ adiunctus est Catalogus quidam Græcanicarum cæremoniarum contra Latinos; in quibus hæc etiam ingeritur. *Dominicâ Paschæ Agnum mactant & assant, altarique inferunt, & mensæ imponunt, dum Missa celebratur. Qua finita, carnes quidem Agni comedunt; ossa autem comburunt, & cineres toto anno asseruant iisque aspergunt, quos volunt, sanctificationis gratia.* Quid Agnum mactatum & assatum carpis? An non & Græci suo in Euchologio habent, εὐχὴν εἰς τὸ εὐλογῆσαι ἐδέσματα κρεῶν τῇ μεγάλῃ καὶ ἁγίᾳ κυριακῇ τοῦ πάσχα. *Precationem pro benedicendis edulis carnium in magna & sancta* Dominica *Paschæ*? An non in Latinum translata sic verbatim sonat? *Respice Iesu Christe ad hæc edulia carnium & sanctifica illa, quemadmodum sanctificasti Agnum, quem tibi obtulit fidelis Abraham, & Agnum, quem Abel tibi immolauit, in holocaustum; similiter vt & vitulum saginatum, quem mactari iußisti filio tuo errabundo, iterumque ad te reuerso, ita, vt quemadmodum ipsum de tua gratia participare dignatus es; ita etiam nos omnes fruamur sanctificatis & benedictis à te alimentis; Tu enim es verus cibus, & dator bonorum, & tibi gloriam rependimus, Patri & Filio, & Spiritui sancto.*

Sed Græculus ille Momulus, quisquis fuit, ea, quæ Nicon Armenis tribuit, ad Latinos fide non satis bona transtulit. De Armenis ita Nicon. *Agnum magno Dominico* (Paschæ) *sacrificant, & limina inungunt* (Num hoc Latini factitant?) *& ossa comburentes, seruant cinerem cũ sanguine in signũ expiationis, & velum ante altare statuũt, & tintinnabula ipsi & altari appendunt.* Nihil horum Latini. Multò minus oues & boues sacrificant pro mortuis, nec priusquam hæc animantia mactent ac immolent; eisdem salem benedictum in pabulum præbent; nec super eorum capita certas precationes fundunt. Quæ omnia Armenis in vsu erant, si Niconi credimus. Exstat

ſtat in eodem Euchologio pro eodem feſto benedictio caſei & ouorum.

Porrò quòd oſſa Agni benedicti, vt & aliarum carnium, non proiiciuntur canibus deuoranda; id reuerentiæ argumentum eſt; & cõſentaneum illi Saluatoris monito: *Nolite ſanctum dare canibus.* Nec probandi, multò minus laudandi, qui ſecus agunt: Nam benedicta religioſè tractare oportet. Hinc piè faciunt, qui etiam ouorum conſecratorum putamina aut comburunt, aut ſaltem ad quiſquilias non amandant: Et oſſa iure vertuntur in cineres; quos ſi nonnulli reuerenter aſſeruant, & pro benedictione diſtribuunt, nihil à pietate alienum faciunt. Nam ſi cinis vitulę aſperſus populos ſanctificabat; cur nõ & cinis rerum conſecratarum efficaciam aliquam de accepta in integris rebus benedictione retineret?

Ait Caluiniſta Hoſpinianus in ſuo Centone de Feſtis; *Papiſtas arbitrari in Paſchali ſolennitate nihil eſſe comedendum, quod à ſacerdote non ſit prius benedictum.* Quam Pſeudologiam refutaui in Opere de Feſtis. Nec poteſt ſe Caluinicola tueri auctoritate Durandi; cuius hæc ſunt verba: *In hac ſancta die nihil, quod à Sacerdote non ſit benedictum; comedere debemus. Vnde in quibuſdam locis, quæcunq; comedi debent ad Eccleſiam portantur, & in atrio vel veſtibulo Eccleſiæ, cum cruce & aqua benedicta, & in veſtibus ſacris à ſacerdote benedicuntur.* Vbi non dicit, quid fiat; ſed quid fieri debeat, nec explicat communem omnium catholicorum ſenſum, ſed ſuum, & quorũdam locorum particularium, vbi moris erat omnes cibos illo die edendos ad Eccleſiam deferre.

Lib. 1. c. 26.

Durand. ſup. loc. cit.

CAPVT XLIIII.

De benedictione ſponſi & ſponſæ.

SPonſo & ſponſæ benedictionem impertiri antiquiſſimus mos eſt, vt conſtat ex Epiſtola prima S. Euariſti Papæ & Martyris ad omnes Epiſcopos Africanos. Ex qua partem ſuum in Decretum intulit Gratianus; vt & alij Canonum collectores. Eiuſdem meminit etiam Hormiſda & Nicolaus primus, ſummi Pontifices, & Concilium Carthaginenſe; cuius eſt hoc Decretum. *Sponſus & ſponſa cum benedicendi ſunt à Sacerdote, à Parentibus ſuis vel à Paranymphis offerantur. Qui cum acceperint benedictio-*

c. 30. Q. 5. cap. Aliter.
3. Q. 5. Nullus
Ibid. Noſtrates.
Ibid Sponſus.

dictionem, eadem nocte pro reuerentia ipsius benedictionis in virginitate permaneant.

Formula benedictionis non est vbiq; eadem, si verba spectes; est tamen eadẽ, si sensum spectemus: omnes enim precantur sponsis vberem à Deo gratiam, fæcunditatem, concordiam, pacem, mutuum amorem, & id genus alia.

Sed videndum, quibus danda benedictio, & à quibus. Certi & explorati Iuris est, impertiendũ esse benedictionem primis vtrinque nuptiis, hoc est, si tam vir, quàm mulier iam tum primum coniugio se deuinciant, & eo vsq; cælibem vitam duxerint, vel saltem duxisse existimentur. Æquè certum est, secundas nuptias non esse benedicendas, si sint nuptiæ secundæ ex parte vtriusque contrahentis, iamque in primis nuptiis benedictionem acceperint: Tametsi nec benedici debent, si sint nuptię secundæ ex parte viri tantum; non autem mulieris; vel vice versa; ex parte mulieris, non autem viri; quod statui videtur in Cap. *Vir autem*, Extr. De *Secundis Nuptiis*. Quamuis hac in re seruanda sit consuetudo, si quæ in contrarium exstet; vt exstare apparet ex Thoma Sanchez lib. 7. de Matrim. Disp. 82. Hoc enim casu alicubi benedicitur illa persona, quæ benedictionem nunquam accepit; alicubi vtraque. Nec doctores consentiunt. Nihilominus non dubito contrahẽtes, etiam vtrunque, licitè benedici, quando transeunt ad secundas nuptias, si in nuptiis primis non acceperint benedictionem, vt fit, quando aliqui in hæresi contraxerunt, & postea cõuersi, mortuo priore coniuge, ad secundas nuptias commigrant: quia Prædicantium Lutheranorum vel Caluinianorum benedictio, si quam adhibent, potius maledictio censenda est. Ita etiam Ignatius Lopez in practica Criminali Canonica. Vbi absolutè docet, coniuges secundò *Cap. 78.* contrahentes, etiam Catholicos, posse benedici, si benedictionem non acceperint.

Punitur autem sacerdos, qui secundas nuptias benedicit. Pœna est suspensio ab officio & beneficio: vt habetur in Cap. 1. Extr. De *Secundis Nuptiis*. Quæ pœna non incurritur ipso facto, sed infligi debet à Iudice Ecclesiastico. Dicitur insuper in cap. cit. vt talis sacerdos mittatur ad Sedem Apostolicam. Sed rectè dicit Ignatius Lopez loc. cit. hoc iam abrogatum esse, totamque pœnam sacerdoti imponendam consistere in arbitrio Superioris seu Ordinarij, cui eam vel augendi vel minuendi potestas suppetit. Sic etiam cõiuges,

iuges, qui benedictionem suscipiunt temporibus prohibitis, arbitraria pœna plecti possunt ab Ecclesiastico Iudice, vt & tunc, si dissimulent se esse bigamos; & mortifero peccato obstringit se sacerdos, qui tempore vetito nuptias benedicit, aut solenniter coniungit: & ab Ordinario arbitraria eaque non leui pœna affici debet.

Sess. 24. cap. 1. de Reformat. Matrimonij.

Cæterum benedictio in Templo suscipi debet. Ita Concilium Tridentinum. Non tamen præcipit hoc, sed suadet, tanquam cõuenientius. Et sine dubio peccarent, qui sine iusta caussa aliter agerẽt; præsertim si inde sequatur scandalum, propter communem morem, vel ob alias caussas. Iubet quoque Concilium, vt coniuges ante benedictionem in eadem domo non cohabitent: Debet autem benedictio ista fieri à proprio parocho, nec quisquã nisi proprius Parochus aut Ordinarius potest alteri sacerdoti dare facultatem benedicendi nuptias, *non obstante quocunque priuilegio aut consuetudine, etiam immemorabili, quæ potius corruptela dicenda est*, vt inquit Concilium Tridentinum. Quocirca qui alterius parochiæ sponsos, sine prædicta licentia, coniungere aut benedicere ausus fuerit, ipso iure tam diu suspẽsus est, donec absoluatur ab Ordinario eius Parochi, qui matrimonio interesse debebat; seu à quo benedictio suscipienda erat; vt in eodem Concilio Tridentino decernitur; & hoc procedit de quocunque siue Regulari siue sæculari; *Etiamsi id sibi ex priuilegio, vel ex consuetudine cuius memoria non exstet; licere contendat*: Et Religiosus incurrit præterea excommunicationem Maiorem propter Clemẽtinam primam *de Priuilegiis*. Obserua Synodum loqui disiunctim: *Coniungere vel benedicere*. Itaque ad incurrendam hanc pœnam, sufficit quòd quis alterutrum facit, etiamsi non faciat vtrunque, vt rectè notat Ignatius Lopez in Practica.

Conc. Trid. loc. cit.

Cap. 77.

Quæres: Vtrum hæc suspẽsio sit ab officio & beneficio simul? Respondeo probabile videri, quòd sit tantùm ab officio, nõ enim debent extendi pœnæ, nisi ab ipsa lege extendantur.

Alicubi etiam *Arrhæ* sponsalitiæ, & *Annuli* benedicuntur apud Latinos, Græcis hoc more nihil est solennius aut receptius: qui etiam ipsis nuptialibus sertis propriam benedictionem dicauerunt, vt videre est in Euchologio. Lege Illustrissimum Cardinalem Bellarminum.

Bellarm. de Matrimonio cap. vlt.

In Capitularibus Francicis præcipitur etiam, vt quando omnia secundum leges peracta sunt, sponsa *per consilium & benedictionem*

Lib. 7. cap. 137.

num Sacerdotis sponsetur: Ibid. *Neq; Virginibus sine benedictione Sacerdotis quis nubere præsumat.*

Illud mirabile videtur, quod in Additione quarta ad septimū librum Legum Francicarum cap. 1. his verbis legimus. *Illud omnibus modis obseruandum fore præcipimus, vt si quis Christianus vel Christiana, aut Iudæus vel Iudæa, nouiter nuptiale festū celebrare voluerint, non aliter, quàm cum præmisso dotis titulo, quod in Christianis salubri institutione præceptum est, vel sacerdotali benedictione intra sinum sanctæ Ecclesiæ perceptæ, coniugium cuiquam ex his adire permittimus. Quod si absque benedictione Sacerdotis quisquam Christianorum vel Hebræorum nouiter cõiugium duxerit, vel solennitatem legis pro dotali titulo, in quocunque transcenderit, aut cētum principi solidos coactus exsoluat, aut centum publicè verberatus flagella suscipiat.* Hæc ibi. Quæ mira prorsus. Anne enim benedictio sacerdotalis impertienda est Iudæis sponso & sponsæ? An intra Ecclesiam iis, qui sunt extra Ecclesiam: quique eandem non modò aspernantur, sed & execrantur?

Iucundum est, quod Græcorum nonnulli seruis & ancillis matrimonium eiusque benedictionem denegandam censebant, ne eâ acceptâ in libertatem vindicarentur. De qua re exstat ὑπομνησ seu *Relatio* cuiusdam ad Nicetam Thessalonicensem Episcopum; qui inter cætera rescripsit. *Frustra metuunt Domini, ne si potestas facta fuerit seruis, vt interueniente benedictione legitimis cum vxoribus, vel cum maritis ancillæ copulentur, ipsi mancipiis suis excidant: perinde ac si effusio precum sacrarum eos in libertatem raperet. Quippe metum hunc illis abstulit inclytus Imperator ille Dominus Alexius per Nouellam ab Ecclesiis* (Græcis) *approbatam.* Ideoq; *ne serui scortentur, receptum est, vt benedictione sacra personæ seruiles copulentur, ac nihilominus seruituti sint obnoxiæ.*

Tom. 1. Iuris Græco-Romani lib. 6.

Valdè reprehendit Alexander III. Papa Suecos, & alios illis in regionibus populos; quod matrimonia sine sacerdotali benedictione contraherent, monetque Archiepiscopum Vpsalensem, & Suffraganeos eius, vt abusum tum perniciosum funditus exstirpent.

Alex. epist. ad Arch. Vpsal quæ est 22. ex epist. Alexandri, quas nuper Sirmondus euulgauit.

In Legibus Suecorum Gotthorumque, quas olim Doctor Reguualdus Ingemundus Ecclesiæ Vpsalensis Archidiaconus latinitate donauit; nuperque Stockholmiæ typis edidit; hæc statuuntur. *Nullus presbyter in benedicendis nuptiis plus recipiat, quàm vnam tremissem pro qualibet candela, & offerant benedicenti, quātum volunt.*

Lib. 1. c. 10

Quod si benedicendi per se candelas habeant, tenetur presbyter illos benedicere sine quauis exactione, etiam qualescunq; candelas habeant, & offerant benedicenti, quantum volunt. Sponsi ergo accipiebant aliquãdo candelas ab Ecclesia, & tunc *tremissem* soluere oportebat; interdum proprias habebant, & tum Presbyter pro vsu candelæ nihil exigere poterat; integrum tamen sponsis erat, vt benedicenti sacerdoti, quidquid liberet, offerrent. Subiungunt Leges.

Quando pauperes benedicendi sunt, fiat hoc candela Ecclesiæ absque contradictione & offerant, quantum volunt. Vocamus verò pauperes in hoc casu, qui tantummodo sine quouis agrorum cultu domos inhabitant, & qui presbytero non decimas, sed Maala soluunt, inhabitantes cum aliis, vel seruientes aliis, vel mendicantes.

Addamus & hoc, quod ibidem decernitur de benedictione & introductione mulierum, post exactas puerperij hebdomadas. *Quãdo mulier introducitur* (in Ecclesiam) *post partum, det Presbytero vnam oram* (monetæ id genus est) *pro candela. Quod si per se vult offerre candelam: tunc oportet, vt contineat in pondere marcam mediam ceræ: in pecunia aliisq; offerat, quantum velit: & sic introducatur in Ecclesiam sine aliqua cõtradictione. Quod si pauper est, introducatur cum candela Ecclesiæ, & candela spectet ad Ecclesiam, sicut prius.*

CAPVT XLIV.

De benedictione vasorum & paramentorum Ecclesiasticorum.

DE benedictionibus Ecclesiarum, Altarium & Cœmeteriorum agemus in Opere *de Templis*. Hic tantum differemus de benedictione quarũdam rerum, quæ in Templo, eiuque quotidiano vsu: & inprimis de benedictione calicis & patenæ, cũ vnctione chrismatis, quæ de iure à solo Episcopo peragitur; ex Priuilegio vel commissione summi Pontificis, etiam aliis competere potest. Pyxidem seu vasculum, (*ciborium* vocamus) in quo sacratissima Eucharistia asseruatur, benedici quidem decet; sed non est absolutè necessarium. Idemque dicendum de Hierotheca, quam ipsi etiam Germani Germanicè *Monstrantiam* (ein Monstrantz) appellãt, in qua sacra Hostia publicè ad adorationem exponi solet: Formula benedictionis exstat in Pontifical. Romano, & ad finem Missalis Romani.

Vrceoli, Scyphi, & si quæ sunt alia vasa rebus diuinis inseruientia, vt thuribula; acerræ, candelabra benedici possunt; & par est, tametsi non necessarium semper, vt benedicantur. Sex sacerdotalia indumenta, quibus Sacerdos indutus sacrificat; necessariò benedicenda sunt; & in Pontificali inuenies benedictionem tum omnium indumētorum in genere, tum speciatim cuiuslibet, etiam Episcopalium, vt & mapparum seu linteorum Altaris: quæ gemina esse debent sub corporali. Antipetasmata seu *Antipendia*, vt vulgò vocātur, vela calicis; & id genus alia, thecæ seu *bursæ* Corporalium, meritò quidem benedicuntur, sed non necessariò. Necessario tamen Corporalia, & pallæ quibus calix tegitur; forsan & purificatoria. Etiam imagines benedicūtur, præsertim Cruces. De Crucium consecratione egi in Opere de S. Cruce. Crux peculiarem benedictionis formulam habet; vt & Crux pectoralis; & Imago Deiparæ Virginis. Imagines aliorum sanctorum sua quoque benedictione sanctificantur, vt & *capsulæ pro Reliquiis, aliisq; Sanctuariis includendis.* *Tom. 1. lib. 2. cap. 9.*

Meritò autem hæc Ecclesiæ vtensilia & ornamenta benedicuntur; licet enim ipso sacro vsu satis sacrentur; accedente tamen Ecclesiæ cōsecratione, vberior fit benedictio: Nam si omnis creatura per verbum Dei & orationem sanctificatur, omnino credendum est, neque has ad tam eximium vsum destinatas, benedictionis exsortes remanere, quando *Verbum Dei* & oratio Ecclesiæ accedit. Nec sine grandi malo temeratores harum rerum experti sunt interdum; quàm consultum sit ab his profanas manus abstinere. Terribile est, quod narrat Victor Vticensis de Proculo Ariano, sibi de pallis altaris *camisias & femoralia facere solito: qui frustatim sibi comedens linguam, in breui turpissima consumptus est morte.* *Victor. lib. 1 persecut. Vandal.*

Benedictionis vasorum & paramentorum mentio imò sanctio est, in Capitularibus Francicis. *Statutum est, vt nullus sacerdos, in aliis, quàm in Deo dicatis vasis, & ab Episcopo consecratis ministrare seu missas celebrare præsumat, &c. Sunt etiam ab Episcopis consecranda & benedicenda Corporales, pallæ ac alia vestimenta sacerdotalia, nec non & omnia, quæ in vsus Basilicæ vel altaris sine ministerio sacerdotum* (Lege, *siue ministerij sacerdotum*) *ad diuina mysteria explenda complectuntur, quatenus cum his sacratis Deo sacratius, siue placabilius ministrare valeant.* *Lib. 7. cap. 329.*

CAPVT XLV.

De Benedictione Campanarum.

Hosp. lib. de Templis.

FOrma huius ritus exstat in Pontificali Romano, vt & in libro, qui *Ordo Romanus* inscribitur. Hospinianus Caluinista ritum consecrationis huius denarrat nobis ex Schleidano, & ex sordidissimo suo Poëtastro Naogeorgo; & ex turpissimo Apostata Vergerio. Qui omnes rerum diuinarum iuxtà ac humanarum contemptores & subsannatores teterrimi fuêre. Profert tamen simul *Pontificale* quoddam ab Alberto Castellano, vt ait, Anno M.D.XX. editum. Quod recipimus, quatenus cum Pontificali Romano consentit; cuius hac in parte meritò potior ratio habetur, quàm omnium aliorum.

Ait Caluinista. Circa tempora *Caroli Magni inualuisse morem baptizandi campanas: eum enim id in suis Constitutionibus vetuisse.* Pulchra consequentia. *Carolus Magnus vetuit, ne campanæ baptizarentur; ergo mos benedicendi Campanas, non est Carolo Magno antiquior.* Sanctio Caroli est ista. *Vt Clocas* (Glocken) *non baptizent, nec chartas per perticas pendant propter grandinem.* Vbi Scholiastes Vitus Amerbachius. *Prohibetur hîc superstitio, non aliqua legitima & ecclesiastica benedictio vel consecratio non superstitiosa.* Rectè & appositè Amerbachius; Quomodo enim Ecclesiasticam benedictionem *Campanarum* Carolus Magnus prohibuisset, cum Magister eius Alcuinus, benedictionis, vt sic loquar, *campanariæ* mentionem, tanquam rei passim vsitatæ, faciat: ita scribens; *Neq; nouum videri debet campanas benedicere, & vngere, eisq; nomen imponere, &c.* Quod si verum est, vt sanè est, tum falsum esse oportet, quod cum suo Balæo Hospinianus affirmat, Ioannẽ XIV. Papam circa Annũ DCCCC. LXVI. *Primum fuisse, qui Campanis baptizatis, hoc est, consecratis nomina imponere cœperit, ipsumque Maiori Lateranensis Ecclesiæ campanæ, suum communicasse nomen:* nam Alcuinus longè antecessit Ioannem XIV. Et tamen nominis Campanis imponi consueti mentionem facit; nec vt de re noua, sed vt de veteri loquitur. Nec iniuriâ fabulis annumerabis, quod Balæus de Ioanne Papa blaterat; sanctorum enim nomina in quorum honorem consecrantur, campanis indi solent, non hominum adhuc in terris degentium. Sed quia forsan campana illa in honorem S. Ioannis Baptistæ, vel Euangelistæ benedi-

nedicta fuerat; idcirco Balæo visus est Ioannes Papa Campanæ suum nomen tribuisse. Vide Illustrissimum Baronium ad Annum Redemptoris DCCCC.LXVIII.N.93.

Consecrationem seu benedictionem istam iam olim vocarũt nonnulli, bona & candida mente *Baptismum*; & campanam benedictam; *baptizatam*; ipsamque actionem benedictionis, *baptizare*, & passionem; *baptizari*. Hic hæretici vociferando ramices propemodũ rumpunt, nec vlla verborum granditate & acrimonia hanc tantam blasphemiam dignè exagitari posse existimant; cum quod pro salute hominum institutum est, ad rem animæ & rationis expertem transfertur. Sed, ô boni, quàm lubenter, vbi nil necesse, Tragœdias excitatis; & intelligentium risui vos exponitis. Quis non videt nomen *baptismi* latè sumi, cum campanis tribuitur; & longè alia notione, quàm cum de Sacramento, salutis nostræ fundamento prædicatur? Nam *baptismus*, *baptizare*, & *baptizari*, ex prima sua institutione quamcunq; lotionem seu ablutionem, tinctionem vel intinctionem significant. Quapropter cum campana dicitur *baptizata*, nihil aliud indicamus, quàm campanam esse benedictam cum aliis ritibus, tum ablutione aquæ in hunc vsum peculiariter ab Episcopo consecratæ. Mirum, ni exardescant quoque in illum Pharisæum, qui cum Christum inuitasset, *cœpit intra se reputans dicere: Quare non baptizatus esset ante prandium.* Ecce tibi sacrosanctum nomen *baptismi* transtulit Pharisæus iste ad lotionem seu ablutionem manuum, vel etiam totius corporis. Nec S. Marcus ab horum flagello tutus erit; ista scribens: *Pharisæi & omnes Iudæi, nisi crebrò lauerint manus, non manducant, &c. Et à foro, nisi baptizentur, non comedunt; & alia multa sunt, quæ tradita sunt illis seruare, vt baptismata calicum, & vrceorum, & æramentorum, & lectorum.* En Pharisæi & Iudæi omnes *baptizabantur*: baptizantque calices, *vrceos, & æramenta & lectos.* Vides *æramenta*. Mirum, ni *campanas*, quæ ex ære. Quanta impietas: vt & Germanorum; qui de probè madefacto. Er ist wol taufft worden. *Benè baptizatus est;* Et potatores. Wir wöllen einander redlich tauffen: *baptizabimus nos mutuò egregiè.*

Luc. 11.

Marci 7.

Occlamat Hospinianus. *In Campanis omnia ferè fieri, quæ ad baptismum pertinent.* Cautè addidit, *ferè*; alioqui verè mentitus fuisset. Vbi forma baptismi; *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Vbi baptizandi intentio? Sed probat *baptizari.* Quia

 abluun-

abluuntur. Etiam tu ablueris, quando es in balneo. An ideo baptizaris? *Vnguntur* inquis. Etiam Athletæ vnguntur. An idcirco baptizantur? *Exorcizantur.* Etiam Energumeni exorcizantur; & tamen quis eos baptizari dicat? Quanquam in Pontificali Romano nihil apparet de Exorcismo campanæ; sed aquæ & salis, quæ ad campanæ ablutionem consecrantur. *Patrini campanis adhibentur.* Nihil de *Patrinis* Pontificale Romanum à Clemente VIII. recognitum. Si alicubi moris aut est, aut fuit, vt campanis constituerẽtur, qui earum curam in se susciperent; *Patrini* nomine imposito; id omni impietate vacat: iure enim curatur, vt sint, qui curent reparari, si reparatione egeant: nam quòd rudissimus ille *Versifex* Naogeorgus ita rudit:

> *Adsunt compatres culti tersiq; supreme,*
> *Complures ad tantum olim vt legerentur honorem*
> *Præuenére rogando ipsi: nec paruulus horum*
> *Est numerus. Centum fermè. Persæpe ducenti,*
> *Tercentum quoque, si campana est magna; locusque*
> *Insignis.*

id nimirum non est *poëtari*, sed mentiri & criminari. Miror, inquinatissimum hunc haud Cycnum, sed *cuculum*, non adieeisse ducẽtas, vel trecentas *commatres*; nam in baptismo non modò *compatribus*, sed & *commatribus* locus est. Sed esto. Adhibeantur campanis Patrini, hoc est, Patroni. An ideo baptizantur? Etiam iis, qui Confirmationis sacramentum suscipiunt *Patrini* attribuuntur: an ideo baptizantur? Olim *Duellatores*, seu Duellum ingressuri suis *Patrinis* & *Patronis* stipati certamen inibant, vt apparet quoque ex Concilio Tridentino. An tu hic vllam baptismi speciem agnoscis. *Nomina*, inquis, *imponuntur campanis.* Nihil directè de impositione nominis Pontificale Romanum: sed hoc solummodo; *Sancti†ficetur & Conse†cretur Domine, signum istud in nomine Pa†tris, & Fi†lij, & Spiritus † sancti, in honorem sancti N. Pax tibi.* Cuius sancti nomine, si postea ipsa campana à vulgo indigitetur, quid piaculi? Exempli gratia. Consecretur campana aliqua in honorem beatissimæ Virginis Mariæ. Vocabitur à vulgo *Maria*: quia in memoriam & venerationem sanctissimæ Virginis Mariæ benedicta est. Quid hic superstitionis? Talis erat campana illa Naumburgensis in Thuringia, quam lutulentissimus Chœrilus Naogeorgus se vidisse ait. *Veste noua campanæ induuntur*, inquis. An tu veste noua nunquam

indueris? An cum indueris, baptizari te arbitraris? Quanquam Pontificale Romanum nihil de veste. Dices. Te non ex singulis sigillatim, sed ex omnibus in vnum quasi coaceruatis baptismum colligere. Argumentemur ergo hunc in modum, quãdo ita lubet. *Campanæ abluuntur, vnguntur, exorcizantur, patrinis muniuntur, nouo nomine donantur; & veste noua induuntur: ergo baptizantur.* Quæ te intemperiæ agitant, ô Caluinista, cum tuis *Consequentiis?* Num baptismus sine legitima, & à Saluatore nostro præscripta forma subsistere, & alicui conferri potest? Vbi autem in tota benedictionis formula exstant hæc verba: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Imò licet adhiberentur; baptismus nõ esset; cum campana non sit idoneum baptismi suscipiendi *subiectum.*

Citat Hospinianus *Grauamina Germaniæ* Legato Pontificio in Comitiis Norimbergensibus Anno M. D. XXII. oblata; vbi de *benedictione campanarum* longa querimonia texitur, præcipuè deplorantur *impensæ, & sumptus conniuiorum, & merces in suffraganeum eiusq; Sacellanos effusa:* Quapropter suadent boni isti suasores, vt posthac quiuis sacerdotes campanas; quemadmodum aquam, salem; & herbas, benedicere possint. Verùm iam alibi diximus, *Grauamina* ista non esse Germaniæ, sed paucorum quorũdam hæreticorum Capitonum; quæ forsan Legato Apostolico nunquam exhibita fuêre; sed finguntur exhibita, vt figmento plus auctoritatis concilietur. Quàm autem cum suo consilio, quod dederũt, egregiè se conformant Nouatores? An non quoties nouam campanam fundunt, (quod raro fit; quia vix veteres ferunt, quas malunt esse bombardas, quàm *campanas*) Sacerdotem catholicum accersunt, qui campanam, priusquam in turrim tollatur, benedicat; aqua benedicta aspergat, chrismate & oleo sacro inungat: & thure vaporet; non sine precibus & obsecrationibus?

CAPVT

CAPVT XLVI.

De effectibus benedictarum campanarum.

COlliguntur isti ex formula benedictionis. Rogat enim Ecclesia. 1. Vt vbicunque sonuerit campana consecrata, *procul recedat virtus insidiantium. 2. Vmbra Phantasmatum. 3. Incursio turbinum. 4. Percussio fulminum. 5. Læsio tonitruorum. 6. Calamitas tempestatum, omnisque spiritus procellarum. 7. Vt cum filij Christianorum, clangorem campanæ audierint, crescat in eis deuotionis augmentum.*

In alia precatione similes fermè effectus à Deo postulantur. 1. *Vt cum melodia insonuerit auribus populorum, crescat in eis deuotio fidei. 2. Procul pellantur omnes insidiæ inimici. 3. fragor grandinum. 4. Procella turbinum. 5. Impetus tempestatum. 6. Vt temperentur infesta tonitrua. 7. Vt ventorum flabra fiant salubriter ac moderatè suspensa. 8. Vt aëreæ potestates audientes campanam contremiscant, & fugiant ante sanctæ Crucis in eo depictum vexillum.*

In alia precatione ita orat Ecclesia. *Vt quicunq; ad sonitum eius conuenerint, ab omnibus inimici tentationibus liberi, semper fidei Catholicæ documenta sectentur.* Item in postrema oratione: *Dum huius vasculi sonitus transit per nubila, Ecclesiæ conuentum manus conseruet Angelica, fruges, credentium mentes & corpora, saluet protectio sempiterna.* Eosdem fermè effectus enumerat Concilium Coloniense Anno M.D.XXXVI celebratum.

Hinc perspicere licet, inquit Hospinianus, *multò plus campanis inanimatis, earumque tinnitui tribui, quàm piorum hominum precibus.* Non plus tribuitur ipsi campanæ vel sono præcisè; sed precibus Ecclesiæ, quibus campana cõsecrata est. Si enim omnibus in communi dictum est: *Petite & accipietis*: mirum sanè foret, si sponsa Christi Ecclesia, hæc vel illa à Deo petens, nihil acciperet. Itaque effectus suprà memorati minimè exspectantur à sono campanæ, quatenus naturalis quidam clangor est; sed vt ab instrumento variis precibus consecrato, procedit: quarum precum & obsecrationum memor Deus; prædictos effectus, per sonum campanæ, tanquam per organum quoddam, producit; quemadmodum ruina murorum Hierichuntinorum ad Clangorem buccinarum secuta est; non quatenus naturalis sonus erat; sed quia Deus sonitu illo,

tan-

tanquam instrumento suo, ad subuersionem mœnium vtebatur. Quanquam, quod & alibi monuimus, effectus isti nō semper certò proueniunt, sed pro arbitrio Dei, cui optimè cognitum, quid nobis maximè conducat. Sed en, etiam *Steckborensem Campanam*, ad lacum inferiorem seu Cellensem, contra nos Hospinianus Caluinista pulsat: cuius inscriptionem dicit esse istam. *Colo verū Deum*: Rectè, quia Campanarum solennis pulsus pertinet quoque ad honorem & cultum Dei. *Colit insuper Deum;* quia alios vocat & excitat ad cultum Dei. *Plebem voco, & congrego clerum.* Puto hic Hospinianum nihil difficultatis habere. Quia etiam Caluinianæ & Lutheranæ Campanæ plebem Caluinianā & Lutheranā vocant: Quamuis non congregent *clerum;* sed barbigeros *Verbicines*. *Diuos adoro;* tum quia pulsus campanarum etiam ad Sanctorum honorem spectat, tum; tum quia alios ad sanctorum venerationem accersit atque incendit. *Festa decoro.* Quis neget concinno & graui campanarum sono festa ornari? *Defunctos ploro;* tum quia alios flere facit: tum quia funera nunciat. *Pestem Dæmonesq; fugo.* Quid ni? Ecclesia hos effectus à Deo in campanarum benedictione postulat. Quis credat sponsum suæ sponsæ tam esse immemorem, vt preces eius nunquam exaudiat?

Ait Hospinianus; *superstitionem hăc grauissimis viris displicuisse.* Quæris, qui nam sint isti *grauissimi viri?* Duo Sectarij, Thomas R[illegible]tius, & Petrus Viretus virulentissimus Caluinista. Digni profectò, ob quorum conuicia & mendacia benedictionem Campanarum repudiemus.

Oggannit Caluinicola. *Etiam ab Ethnicis vim tribui æris tinnitibus aduersus magica maleficia.* Quid tum? Etiam aquæ & certis quibusdam lotionibus adscripserunt Ethnici vim expiandi peccata; An ideo Caluinista baptismatis aquam, peccatorum expiatricem, valere iubebit; nec inter baptizandum vsurpabit? Quod Ethnici de sono æris credebant, id aut vana persuasio, aut Dæmonis fallacia erat, ex compacto ad sonitum talem diffugientis, vt miseros magos inescaret ac implicaret. At quod in Ecclesia Dei fit, & fieri creditur, id non prouenit præcisè ex æris tinnitu; sed à precibus Ecclesiæ, quibus campana sanctificata est, Deusque rogatus; vt talia & tanta effecta sonoro huic æri clementer concedat.

Hospinianus iterum nobis ingerit Naogeorgi asininos cantus; qui cum carmina cudit

 ferreus

Versus Naogeorgi.

——————————ferreus est quis,
Qui risum cohibere queat. Qui non manu vtraque
Auriculas asini fingat: qui pectore toto
Non indignetur.

Nihil enim ineptius, nihil stultius, nihilque insulsius Naogeorgicis versibus; vel hosce duos vide.

Nam baptizatis credunt huiusmodi vires
Esse in Campanis, vt cuncta tonitrua frangant.

Quid ferula dignius, vel ob puerile illud vitium in vocula, *Huiusmodi?*

Exprobrat nobis inficetus *Carminator*, quòd tempestatibus exortis, campanas pulsamus: putat id *fieri ex penuria fiduciæ erga Deum; & in ignominiam Christi Redemptoris, à quo vno, rebus in aduersis, auxilium sperandum sit.* Atqui, nisi confideremus, Deum, pulsu campanarum, tanquam instrumento quodam suo, tempestates sedaturum, aut saltem ita moderaturum, vt sine damno prætereat, ac desæuiant, omnes vtique campanæ, ortis tonitruis ac fulguribus, conticescerent, quemadmodum apud Sectarios silent; idque vel ex defectu fiduciæ erga Deum; vel ex inani præsumptione: neque aliunde, quàm à Christo auxilium exspectamus aut expetimus, etiam tūc, cum Campanas aduersus tonitrua & fulmina pulsamus; quandoquidem, quidquid campanæ hac in re virium habent, id non habent, nisi ex meritis Christi Redemptoris, ad quæ confugimus, quoties ad media illa confugimus; quæ vel Christus; vel sponsa eius Ecclesia instituit, fidelibusque vtenda tradidit.

Ruditibus suis non dissimilem Colophonem poëtaster imponit.

An non Catholici sunt, & gens bella, Papistæ,
Præsidio quibus est campanæ pulsus ahenæ?

Cedò, an non Hebræi quoque *gens bella*, quibus in capienda & euertenda ciuitate Hierichūtina præsidio fuêre *septem buccinæ*, quarum clangore muri subsederunt? (Ios. 6.)

Dices. *Deum voluisse & iussisse buccinas istas ad hunc effectum adhiberi.* Respondeo, Deum etiam velle & iubere, vt *campanarum* pulsu vtamur, cum ad alios effectus; tum ad tempestates sedandas & depellendas. Quæres, Vbi hoc Deus iubeat? Respondeo, eo loci, vbi mandat, vt Ecclesiam, columnam & firmamentum veritatis, audiamus; & vbi non audientes Ecclesiam, in classem Ethnicorum

eorum ac publicanorum redigit. Et quamuis Prædicantes partim vociferando in pulpitis, partim scriptitando in libris aduersus Campanarum pulsum multa tonent, ac fulminent, nondum tamē spem & fiduciam, quam pij in hoc consecrato pulsu & sono collocant, penitus ex animis expungere potuerunt. Quocirca videas, in locis, vbi Catholici cum Sectariis promiscuè degunt; nonnullos, quamuis Luthero vel Caluino addictos, recreari, simul atque, sæuientibus tonitruis, ex catholico templo æra sonare incipiunt; nihilque illis longius videri; quàm dum Æedituus campanas pulsaturus adcurrit; si quando non derepētè, excitata tempestate, signum edit: quo audito, bona pars conceptæ formidinis ac trepidationis desinit. Et quamuis ipsa tempestas soleat homines ad vota precesque exsuscitare; accedente tamen æris Campani suscitabulo, id efficacius fit: nam quòd nonnulli existimant, campanas ideo etiam pulsari, vt naturali suo sonitu nubes discutiant ac disiiciāt; id complures docti, ceu vulgi persuasionem, non admittunt. Et certè hāc ad rem longè aptior esset bombardarum terrificus fragor; quam Campanarum clangor.

Quærit Hospinianus. *Cur non perpetuò pulsentur campanæ, si sonus iste huiusmodi virtutibus præditus sit.* Quæram & ego, cur Prædicantes Lutherani & Caluiniani, indesinenter non prædicent, si auditus verbi Dei tantos & tam mirificos fructus profert; quantos Stentores isti celebrant & decantant. Et quamuis Campanas diu noctuque sine intermissione non pulsemus; haud tamen dubito; frequentius eas pulsari, quàm Prædicantibus aut libeat aut placeat: qui plerisq; in locis, non tam campanas, quàm *Nolas* habent: quas quo nomine Germani appellent; & quibus in Orgiis eas frequentent, Prædicantes non ignorant: Certè eorum exercitiis, vel potius *opificiis*, magis conueniūt *Nolæ*, sensu Germanico acceptæ, quàm *Campanæ*.

Catholicis vetus mos est, vt ter quotidie ad salutationem Angelicam recitandam signum ex turri ære campano publicè edant; manè; meridie, vesperi. Quanquam sub meridiem multi non salutationem Angelicam, sed alias preces fundūt; nec sonus ipse Campanæ vbique ter interrumpitur in argumentum salutationis Angelicæ ter dicendæ; vt manè & vesperi fieri consueuit; sed vno continuo tractu & tenore absoluitur; Hospinianus prodit hic mentis suæ vulnera. Inuehitur in quosdam populares suos *Turegienses* seu

Tigurinos; quibus Zwinglianum Euangelium nondum vsq; adeo in intima viscera illapsum est, vt à recitanda Angelica salutatione sub vesperum abstinerent. *Apud quosdam ex nostris*, inquit, *salutationis Angelicæ vsus adhuc est reliquus*; (reliquus igitur est apud nonnullos; Quid mirum, in gente Cultui Deiparæ olim addictissima?) *ipsi in suam suorumque, & præsertim dulcissimæ suæ patriæ perniciem hoc obseruant*. Qua de caussa vero? Quia Ioannes XXII. Papa ritum hunc olim introduxit contra Ludouicum Bauarum, eiusque sequaces, inter quos etiam *Turicenses* erant. Qui ergo ex *Turicensibus* seu *Tigurinis* salutationem Angelicam recitat, præsertim sub vesperam, ille & suæ & patriæ salutis proditor est. Mira, quin plusquam mira. Tot ergo erunt Tigurinorum proditores, quot sub crepusculum vespertinū, ad Campanæ signum, beatissimam Deiparam salutant. Sunt autem innumerabiles; etiam in ipsa Heluetia. Et proditores esse liquet; quia precantur Deum, *vt Pontifici contra Ludouicum Bauarum Imp. eiusq; fautores, in quibus & Tigurini, adsistat*. Quod Hospiniano piaculum capitale est. Libenter intelligerem ex Hospiniano, quæ nam salutationis Angelicæ verba in Tigurinorum perniciem vergant. Ego nulla inuenio, ne in Appendicula quidem illa: *Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis nostræ. Amen.* Nisi fortè Hospiniano hæc verba tantundem significent, quantum ista: *Sancta Maria Mater Dei*, cura vt quotquot Ludouico Cæsari adhærescunt, *confundantur & pereant*; deficiantque, sicut deficit fumus.

Quibus technis & sutelis non vtitur Diabolus, vt humano generi Deiparæ Virginis salutandæ consuetudinem eripiat? Non ausus fuit dicere, ore Hospiniani, salutationē Angelicam, esse *Idololatricam*; quia iam ridetur, quando cum hac næniola in theatrum prodit; Aliò igitur se conuertit; & *in perniciem patriæ tendere* fingit, vt timidiores vel hac ratione à pio more abducat. Quasi verò ipse etiam Ioannes XXII. alio fine morem hunc instituerit, (si tamen primus instituit) quàm vt Deus intercessione sanctissimæ Virginis placatus, turbatis rebus pacem redderet, errantesque & ad Schismatum auia diuertentes in viam reduceret. Olim simul ac meridianus vel vespertinus pulsus iste audiebatur; in genua procumbebant, vbicunque sors aliquem offendisset: teste etiam Polydoro Virgilio, qui isthæc. *Audito tintinnabuli sono, cuncti confestim in vestigio genua flectunt, atq; orant.* Malè habet Hospinianum hæc Germano-

Polyd. lib. 6. cap. 12.

manorum deuotio: *Quamprimum Campanæ vespertinæ pulsum audierint*, inquit Caluinista, *non dico in priuatis ædibus, sed in ipso foro, ceu sidere quodam tacti, in genua procidunt, & nescio quas preculas demurmurant.* Si nescis, cur reprehendis? Cum hæc, quæ tu carpis, fierent, longè felicior erat Germania, & ipsa tua Heluetia in qua pietas ista potissimum vsitabatur, quàm modò sit, cum nec publicè, nec priuatim genua ad preces flectuntur. Nam & in fanis suis adstant isti semper erecti, vel in scamnum aut sedile aliquod proiecti; perinde ac si pedes illorum ad flexuram nullis articulis constarent.

Arbitratur Caluinista reperiri hîc aliquid simile furori Bacchico, qui ad tympanorum & tubarum strepitum excitabatur; mirante Pentheo, quî fieret, vt *quos non bellicus ensis, non tuba terruerit, non strictis agmina telis: Fæmineæ voces, & inania tympana vincant.* At nisi amens esset, in hanc amentiam nunquam prorupisset. Nihil enim hîc furoris Bacchici: omnia quiete, modestè, compositè, piè peraguntur. Num quempiam vidit Caluinista, qui, audito Campanæ sono, vociferatus fuerit? *Euohe Bacche, quò me Bacche rapis plenum tui.*

Orditur Hospinianus longam & verbosam disputationem aduersus quosdam symmystas suos, & in Caluini Mysteriis *consecraneos*; qui sentiunt & docent, multisque argumentis confirmãt, vacare omni impietate, si quis Caluinianus aut Lutheranus cum Pontificiis ad meridianum aut vespertinum sonitum oret. Hospinianus, tanquam purissimus *Puritanus* contrà tendit; nulloq́, modo pati dignatur, vt vllus *Reformatæ* religionis particeps, ad talem pulsum preces concipiat: quò scilicet à *Papistico fermento* longius recedatur, & Caluiniana Religio in sua Geneuensi & Thuricensi puritate integrius conseruetur; conaturque alterius partis argumenta dissoluere: At præter conatum nihil adfert: imò adfert; sed Phlyarias, & gerras. Si adeo à Pontificiis remotus esse cupit; fiat Turca aut Iudæus; & longè longius à nobis, & ab omnibus illis, quæ ipse in superstitionibus numerat; distabit. Sabbatum colat, aut cum Turcis diem Veneris: adiungat Circumcisionem; & aliquot *Parasangis* amplius à Papistis abscedet. Gratia Deo; qui impostores istos grassari non sinit, quantum cupiunt; alioqui iam pridem ex Germanorum animis communia sensa, quæ cum lacte materno imbiberunt, erasissent; & priscæ pietatis vestigia vniuersa funditus

deleuissent; at diuina bonitas haud permisit, vt quantum volebant & tentabant, efficere possent.

Hospinianus credere nequit, campanas aliquando sonum edidisse, absque humani ministerij interuentu; vt Fuldæ factum, quando S. Bonifacij corpus ex Frisia relatum est: cuius simile quiddam legitur in vita S. Alberti de Monte Drepano. Obiicit: *Mutium illud de Bonifacio vix credere; sed somniis accensere.* Quis iste Mutius? Nũ Scæuola aliquis? Hæreticus scilicet Lutheranus aut Zwinglianus, cui id vnum curæ erat, vt Lœdoriis & Pseudologiis in Orthodoxos ritus Chronica sua inferciret. Idem fermè de Bruschio iudicium esto. An putas tu, nec Deum, nec Angelos tantarum virium esse, vt Campanas absque Æditiuis pulsare queant? In vita S. Eligij, Episcopi Nouiomẽsis proditum est, *Campanam* quandam, tempore *Interdicti* nullum penitus sonum reddidisse; quamuis vehemẽter pulsatam; & aliam, cæteroqui valdè sonoram, & suauissimi clangoris, inuito S. Lupo Senonensi Episcopo, aliò trãslatam, omnem soni gratiam amisisse, donec in suum locum restitueretur. Hæc C[illegible] nostro admodum mirifica accidunt: nec in animum inducere potest, vt credat Deum, aut tantæ potentiæ esse, vt hæc facere possit; aut tantæ voluntatis, vt velit. Nec causam vllam habet dicere, cur hæc in dubium reuocet, vel potius penitus inficietur, nisi quia à suo cerebroso sincipite, id vt sibi persuadeat, impetrare nequit.

Binsfeld. lib. de Confess. Maleficarum non procul à fine.

Quantum pulsus & sonus consecratarum Campanarum aduersus Cacodæmonem, eiusque præstigias ac insidias valeat, duobus exemplis demonstrat Binsfeldius, quorum alterum ex Grillãdo sumptum accidit Anno M. D. XXIV. *Mense Decembri, dum ipse Grillandus esset in quodam castro Monasterij S. Pauli apud Romanos ad instantiam Abbatis dicti Monasterij, vbi examinauit maleficas incarceratas, ex quibus vna fuit, quæ, cum deferretur à Dæmone suo, reuertẽdo à ludis, in itinere, antequam peruenirent domum, dum esset vicina oppido patriæ suæ, audiuit pulsari campanam mane pro* Aue Maria; *sic dæmon debuit eam deponere & discedere. Quã deposuit statim iuxta ripam quandam, vbi erãt spineta quædam.* Narrat deinde, quomodo ibidem à iuuene quodam inuenta & agnita fuerit, & quomodo, post multa diuerticula, iuueni silentium fideliter pollicenti, totam rei seriem aperuerit: qui tamen postea, pollicitationis suæ immemor, factum haud celauit. Quocirca & in Magistratus manus mulier illa venit.

Alterum

Alterum exemplum recentissimũ est, inquit Binsfeldius, quod accidit circa annum Redemptoris M. D. LXXXVI. Nam simili prorsus modo vir quidam, cum à Diabolico conuentu reueheretur, ope Dæmonis vectoris destitutus est, audito matutino pulsu, ad salutationem Angelicam. Consule Binsfeldium.

CAPVT XLVII.

Benedictio zonarum seu cingulorum, & similium rerum.

Legimus aliquando zonas à viris sanctis benedictas, quarum gestatione mulieres steriles vel fœcundarentur, vel ex difficili partu laborantes, liberarẽtur. Georgius Presbyyter in Vita S. Theodori Sicæorũ Archimandritæ. *Qui filios suscipere nõ poterant, ad B. Theodorũ confugiebãt, vel zonas quibus ipse benedixerat, assumebant, & precibus ipsius fiebant voti compotes.*

Tali benedictione ipse Georgius, qui & Eleusius, discipulus S. Theodori conceptus, & in luminis oras editus est. *Cum enim parentes mei,* inquit ille, *diu simul vixissent, nec vllos possent liberos suscipere, ad sanctũ virum accesserunt; cumq; zonas, quibus ille benedixerat, accepissent, ego conceptus & natus sum, & infans ipsi oblatus, qui & in sancto eius Monasterio enutritus, a religiosissimo Prafecto literas didici.*

In eadem historia memoratur etiam sequens exemplũ *Sergius pius sanctissimæ Ecclesiæ Magnæ Diaconus, & sanctissimi Patriarchæ familiaris, sororem habebat, quæ cum triennium cũ marito vixisset, nunquã cõcipere poterat. Vtrunq; coniugem Sergius in vestibulo collocauit, & cũ sanctus Christi seruus Theodorus à Patriarcha discederet, Ioannem Hypodiaconum, eius comitem, rogauit, vt illàc sanctũ virum perduceret. Quod cum esset factum, Sergius Diaconus eos ad virum sanctum adduxit, & simul cum illis ad viri pedes procidit, supplicans, vt eis liberos concederet. Quibus Sanctus, non ad me,* inquit, *filij sed ad Deum accedite Verùm cum illi non desisterent obsecrare, vtriusq; zonas accepit, atq; inter illas vtrinque collocatas, genibus flexis, Deum precatus est. Post autem zonas illis restituit, vt se cingerent. Et Dei gratia factum est, vt post nouem menses mulier filium pepererit.*

Melania Romana mulierem difficultate partus conflictantem liberauit zona sua, vt est in eius vita. Quanquam hoc potius ad miracula Reliquiarum referendum videtur. *Tom. 1. Sur.*

CAPVT

CAPVT XLVIII.

De benedictionibus & exorcismis tempestatum.

LAudabilis multorum locorum consuetudo est ista. Per dies æstiuos, quibus tonitrua & fulgura potissimum sæuire solent; Sacerdos, diebus præsertim Dominicis, Sacerdotali amictu indutus, præuia sacrosancta Cruce; ad propylæum Ecclesiæ egreditur, ibidemque Principium Euangelij S. Ioannis recitans, aliasque preces adiungens, Deum pro aëris tranquillitate, tempestatumque perniciosarum amolitione deprecatur. Quod vulgò vocant, **Das Wetter segnen.** Aliis locis Sacerdos in Altari manens, Euangelium S. Ioannis, aliasque eôdem spectantes preces clara voce decãtat; Campanis interim ex turri resonantibus, omnesq; ad vota concipienda accendentibus. Quæ consuetudo proculdubio commendabilis est, & omnibus commendanda. Si enim precibus & benedictionibus vis Dæmonum & maleficorum, ab aliis rebus; etiam ex ædibus & habitationibus, expellitur; vel ne ineat, impeditur, cur non iisdem sacris mediis, Diabolica potestas, ex sublimi regionis aëre, arceri, fugarique, vel saltem ne nobis, tempestatibus in ea coactis noceat; præpediri, Deusque etiam exorari posset, vt omnia ista nocumenta clementer à nobis auertat, omnemque efficaciam ac potestatem maleficam clementer coërceat & comprimat?

Sunt etiam Exorcismi aduersus iam iam imminentem vel iam præsentem tempestatem; vbi cautè cauendum, ne quid superstitionis irrepat; nec vsurpandæ formulæ; nisi ab Ecclesia doctisque viris approbatæ; quarum vnam legi in Parochiali Leodiensi, iussu serenissimi Ernesti Episcopi, Principis Electoris, edito, Anno M.D.XCII. vbi, vt iam alibi diximus, vel Deus adiuratur, sed petendo & obsecrando, vt impẽdentem noxam à nobis rebusq; nostris amoliatur; vel Dæmon, sed imperãdo; vel ipsa etiam nubium exitiosarum concitata vel mox concitanda collectio, quæ tempestas appellatur; ad quam Exorcismi imperium non quoad intelligentiam, sed quoad obedientiam peruenire potest, vt suo loco explicauimus.

Nec

Ne audiendi, qui inficiantur Dæmones, vel Dęmonis ministros, magos & veneficos, tempeſtates excitare poſſe. Contrarium certis documentis exploratum eſt: errauitque Agobardus Lugdunenſis Epiſcopus, qui integro opuſculo contendit, *Tempeſtarios*, ſic enim vocat, & ſic à Francis vocabantur, non poſſe ciere tonitrua, fulmina, fulgura, nec grandines procurare, nec hominibus vel iumẽtis peſtem immittere, infectis paſcuis & pabulo. Contrariam perſuaſionem plerique omnes Franci habebant, vt ex ipſo veſtibulo opuſculi Agobardici liquet. *In his regionibus*, inquit ille, *penè omnes homines nobiles & ignobiles, vrbani & ruſtici, ſenes & iuuenes, putant grandines & tonitrus, hominum libitu, poſſe fieri: dicunt enim mox vt audierint tonitrua, & viderint fulgura, aura leuatitia eſt. Interrogati vero, quid ſit aura leuatitia, alij cum verecundia, parum remordente conſcientia; alij autem confidenter, confirmant incantationibus hominum, qui dicuntur* Tempeſtarij, *eſſe leuatam, & ideo dici leuatitiam auram.* Multa ſcripturæ teſtimonia contra iſtos producit, quibus nihil aliud probat, quàm homines id non poſſe ſua vi; quod fatemur. Poſſunt tamen adiuti à Dæmone, cui aliquid in hæc meteora facultatis eſſe, docet hiſtoria B. Iobi, vbi legimus, ignem cæleſtem in greges Iobi à Satana immiſſum, & violento turbine domum in qua filij Iob epulabantur, ſubuerſam. Nec tamen poſſunt, quantum volunt; ſed quantum Deus permittit. Nec de nihilo eſt, *Tempeſtarios* iſtos grandinem ab agris aliis ad hoſtium ſuorũ agros diuertere poſſe. Nam vt excitare tempeſtates in eorum manu eſt, Diabolo adiuuante, & *actiua paſſiuis* applicante; ita in eorundem arbitrio poſitum eſt, vt cui nocere volunt, noceant; cui nolunt, nõ noceant, vt fit etiam in aliis quibuſdam nocumẽtorum generibus. Cap. 1.

Habent & Græci ſuo in Euchologio εὐχὴν ἐπὶ ἀπειλὴν βροντῶν καὶ ἀστραπῶν, *precationem cõtra tonitrua & fulgura*: ſed nullum tempeſtatis exorciſmum cõtinet; quia ſimplex ſolummodo oratio eſt, vt Deus aëris ſerenitatem reddat, & tempeſtatem imminentem vel iam præſentem ſine cuiuſquam damno abire & euaneſcere iubeat.

Exſtant Tomo ſecundo Nouorũ Operum Lutheri, quæ Aurifaber collegit & euulgauit, aliquot conciones in primum & ſecundum caput S. Ioãnis Euangeliſtæ; vbi Hæreticus fabulator circa illud: *& Verbum Caro factum eſt*; duo vellicat; primum, *quòd verba iſta in ſchedulis deſcripta, & pennæ ſimiliue rei incluſa, multi, cuſtodiæ cauſſa,*

caussa, de collo suspendant, semperq; circumferant. Alterum, quòd *Euangelium* vel principium Euangelij S. Ioannis pronuncietur vel decantetur aduersus tonitrua, fulmina, & fulgura; Lutherus *Magiam & incantationem* intonat. Qua de caussa, obsecro? Num ipsa per se verba Magiam olent? Quis hoc, nisi impius, asserat? Num ad aliquem extraordinarium finem, Deo inuisum aduersumque, diriguntur? Ne hoc quidem; quia alio fine nec leguntur, nec cantantur, nec geruntur, quàm vt Dæmonis insidias procul à nobis, rebusque nostris arceamus.

Valere autem hæc verba vi propulsandi dæmonis, docet ipse Lutherus allatâ historiolâ, de Diabolo, qui lectionem seu recitationem huius Euangelij immotus audiit, sed cum ad illud. *Et Verbum Caro factum est; ventum esset;* in fugam se coniecit, efficacitatis & Maiestatis hac in oratione latentis impatiens.

Ait insuper Lutherus, sibi sæpius & lectum & visum, multos summis ærumnis circumdatos, Diabolum non aliâ armaturâ fugasse, quàm signo Crucis; & horum verborum: *Verbum Caro factum est,* pronunciatione. Monet deinde omnes, vt hæc verba in corde & ore habeant, seque assuefaciant, vt quando à salutis nostræ hoste infestantur, ea, ceu clypeum inuictum, mox depromant, & in stygium inuasorem vibrent. Si fas est aduersus Dæmonis insultus verba hæc perpetuò circumferre in pectore & ore; cur non liceret ea atramento vel minio, vel assimili colore exarata, de ceruice, aut etiam in conclaui quopiam de paxillo suspendere, idque tutelæ caussa? An efficaciora sunt scripta in mẽte, vel ore prolata, quàm scripta in papyro? Quod si, vt Lutherus allatis exemplis docet, verba hæc, machinamenta Dæmonis disiiciunt ac dispellunt in terra; cur ea non dissiparent in aëre, ne vel cieat perniciosas tempestates; vel vt iam concitatæ, absque hominum frugumque detrimento, sopiantur. Certè cum Euangelium S. Ioannis aduersus aëreas potestates legimus, nihil aliud facimus, quàm quod in Litaniis à Deo precamur: *A fulgure & tempestate; libera nos Domine:* idque per *sanctam Incarnationem tuam*; cuius tam memorabilis descriptio in principio huius Euangelicæ Historiæ exstat.

Oggerit Lutherus: *Verba ista pronunciari debere cum vera fide.* Quis hoc abnuat? At quis certiorem fecit Lutherum, illa, cum à Lutheranis pronunciantur, cum vera fide pronunciari; non item,

quan-

quando à Pontificiis? Ecquando vera fides à nobis auolans ad Lutherum transuolauit? Fortè tunc, cum ipse Monachus Monialem incestauit, & perruptis omnibus verecundiæ atque pudicitiæ repagulis, exemplo suo aliis ad similia sacrilegia præiuit.

CAPVT XLIX.

Miscellanea de variarum rerum benedictionibus.

CONferam in hoc caput variarum rerum benedictiones, ex quibus vna generalis est *cuiuscunq; loci*: Altera, *domus nouæ*. Tertia, *thalami*: quarum formulæ reperiuntur ad calcem Missalis Romani. In libro Sacramentorum sancti Gregorij peculiaris benedictio est pro *vestiario*, propria etiam pro *Refectorio* seu *triclinio*. Propria pro *Dormitorio*: propria pro *cellario*. Item pro *Scriptorio*; (sic appellat locum, vbi scriptioni & lectioni opera datur) pro *hospitali*, (hoc est, pro loco, vbi hospites recipiuntur) pro *area*, pro *area noua*, pro *granario*, pro *pistrino*, pro *coquina* seu *culina*, pro *lardario*, hoc est, *carnario*, vbi caro, & similia esculenta asseruantur: pro *puteo*, pro *caminata*; hoc est, pro loco, vbi caminus, ad quem homines, se calefaciunt. Est etiam in Romano Missali benedictio pro *noua naui*: quæ nec Græcis ignota est, vt nec illa, pro *noua domo*, pro *area*, pro *camino*, pro *puteo*. Etiam *retia* piscatoria Græci benedicunt; & *sementem*. Quarum benedictionum formulas in Euchologio Græcorum reperies.

Alicubi specialem benedictionem habent pro *lardo*. Danæus Caluinista hanc benedictionem *lardi* semper in ore gerit, vt suspicer lardo admodum delectatum. Apostolus vniuersè pronunciauit, *omnem creaturam* per verbũ Dei & orationem sanctificari. Cur non & lardum? An non & ipsum creatura Dei? Alicubi benedicũt *aquam* in festo Inuentionis & Exaltationis sanctæ Crucis; imposita sancta Cruce in aquam, idque in eum finem præcipuè, vt sit remedium iis, qui ardente febre discrutiantur; nam in benedictionis formula ita oratur: *Præsta nobis per Inuocationem nominis tui, vt hæc* *Vide Rituale Parochorum editum à Georgio Bartholdo Pontano, Præposito Pragensi.*

aqua tactu eiusdem sanctæ Crucis sanctificata, famulis tuis, quos ardens febris excruciat, proficiat ad corporis & animæ salutem.

Alicubi benedicuntur in festo Natiuitatis Deiparæ Virginis, & in festo S. Marci, *Semina* & *segetes.* In festo S Agathæ, *panis* & *aqua*: alia aliis temporibus; rectè & laudabiliter, si ex more & approbatione Ecclesiæ; si non vniuersalis; saltem alicuius particularis; nã particulares quoq; consuetudines præsertim integrę alicuius diœceseos, maiorum auctoritate subnixæ, nequaquam repudiari debent: benedictio enim florum & herbarum *in Festo Assumptionis B. Virginis,* nec ab vniuersali Ecclesia; nec etiam à cunctis Ecclesiis in Germania vsurpatur. Et tamen sanctam ac salutiferam esse; quis abnuat, nisi pietatis expers?

Porrò inter res benedictas primatum quodammodo aqua benedicta obtinet; Quocirca etiam aquâ benedictâ omnes fermè res benedictæ, benedictione finita, asperguntur.

Cum autem in hoc secundo libro disputemus de benedictionibus, quibus res consecrantur, & ex profanarum numero eximũtur, fatendum est, non paucas benedictiones hoc capite enumeratas pertinere forsan ad primum librum; nam vt exemplis res clarior euadat; licet domus, area, nauis, benedicantur; non ideo dedicata & consecrata censentur, sicuti Ecclesia, vel cœmeterium, quãdo benedictionem accipiunt; nam ista dedicantur & sacrantur, ita vt non habeantur amplius pro profanis; at domus, nauis, puteus, area, & similia, etiam post benedictionem profana censentur; quia non dedicantur; sed tantum Deus rogatur, vt noxia quæque inde expellat; vsumque mortalibus salutarem esse velit; prout accidit quoque in communi benedictione mensæ, de quo iam libro primo disseruimus.

Baron. Tom. 11. Anno 1061. N. 61. Alexander II. Pontifex dedit Herimbaldo, viro strenuo & indefesso, vitiorum & Hæreticorũ oppugnatori *mirificum vexillum,* (proculdubio benedictum) *vt quoties Hæreticorũ insania vltra modum insaniret, illud in manu tenens eos reprimeret: quod constanter per decem & octos annos fermè impleuit.* *Bar. 1066.* Idem Alexander simile vexillum misit ad Wilhelmum Comitem Nortmanniæ, vt Haraldum Tyrannum, occupantem regnum Angliæ, post obitum S. Eduardi Regis, expelleret: vt Auctor est Ingulphus, & post eum Matthæus Westmonasteriensis *in Floribus*: qui obtenta victoria in signum gratitudinis vexillum Haraldi occisi ad Alexandrum Papam misit.

In

In Romano Cæremoniali exstat benedictio ensis & militis; Habebant etiam Angli olim ritum consecrãdi militem: cuius formam Ingulphus in sua Historia describens ait: *Anglorum erat consuetudo, quod qui militiæ legitimè consecrandus esset, vespera, præcedente diem suæ consecrationis, ad Episcopum, vel Abbatem, vel Monachum, vel Sacerdotem aliquem, contritus & compunctus de omnibus suis peccatis confessionem faceret, & absolutus, orationibus, & deuotionibus, & afflictionibus deditus, in Ecclesia pernoctaret: in crastino quoq; Missam auditurus, gladium super altare offerret, & post Euangelium Sacerdos benedictum gladium collo militis cum benedictione imponeret, & communicatus ad eandem Missam sacris Christi Mysteriis denuo miles legitimus permaneret.*

CAPVT L.

De abusu benedictionis.

VIx quidquam adeo sanctum ac venerãdum est, quo improbitas hominum, Diaboli instinctu, non soleat abuti. Ne benedictionibus quidem parcitum est: quæ ad illicitos fines relatæ; vtinam hodieque non referrentur. Fuerunt enim, qui ex benedictionibus lucra captarent, iisdemque, tanquam instrumentis, simpliciores in sua retia pertraherent: de quibus Apostolus: *Per dulces sermones & benedictiones seducũt corda innocentium.* *Rom. 16.* Qui quales essent, declarat ibidem Apostolus: dum eos dissensionum & offendiculorum disseminatores, & ventris sui, non Christi Domini seruos appellat. Etsi autem *benedictionis* nomen hoc loco potissimum pro adulatione seu assentatione accipiatur; quia tamen huiusmodi assentatores, iis, quibus adulantur, optima quæq; & prosperrima tertio quoque verbo adprecantur; non immeritò *benedictionis* nomine, prædicto S. Pauli loco, etiam faustam apprecationem intelligimus. De quo benedictionis genere S. Hieronymus. *Sacerdotum benedictiones vertuntur in maledictionem: quando non benedicunt sanctis ex vero cordis affectu, sicut Isaac, Iacob: & Iacob Patriarchis, & Moyses duodecim tribubus: sed per dulces sermones, & benedictiones decipiunt corda innocentium, & qui iniquè agunt, benedicuntur ab eis* (non tantum laudãdo, sed & prospera precando) *adulanturq; peccatoribus dummodo diuites sint, atq; eorum vitiis blãdiuntur de quibus dicitur*: Populus meus, qui beatos vos dicunt, seducũt vos, & semitas pedum vestrorum supplantant. *S. Hier. in cap. 1. Malach.*

Tales sunt Hæreticorum benedictiones; quia & adulatoriè dulces sunt, & seductrices; & falsò etiam cælestium bonorum precatrices, quibus suis in Epistolis Caluinus crebrò vtitur pro Clausula; vbi suauiter iis, ad quos scribit, *benedictionem* impertitur, sed nuce cassa cassiorem: quam si B. Dauid audiret vel legeret; suum illud odarium accineret: *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur.*

Secundò adhiberi solent benedictiones magno abusu, ne, dicam sacrilegio, ad effectus quosdam procurandos, ad quos nec ex Dei, nec ex Ecclesiæ instituto, sed ex sola hominum temeritate ordinantur. Tales sunt benedictiones aquæ calidæ, & aquæ frigidæ, quæ solennibus cæremoniis instituebantur priusquam quis aqua calida aut frigida innocentiam suam probaret. Formulæ exstant apud Martinum Delrium. Vnam profert itidem Goldastus Caluinista inter *Alamannicæ Ecclesiæ veteris* benedictiones, vt ipse quidem nominitat. Quasi solis *Alamannis*, non potius plerisque gentibus, quæ Romanum Imperium variis in partibus Orbis inuaserant; benedictio aquæ calidæ vsitata fuerit; vt & *benedictio ferri*, ad eundem finem introducta. Pari *peritia* vocat iste Benedictionem *Cerei Paschalis & Ignis* in Paschate, *benedictiones Ecclesiæ Alamannicæ.* An sola ista Ecclesia benedicebat aut benedicit Cereum Paschalem, & *Ignem* pridie Paschatis? An non iste ritus cæteris per orbem Christianum Ecclesiis communis est? cumque non adferat alias benedictiones, nisi Cerei & *Ignis* Paschalis, & aliam; *super incensum cereum*; & præterea duas superstitiosas *ferri & aquæ ad iudicium*; occultè lectori persuadere cupit; Ecclesiam veterem in Alamannia alias benedictiones, vt aquæ, salis, panis, olei, vini, palmarũ, &c. nec agnouisse, nec vsurpasse. Qua ex re fraudulentia Caluiniana insigniter elucet.

Delr. lib. 4. Mag. Disquisit. c. 4. Q. 4. sect. 4. Gold. Tom. 2. Alaman. script.

Doctè autem distinguit Caluinista duplicem benedictionem Ecclesiasticam; alteram, *canonicam*; alteram, *vulgarem*. Canonicam id nominis sortitam, *quòd legitimè, & ex Canonum fieret permissione.* Volebat opinor, certè debebat, Caluinista dicere; Duplicem esse probationem seu purgationem; alteram, Canonicam; alteram, vulgarem; De vtraque proprius exstat Titulus lib. 5. Decretalium; vbi vulgaris purgatio cum omnibus ei annexis, atque adeo etiam cum prægressa benedictione prohibetur ac reprobatur: Canonica, stabilitur, & commendatur. Purgatio igitur seu probatio hunc in modum

modum diuiditur; Qui benedictionem in ista membra diuiserit; priorem hoc Caluinicola neminem noui.

Porro benedictiones istas rebus ad purgationem vulgarem vsurpandis impertiri solitas prohibuit Innocentius III. In Concilio Lateranensi, præcipiens, ne *vllus Clericus purgationi aquæ feruentis, aut frigidæ seu ferri candentis, cuiuslibet benedictionis aut consecrationis ritum impendat*: Et ipsæ Purgationes huiusmodi, lib. 5. Decretalium proprio titulo proscribuntur & exterminantur; vt & apud Gratianum. Neque vnquam potest benedictio esse licita, & Deo grata, quando adhibetur rei, per quam Deus tentatur, vt effectum producat; quem se talis rei interuentu producturum nec ipse per scripturas promisit; nec per Ecclesiam patefecit. Nuspiam enim Deus nobis declarauit, se innocentis innocentiam & nocentis nocentiam manifestaturum, si ille illæsus ex aqua calida aut frigida, aut ab ignito ferro abiret; iste verò, læsus. Multo minus occultam veritatem per Monomachiam pandere pollicitus est. Quapropter arma ad Monomachiæ vsum benedicere, nefas erat, & etiamnum est, si quis hoc facere tentaret. Hinc Agobardus, Episcopus Lugdunensis, qui sub Ludouico Imp. claruit, duplex opusculum aduersus istam consuetudinem euulgauit: quorum alteri hanc inscriptionem dedit. *Liber de diuinis sententiis digestus cum breuissimis annotationibus contra damnabilem opinionem, putantium diuini iudicij veritatem igne vel aquis, vel conflictu armorum patefieri.*

Huc pertinent etiam benedictiones illæ, quas Germani vocant Segen/ & benedicere, Segnen/ quæ, apud Idiotas præsertim, & vetulas, vsitatissimæ sunt; & vsque adeo inueteratæ, vt earum omnimoda exstirpatio videatur difficillima; si non omnino impossibilis. Nec refert, quamuis sacrosanctis verbis constent; hoc ipso enim, quòd nec à Deo, nec ab Ecclesia institutæ sunt; superstitiosum & profanum est, eas ad illos effectus producendos adhibere, quibus producendis nec ex Dei, nec ex Ecclesiæ ordinatione pares sunt, & si quando effectus, quem exspectant, & exoptant, sequatur, non nisi implicito Dæmonis pacto adscribi potest, qui sub his speciosis benedictionibus latitans rem suam gerit, inque Angelum lucis transfiguratus, mortalibus miserabiliter illudit.

CAPVT

CAPVT LI.

Cur hodie per benedictiones, rerumque benedictarum vsum miracula patrari non videantur.

POssem breuiter respondere, id fieri, (si fiat) ea de caussa, qua factum est, cur Christus Dominus sua in patria vel nulla, vel pauca miracula ediderit. *Non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem illorum*, inquit S. Mattheus. Disertius adhuc S. Marcus. *Et non poterat ibi virtutem vllam facere, nisi paucos infirmos, impositis manibus, curauit; & mirabatur propter incredulitatem eorum.*

Matth. 13. Cap. 6.

Vt igitur hic miraculis patrandis *incredulitas* obstitit, ita & nũc forsan obsistere posset; quando pleriq; benedictiones, & res benedictas in postremis ducunt, & exiguo honore dignantur, si non omnino aspernantur; nam & contemptus, comes incredulitatis; miraculorum obex est: Nec populares Christi Christo tantum nõ credebant; sed & eundem contemnebant: dictitantes, haud sine despectu. *Nonne hic est faber, filius Mariæ, &c. Nonne & sorores eius hic nobiscum sunt?* Nec quidquam honoris & reuerentiæ ei deferebant. Qua occasione Dominus axioma illud protulit: *Quia non est Propheta sine honore, nisi in patria sua.* Iure igitur fructu miraculorũ priuati sunt: Iure his etiam temporibus eius fructus exsortes manent, qui & incredulitate & contemptione benedictionũ rerumque benedictarum laborant.

Deinde Respondeo, etiam hoc æuo miracula per benedictiones & res benedictas fieri; sed, quæ nunc est socordia hominũ, vix obseruari, nec ad plurium notitiam studiose diffundi. Vtar hic verbis S. Augustini. *Etiam nunc fiunt miracula in eius nomine, siue per sacramenta eius, siue per orationes, vel memorias sanctorum eius, sed non eadem claritate illustrantur, vt tanta, qua illa* (quæ sacris literis produntur) *gloria diffamentur. Canon quippe sacrarum literarum, quem diffamatum esse oportebat, illa facit vbiq; recitari, & memoriæ cunctorum inhærere populorum: hæc autem vbicunque fiunt, ibi sciuntur vix à tota ipsa ciuitate, vel à quocunque commanentium loco: nam plerunque etiam ibi paucißimi sciunt, ignorantibus cæteris, maximè si magna sit ciuitas; & quando alibi aliisq; narrantur, non tanta ea commendat auctoritas,*

S. August. lib. 22. de Ciuit. Dei, cap. 8.

tur, vt sine difficultate vel dubitatione credantur, quamuis Christianis fidelibus à fidelibus indicentur. Fiunt ergo etiam nunc miracula, inquit sanctus Augustinus, *eodem Deo faciente per quos vult, & quemadmodum vult, qui & illa, quæ legimus, fecit; sed ista nec similiter innotescunt, neq; vt non excidant animo, quasi glarea memoriæ, crebra lectione tunduntur: nam & vbi diligentia est, quæ nunc apud nos esse cœpit, vt libelli eorum, qui beneficia percipiunt, recitentur in populo, semel hoc audiunt, qui adsunt, pluresq; non adsunt, vt nec illi, qui adfuerũt, post aliquot dies, quod audierunt, mente retineant, & vix quisquam reperiatur illorũ, qui ei, quem non adfuisse cognouerit, indicet, quod audiuit.*

Hæc pulchrè & verè & ad nostra itidem tempora accommodatè S. Augustinus: Certum enim est in Ecclesia Catholica, cum aliis modis, tum benedictionum & rerum benedictarum vsu multa & luculenta miracula edi. Sed minus cognosci; eò quòd minus sedulò propalentur ac diuulgentur; seu scriptis, seu mutuis relationibus; multique ita comparati sunt, vt omnia potius, quàm hæc & similia nosse ac cognoscere velint. Et tamen si nosse vellent; nosse vtique possent. Quam enim illustria sunt illa miracula, quæ, nostro æuo, per aquam benedictam patrata scribit in sua *Hydragiologia* Illustrissimus Marsilius Columna, Archiepiscopus Salernitanus? Quæ non exscribo. Liber in promptu est. Mihi occurrit illud diui Augustini: *Quisquis adhuc prodigia vt credat* (benedictionibus & rebus benedictis) *inquirit, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente non credit.*

Marsil. Hydrag. sect. 3. cap. 6. à Num. 51. vsque ad Num. 70.

De miraculosis effectibus imaginum cerearum, quas *Agnos Dei* nominamus, multa recentia exempla profert Delrius. Vt memorabile, ita multis notissimum est illud, quod annis superioribus Monachij, Boiorum Metropoli, accidit: cum enim ingenti & sæuissimo incendio totum armamentarium conflagrasset, omniaq; vel flammis absumpta, vel liquefacta fuissent, lignea cistula, quæ consecratas *Agni Dei* imagines continebat; nonnihil ab igne ambusta quidem est; sed saluis penitus, ac illæsis *Agni Dei* Icunculis; ita vt flamma illa voracissima; quæ nihil intactum reliquerat, sacras has effigies ne attigerit quidem, nec vel paululùm liquefecerit. Cui rei adhuc locupletes testes supersunt, & inprimis *R. P. Matthias Mairhofer*, Societatis nostræ Theologus, qui affirmat se multis annis vnum de numero harum imaginum tam contra naturæ leges seruatarum, ex collo pensilem gestasse.

Delr. lib. 6. Disquisit. Magicarũ cap. 2. sect. 2. Q. 3.

Huius simile prorsus est miraculum, quod Walafridus Strabo in vita S. Galli commemorat. *Temporibus Carolomanni Maioris domus, miraculum memoria dignum, per meritum sancti Patris effectum, huic operi inserere iudicauimus. Vir quidã pauperculus in pago quodam, ex summa deuotione cum vxore sua ad cellam beati Galli, caussa orationis, properare disposuit. Cuius intẽtione deuotionis, dum mulier pallulam, quam in loco sancto oblatura erat, contextam parauisset, inuoluit ea formellam ceræ, quam simul oblatum ire cogitabat, & in arca sua, inter alia vestimenta, reposuit. Contigit autem, dum ire pararent, domum illorum, cum omnibus, quæ intra villam erant, rebus, igne cremari: cumq; consumptis omnibus, flamma cessante, sopitum fuisset incendium, cœperunt inter fauillarum cumulos, ferramentorum reliquias quæritare. Et ecce inueniunt, mirum dictu, ceram pallula inuolutam, inter cinerem & carbones, nihilque in eis læsionis apparuit, cum ipsam arcam, & quidquid aliud in ipsa repositum erat, penitus consumpsisset incendium. Viso igitur tãtæ virtutis miraculo, benedixerunt, & iter, quod disposuerunt, peregerunt, & narrantes fratribus, quæ gesta fuerant, obtulerunt donarium, quod huic voto consecratũ in supremis non poterat perire periculis. Seruatæ sunt eadem res in testimonium pòst futuris vsque ad tempora Othmari Abbatis.* Hæc Walafridus.

Addo insuper, nos vsu rerum benedictarum aliquando etiam nescientes beneficia diuinitus accipere. Quoties enim vel tibi, vel rebus tuis damnum inferretur, nisi illud vel aqua benedicta, vel alia quapiam re sacra auerteres? Multis exemplis notum est, veneficos aliosque Dæmonis satellites & administros, hominibus vel pecoribus nocere voluisse, nec potuisse; quòd præsentia rerum benedictarum impedirentur. Rectè igitur rebus suis consulunt, qui in conclauibus, itemq; vbi pecora stabulantur, aquam benedictam vel spargunt, vel certo loco in vrceolis suspendunt. Idemque dictum sit de *Agni* cælestis imagine, cereis palmis consecratis, & id genus aliis Ecclesiasticis *Phylacteriis.*

Tom. 3. Concil. In Concilio Nannetensi Presbyteris hæc lex præscripta est. *Cum sacerdos audierit aliquem infirmari in sua plebe, quam citius ad eum pergat; & ingressus cubiculum, aquam benedictam super eum, & per omne cubiculum aspergat, cum Antiphona;* Asperges me, &c. Additur in fine Canonis: *Data benedictione recedat sacerdos, non post multum reuersurus.*

Ex

Ex veteri quodam libro sacerdotali profert Marsilius Columna etiam hoc decretum, quasi à Nannetensi synodo promulgatū, licet in ea non compareat. *Omnibus diebus Dominicis vnusquisq; Presbyter in sua Ecclesia ante Missarum solennia aquam benedictam faciat, in vase nitido, & tanto mysterio conueniente, de qua populus intrans Ecclesiam adspergatur, & atrium eiusdem Ecclesiæ cum crucibus circumeundo similiter aspergat, & pro animabus ibidem quiescentibus oret: & qui voluerit, in vasculis suis accipiat ex ipsa aqua, & per mansiones, & agros, & vineas, super pecora quoque sua, atq; super pabula eorum, nec non super cibos & potum suum conspergat.* Eadem fermè recitant Centuriatores ex libro Rheginonis de Disciplina Ecclesiastica. Sed vulpinè innuunt, morem hunc decimo demum post natum Christum sæculo, exstitisse. Quorum vanitatem redarguunt plurima exempla suis iam locis recensita, quæ decimum sæculum longè antecesserunt. *Marsil in Hydragiol. sect. 2. c. 3.* *Cent. 10. cap. 6.*

In Capitularibus Francicis præcipitur, *vt Presbyter die Dominico circumeat Ecclesiam suam, vnà cum populo, & aquam benedictam secum ferat.* Quæ omnia eo fine præcepta sunt, hodieque præcipiuntur & obseruantur, vt noxia quæque depellantur; Nec dubito, res benedictas sæpe etiam à non cogitantibus, imò & à nescientibus damna amoliri, in quæ incurrerent, nisi hoc præsidio tecti munitique essent. *Lib. 5. cap. 220.*

Finis libri secundi.

LIBER TERTIVS
Qui est
DE MALEDICTIONIBVS.

CAPVT PRIMVM.
Quid sit maledictio.

DIsputauimus de benedictione, eiusque effectibus. Nunc agendum de maledictione, & iis, quæ inde sequuntur, quia maledictio, vt vocabulo, ita & reipsa benedictioni opponitur. Si vocem spectes, vtraque à *Dico* originem trahit; solis *Aduerbiis*; *Bene* & *Malè*, differunt: Significatione maximè discriminantur; nam benedicere est bona optare ac imprecari; maledicere; mala: vt ipsa nomina satis per se indicant. Græcè etiam εὐλογεῖν & κακολογεῖν, εὐλογία & κακολογία, plurimum significatu; voce perparum discrepant, sicuti latina.

Matth. cap. 15. Marci c. 7. Verbo κακολογεῖν vtitur S. Matthæus & S. Marcus, alioqui vbi vulgata nostra versio: *maledictionis* vocabulum ponit, Græcè plerunque est ἀρὰ vel κατάρα; vt apud S. Iacobum, *ex ipso ore procedit* εὐλογία καὶ κατάρα. Ibidem, vbi nos: *In ipsa benedicimus Deum & Patrem, & in ipsa maledicimus homines.* Græcè καταρώμεθα τοὺς ἀνθρώπους. *Cap. 3. Psalm. 13.* Apostolus ad Romanos; ὧν τὸ στόμα ἀρᾶς καὶ πικρίας γέμει. *Quorum os maledictione & amaritudine plenum est.* Beza, vt lectores suos latinitatem doceret. *Quorum os diris & amarulentia plenum est.* Est quidem *deuouere diris*, maledicere; cum qui *diris deuouet*, pessima quæque optet ac imprecetur; longè tamen plures legentes Apostolum Paulum intelligent, quid sit maledictio, quàm quid *Diræ*, quidque *maledicere*, quàm *diris deuouere*.

1. Petri 2. Noster Interpres aliquando etiam verbum λοιδορεῖν & nomen λοιδορία reddidit, *maledicere* & *maledictio*; vt apud S. Petrum, ὃς λοιδορού-

λοιδορούμενος, οὐκ ἀντελοιδόρει. *Qui cum malediceretur, non maledicebat*; & qui S.Paulo est λοίδορος, is Interpreti nostro est *maledicus*. Beza vbique, *conuicia* & *conuiciari*. *Conuiciis affectus, non vicissim conuiciabatur*. Est quidem λοιδορία *conuicium*; (quamuis non omne conuicium, sit maledictum: propriè loquẽdo de maledicto, potest enim quis alteri conuicium dicere; & tamen nihil mali optare vel imprecari) Interpres tamen noster *maledicendi* verbo vti maluit; quia λοιδορεῖν generatim sumptum nihil est aliud, quàm κακολογεῖν seu maledicere itidem generatim acceptum, quamuis nos in præsentia strictè accipimus, pro actu, quo quis vel sibi vel alteri mala optat & imprecatur. 1. Cor. 5. & 6.

Vt autem benedictio, maximi facienda & exoptanda est; sic maledictio plurimi æstimari, & summo studio vitari debet; quam nemo facilius sibi accersit, quàm qui benedictionem contemnit, præcipuè si contemptus sit enormis, & animi vehementer ingrati index, iuxta illud B. Dauidis; *Dilexit maledictionem, & veniet ei; & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.* Et sæpe fit, vt ob nimiam improbitatem & ingratitudinem induat quis maledictionem, *sicut vestimentum, intretque sicut aqua in interiora eius, & sicut oleum in ossibus eius.* Qui miserrimus sanè status est; quando homo & interius, & exterius, & in intimis etiam medullis maledictione plenus est. Psalm. 108.

CAPVT II.

Maledictionem aliquando esse licitam.

MAledictionem aliquando licitam esse; probatur primò, Exemplo Dei, quem interdum hominibus, aliisque rebus maledixisse, sacrarum literarum monumentis compertũ habemus; cuius maledictio, vt & benedictio, practica est; quia vt hæc bona; quæ optat, largitur; ita & illa, malum, quod imprecatur, infert, vel inferri permittit, Maledixit Deus in ipso statim mundi ortu serpenti: *Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ.* Maledixit præterea terræ. *Maledicta terra in opere tuo.* Alibi: *Iste consolabitur nos ab operibus & laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus.* Alibi, promittit se non amplius *maledicturum terræ propter homines.* Genes. 3. Ibid. Genes. 5.

Abrahæ hoc inter cætera Deus pollicitus est. *Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi.* Et passim in scri- Genes. 12.

ptura Deus vel maledicit, vel maledictionem minatur, præcipuè
Deut. 27. & 28. in Deuteronomio, vbi horrificas maledictiones videre licet, quibus Deus Israëlitas à malo auertere, & ad bonum sectandum conuertere volebat. Sed vix illustrius exemplum maledictionis suppetit, quàm aqua Zelotypiæ ab ipso Deo instituta, in quam tot male-
Num. 5. dicta congerebantur, quæ etiam ad mulierem, si adulterij rea esset, migrabant; postquam ebibisset aquam illam, prout ebibere necesse erat.

Secundò, maledictiones aliquãdo licitas esse, docemur etiam
Marci 11. exemplo Saluatoris nostri; qui ficui, rei rationis experti, maledixit; & quidem tam efficaciter, vt statim exaruerit: nam postridie *cum transirent, viderunt ficum aridam factam à radicibus. Et recordatus Petrus, dixit ei: Rabbi, ecce ficus, cui maledixisti, aruit.*

Tertiò, idem probatur sanctorum virorum exemplis; nam
Genes. 9. Noë maledixit Cham, vel potius Chanaan, filio eius, & posteris.
Iob 3. Iob *maledixit diei, in qua natus est.* Hieremias: *Maledicta dies, in qua*
Hier. 20. *natus sum, dies in qua peperit me mater mea, non sit benedicta. Maledictus vir, qui annunciauit patri meo, dicens: natus est tibi puer masculus.* Helisæus pueris sibi illudentibus: *Maledixit in nomine Domini: egressique sunt duo vrsi de saltu, & lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros.*

Beati Dauidis Psalmus centesimus octauus terrificis maledictionibus refertus est. *Constitue super eum peccatorem, & Diabolus stet à dextris eius; cum iudicatur, exeat condemnatus, & oratio eius fiat in peccatum. Fiant dies eius pauci, & Episcopatum eius accipiat alter. Fiant filij eius Orphani, & vxor eius vidua, &c.* Vt omittam alias huius generis κατάρας, vel ipso auditu formidabiles. Quamuis plerique arbitrentur nõ esse *maledictiones*, nisi solis verbis; sensu autem prædictiones eorum malorum, quæ impiis euentura sint; ita vt quæ imperandi formam habent, in eam speciem; quæ verbis de futuro congruit, transmutentur. *Constitues super eum peccatorem, & Diabolus stabit à dextris eius: cum iudicatur, exibit cõdemnatus. Fient dies eius pauci, & Episcopatum eius accipiet alter, &c.* Cui sententiæ multum ponderis conciliat, quòd ipsemet S. Petrus hæc, *prædictionem* nominat: *Oportet impleri scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per*
Actor. 1. *os Dauid de Iuda &c.*

Num. 5. In eandem sententiam explicari possunt diræ illæ sacrificij Zelotypici. *Det te Dominus in maledictionem, exemplumque cunctorum in populo*

populo suo, putrescere faciat femur tuum, & tumens vterus tuus disrumpatur: ingrediantur aquæ maledictæ in ventrem tuum, & vtero tumescēte putrescat femur. Quæ omnia non tam optantis, quàm prædicentis esse videntur: nam ante has diras proximè antecedit; *his maledictionibus subiacebis*; vt proinde eius, quod immediatè subiungitur: *Det te Deus in maledictionem*; sensus sit; *Dabit te Deus in maledictionem putrescere faciet femur tuum, &c.* Et in Deuteronomio, vbi integer maledictionum catalogus texitur, maledictiones aliquando optātis seu imprecantis; aliquando prædicentis & futura vaticinantis proponūtur; *Venient super te omnes maledictiones istæ, & apprehendent te. Maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro, &c. Mittet Dominus super te famem & esuriem, & increpationem in omnia opera tua, quæ facies.* Post hæc mutatur locutionis forma; *Percutiat te Dominus egestate, febri & frigore, ardore & æstu, & aëre corrupto ac rubigine, &c. Sit cælum, quod supra te est, æneum, & terra, quam calcas ferrea.* Deut. 28.

Nihil tamen vetat hæc & similia sacrarum literarum loca accipere, modo & sensu imprecatorio: neque enim Charitati proximo debitæ aduersatur ei imprecari mala, non vt mala sunt; sed vt sunt bona quædam iustitiæ diuinæ vel humanæ ac politicæ; Cum enim peccatores iustè à Deo & à legitimo magistratu pœnis afficiantur; iure & Deus, & magistratus, & homo etiam priuatus expetere potest, vt iste vel iste pœnas luat; quo iustitiæ bonum promoueatur, eique legitimè satisfiat.

Fas insuper est mala optare, vt vergūt in bonum vel ipsius, cui malum imprecor, vel aliorum, qui inde exemplum capiant; moniti q; iustitiam amare, & non temnere diuos discant. Quo pacto viri etiam sancti peccatoribus morbos & flagella à Deo precari solent; vt à peccatis desistant, & pœnitentiam agant; vtque vitâ doctrina, moribus & exemplo proximis perniciosi esse desinant; imò & soli intereant, si forte corrigi nolint; melius est enim, vt pereat vnus, q̃ vt plures in idem exitij barathrū præcipitentur: neq; optare, vt talis è medio tollatur, actus odij est, sed charitatis erga bonū cōmune.

Creaturis rationis expertibus nō maledicitur, nisi respectu ad hominem, quem in harū rerum maledictione vel puniri (seu meritò, seu immeritò) vel instrui; vel etiam à læsione præseruari optamus. Cur enim serpentibus, & id genus aliis venenatis animalibus, itemq; locustis, bruchis, erucis, fruges arboreosq; fœtus depascentibus, maledicimus; nisi quia homini, & rebus, quæ ad vsum hominis spectant, nocere solent? Quam-

Quamuis autem seriò ac deliberatè, & absque iusta caussa, maledicere, grauis culpa sint, nisi materiæ exilitas culpam extenuet; sæpe tamen, licet verba sint seria, mens non est seria: vt cum matres filiis, equites & aurigæ equis, & alij id genus aliis maledicunt. Lingua enim mentem plenamq; considerationem ac deliberationem crebrò anteuertit; & renouatur Apologus ille Æsopicus de matre, quæ infantulo ploranti minabatur, lupo se eum deuorandum obiecturam, ni sileret. Ratus igitur lupus seriò loqui aniculam, exspectabat ad multam horam, donec optata esca faucibus suis obueniret: sed cum iam aduesperasceret, audiit lupus matrē pusioni suauiter blandientem, dictitantemque; *si venerit lupus huc, interficiemus eum, fili.* Huius generis sæpe sunt maledictiones temerè ac præcipitanter, & absque circumspectione effusæ: cauendæ tamen sedulò; nam & his, iusto Dei iudicio, interdum suus est effectus.

Ad extremum maledictionem aliquādo licitè vsurpari ostenditur exemplis sanctorum virorum noui Testamenti, quorum nonnulla sequentibus capitibus percensebimus.

Capiti huic finem imponat S. Gregorius, cuius verba ea, quæ hic tradidimus, non parum illustrabunt. *Sciendum est, quod scriptura sacra duobus modis maledictum memorat; aliud videlicet, quod approbat; aliud, quod damnat: aliter enim maledictum profertur iudicio iustitiæ, aliter liuore vindictæ; maledictum quippe iustitiæ iudicio, ipsi primo homini prolatum est, cum audiuit; maledicta terra in opere tuo. Maledictum iudicio iustitiæ profertur, cum ad Abraham dicitur: Maledicam maledicentibus tibi. Rursum, quia maledictum non iudicio iustitiæ, sed liuore vindictæ promitur, voce Pauli Apostoli prædicantis admonemur; qui ait; benedicite, & nolite maledicere. Et rursum: Neque maledici regnum Dei possidebunt: Deus ergo maledicere dicitur, & tamen maledicere homo prohibetur, quia quod homo agit malitia vindictæ, Deus non facit nisi examine & virtute iustitiæ.* Cum ergo *sancti viri maledictionis sententiam proferunt, non ad hanc ex voto vltionis, sed ex iustitia examinis erumpunt. Intus enim subtile Dei iudicium aspiciunt, & mala foris exsurgentia, quia maledicto debeant feriri, cognoscunt, & eò in maledicto non peccant, quò ab interno iudicio non discordant.* Hæc S. Gregorius.

S. Greg. lib. 4. Moralium in Iob cap. 6.
Genes. 3.
Genes. 12.
Rom. 12.

CAPVT

CAPVT III.

Exemplum maledictionis à S. Iacobo Nisibeno Eremita aduersus puellarum quarũdam impudentiam prolatæ.

EXstat apud Theodoretum in *Philotheo* seu Historia Religiosa his verbis. *Illo tempore venerat* (Iacobus) *in Persidem, visurus plantas veræ religionis, & ei, quam erat curam adhibiturus. Cùm is autem fontem transmitteret, puellæ quædam, quæ pannos lauabant, & vestes pedibus emundabant, ne nouum quidem, & qui decentem præ se ferebat grauitatem, sunt reueritæ habitum, sed exuto pudore, & perfricta facie, & impudentibus oculis diuinum hominem efficiebant, neq; capita operientes, neq; vestes quas succinxerant demittentes. Hoc cum ægrè tulisset homo Dei, & vellet Dei virtutem in tempore ostendere, vt facto miraculo liberaret ab impietate, fontem quidem est execratus, & fluentum confestim euanuit. Puellas quoq; est execratus, & impudentem earum iuuentutem castigauit canis ante tempus inductis, & sermonem factum est consecutum, mutatusq; est nigror pilorum: & similes euaserunt nuper plantatis arboribus, quæ verè circumtectæ sunt foliis autumnalibus. Eæ autem cùm sic sensissent supplicium (nam & fontis fluenta effugerant, & sua inuicem capita intuentes, videbant repentinam illam mutationem) cursu ad vrbem contenderunt, renunciaturæ illud, quod acciderat. Illi autem cum accurrissent & magnum Iacobum offendissent, rogauerunt, vt iram compesceret, & supplicium remitteret. Ille autem nõ diu cunctatus, Domino quidem preces obtulit: fluenta autem rursus scatere iussit. Illa verò mox rursus è suis emanarunt penetralibus, iusti deriuata nutibus. Illi autem, cum hoc impetrassent, petebãt vt filiarum quoq; earum crinibus color suus redderetur. Aiunt autem eum hoc quoq; concessisse, requisiisse autem puellas quæ illam acceperãt disciplinam, & quoniam non venerunt, reliquisse supplicium, documentum temperantiæ, & argumentum moderationis, & diuinæ virtutis perpetuum & euidens monimentum. Tale est noui huius Mosis miraculum, quod quidem non factũ est virga percussione, sed operationem accepit signo crucis. Ego autem, præter miraculum, valde quoq; miror mansuetudinem. Neq; enim vt magnus Elisæus, impudentes illas puellas vrsis tradidit immanibus: sed quadam innoxia disciplina, & quæ dedecoris parum habebat, vsus, pietatem*

ſimul docuit & moderationem. Hæc autem dixi, non vt Prophetam ſæuitiæ accuſem, abſit vt adeò inſaniam: ſed vt oſtendam quòd cum eandem haberet virtutem, ea effecit, quæ congruebant Chriſti manſuetudini & nouo teſtamento.

Idem ſanctus vir ingenti cuidam ſaxo maledixit, vt maledictione & miraculo inde ſubſecuto Iudicem quendam ad reſcindẽdam iniquam ſententiam induceret. Rem ita narrat Theodoretus. *Cum* (Iacobus) *aliquando vidiſſet Iudicem Perſam iniquam tuliſſe ſententiam, quendam maximum lapidem, qui prope ſitus erat, execratus, iuſſit eum conteri & diſpergi, & illius iniquam arguere ſententiam. Lapide autem ſtatim comminuto in particulas innumerabiles, cõterriti fuere, qui aderant, horrore autem plenus iudex, reuocauit quidem priorem, alteram autem iuſtam tulit ſententiam. Et hic quoq; ſuum Dominum eſt imitatus: qui eum vellet oſtendere ſe ſua ſponte ac lubentem ſubire paſſionem, & facile, ſi voluiſſet puniiſſet ſceleratos, nõ eis intulit ſupplicium, ſed ficum inanimam verbo arefaciens, ſuam oſtendit virtutem. Hanc ipſe quoque imitans clementiam non puniit iniuſtum iudicem: ſed ictu lapidis illum docuit iuſtitiam.*

Q. 117. Auctor Quæſtionum ad Antiochũ huiuſmodi quæſtionem, inter cæteras, proponit. *Si ſanctus aliquis vir* παιδείαν ἢ τιμωρίαν, *caſtigationem, aut pœnam, aut dæmonem, aut mortem, aut aliam quampiam animaduerſionem immiſerit in dominum, aut in ſubſtantiam ſeu facultates, aut in liberos alicuius immiſerit, poteſtne ille homo, inuocato alio ſancto, allaborare, vt effugiat ſententiam maledictionis à priore ſancto latæ?* Senſus eſt; Num ſi quis ſanctus alicui maledixerit; liceat, implorata ope alterius ſancti, maledictionis iaculum declinare? Reſpondet Auctor. *Si ſanctus ſit ille vir, qui pœnam* (maledicendo) *inmiſit, euidens eſt, id, voluntate Dei, ab illo factum Et quis de cætero eſt qui conſilium Dei diſſoluere queat? Neque ipſi ſancti aliquando inter ſe digladiantur; memores vinculi charitatis, quo copulantur; neque ignorant, Deum non exauditurum preces, ſancti, qui precibus preces alterius ſancti irritas reddere tentet.* Neque enim congruit Deum, vt alium ex ſuis famulis affligat, alium recreet; *Quare inceſtuoſum illum Corinthium idem*
1. Cor. 5. *Paulus, qui ligauit, etiam ſoluit. Et in veteri Teſtamento Helias, cælum, ne*
3. Reg. 17. & 18. *plueret, clauſit, idemq; Helias iterum aperuit: quamuis Deus tunc haberet ſeptem millia ſanctorum, qui genua coram Baal non incuruauerant. Rurſus, cum Iob ab amicis ſuis contumelia affectus fuiſſet; voluit Deus, vt ipſe*
Iob. 42. *illis hoc delictum condonaret; dicens;* Ite ad ſeruum meum Iob, & orabit

bit pro vobis. *Et quemadmodum ex sanctis Angelis alter alteri non aduersatur, ita & de sanctis hominibus statuendum est.* Hæc Auctor ille. Si tamen contingeret, aut contigisset, prout non dubito contigisse, vt Sanctus quispiam diras alicui ab alio sancto immissas, tolleret; vel sustulisset, id non nisi Deo, ipsoque adeo sancto volente, fieret, aut factum esset; vt hac ratione vtriusque sancti meritum apud Deum inclaresceret; cum minoris virtutis non sit, à maledictionis pœna soluere; quàm eidem subiicere.

CAPVT IV.

Terribile exemplum maledictionis ex S. Augustino.

QVàm maledictiones timendæ sint, docet illustre hoc exemplum à S. Augustino teste oculato, literis consignatum. *Decem quidam fratres fuerunt,* inquit S. Augustinus, *(quorum septem sunt mares, tres fæminæ) de Cæsarea Cappadociæ suorum ciuium nõ ignobiles, maledicto matris, recenti patris eorum obitu destitutæ, quæ iniuriam sibi ab eis factam acerbißimè tulit, tali pœna sunt diuinitus coërciti, vt horribiliter quaterentur omnes tremore membrorum: in qua fœdißima specie oculos suorum ciuium non ferentes, quaqua versum cuiq; ire visum est, toto penè vagabantur orbe Romano. Ex his etiam ad nos venerunt duo, frater & soror, Paulus & Palladia, multis aliis locis, miseria diffamante, iam cogniti. Venerunt autem ante Pascha fermè dies quindecim, Ecclesiam quotidie, & in ea memoriam gloriosißimi Stephani frequentabant, orantes, vt sibi iam placaretur Deus & salutem pristinam redderet. Et illic, & quacunq; ibant, conuertebant in se ciuitatis aspectum. Et nonnulli, qui eos alibi viderant, causamq; tremoris eorum nouerant, aliis, vt cuiq; poterant, indicabãt. Venit & Pascha, atq; ipso die dominico mane, cùm iam frequens populus præsens esset, & loci sancti cancellos, vbi Martyrium erat, idem iuuenis orans teneret, repentè prostratus est, & dormienti simillimus iacuit: non tamen tremens, sicut etiam per somnium solebat. Stupentibus qui aderant, atq; aliis pauentibus, aliis dolentibus, cùm eum quidam vellent erigere, nonnulli prohibuerũt, sed potius exitum expectandum esse dixerunt. Et ecce surrexit, & non tremebat, quoniam sanatus erat, stabat incolumis, intuens intuentes.*

Lib. 22. de Ciuit. Dei, cap. 8.

Quis ergo intuentium se tenuit à laudibus Dei? clamantium gratulantiumq; vocibus Ecclesia vsquequaq; cõpleta est. Inde ad me curritur, vbi sedebam iam processurus: irruit alter quisq; post alterum, omnis posterior quasi nouum, quod alius prior dixerat, nunciantes: meq; gaudente, & apud me gratias Deo agente, ingredior etiam ipse cum pluribus, inclinatur ad genua mea, erigitur ad osculum meum. Procedimus ad populum, plena erat Ecclesia, personabat vocibus gaudiorum: Deo gratias, Deo laudes, nemine tacente, hinc atque inde clamantium. Salutaui populum, & rursus eadem, feruentiore voce, clamabant. Facto tandem silentio, Scripturarum diuinarum sunt lecta solemnia. Vbi autem ventum est ad mei sermonis locum, dixi pauca, pro tempore, & pro illius iucunditate lætitiæ. Magis enim eos in opere diuino quandam Dei eloquentiam non audire, sed considerare permisi. Nobiscum homo prandit, & diligenter nobis omnem suæ ac maternæ fraternæq; calamitatis indicauit historiam. Sequenti itaq; die post sermonem redditum, narrationis eius libellum in crastinum populo recitandum promisi. Quod eum ex Dominico Paschæ die tertio fieret in gradibus exedræ, in qua de superio loquebar loco, feci stare ambos fratres, cùm eorum legeretur libellus. Intuebatur populus vniuersus sexus vtriusque vnum stantem sine deformi motu: alteram membris omnibus contrementem. Et qui ipsum non viderãt, quid in eo diuinæ misericordiæ factum esset, in eius sorore cernebant. Videbãt enim quid in eo gratulandum, quid pro illa esset orandum.

Inter hæc recitato eorum libello, de conspectu populi abire eos præcepi: & de tota ipsa causa aliquanto diligentius cœperam disputare, cum ecce me disputante, voces aliæ de Memoria Martyris nouæ gratulationis audiuntur. Conuersi sunt eò, qui me audiebant, cœperuntque concurrere. Illa enim vbi de gradibus descendit, in quibus steterat, ad sanctum Martyrem orare perrexerat. Quæ mox vt cancellos attigit, collapsa similiter velut in somnum, sana surrexit. Dum ergo requireremus quid factum fuerit, vnde iste strepitus lætus extiterit, ingressi sunt cum illa in basilicam, vbi eramus, adducentes eam sanam de Martyris loco. Tum verò tantus ab vtroque sexus admirationis clamor exortus est, vt vox continuata cum lacrymis non videretur posse finiri. Perducta est ad eum locum, vbi paulò ante steterat tremens. Exultabant eam similem fratri factam, cui doluerant remansisse dißimilem. Et nondum fusas preces suas pro illa, iam tamen præuiam voluntatem tam citò exauditam esse cernebant. Exultabant in Dei laudem voces sine verbis tanto sonitu, quantum aures nostræ ferre

vix possent. Quid erat in cordibus exultantium, nisi fides Christi, pro qua Stephani sanguis effusus est? Hæc S. Augustinus.

Exemplar libelli, quem Paulus sanitate recuperata, publicè recitandum obtulit; exstat apud S Augustinum; in quo longè copiosius explicatur, qua de caussa fratres illi & sorores in tantam calamitatem inciderint; nempe quia ipsis approbantibus & dissimulantibus, frater maior natu matrem indignissimè tractauerat; etiam violentis manibus in eam iniectis. Quæ *fœminei doloris stimulis incitata, iniuriosum filium maledicendo punire constituit*: quod & fecit, & quidem ad fontem Baptismatis. *Mox maternas preces efficax vindicta prosequitur*; nam maiorem natu filium tremor ille corporis statim corripuit, reliquos omnes intra annum eo ordine, quo nati fuerant. Libello recitato subiunxit S. Augustinus Sermonem, quo maximè filios ad honorem parentibus deferendum cohortatur. Neque enim frustra scriptum esse ait: *Benedictio Patris firmat domum filiorum: maledictio matris eradicat fundamenta.*

S. August. Serm. 31. de diuersis. Edit. Louaniens.

Eccles. 3.

Huius exempli & vltionis diuinæ meminit quoque Lutherus Tom. 1. Lat. Colloq. tit. de *Partu; dicebat enim, se in Augustino legisse,* (sordidi Interpretis verba refero) *filios à matribus maledictos, si pueris mala imprecatæ sunt, quamprimum malum illud secutum est, ita vt mater Augustinum accesserit, filiorum morbum deplorans; sed tandem communi Ecclesiæ precatione iterum liberati sunt.*

Ex quibus luce clarius est, oscitanter admodum, S. Augustinum à Luthero lectum esse; nihil enim ille de precibus S. Augustino à matre oblatis; quippe quæ ex Cappadocia in Africam cum filiis non venerit: Perfidè insuper dissimulat Lutherus, cuius ope & intercessione duo illi maledictionis pœnâ obstricti, pristinam sanitatem recuperarint; nimirum S. Stephani Protomartyris, ad cuius *Memoriam* confugerant, imoque ex pectore preces fuderant.

CAPVT V.

Aliud maledictionis exemplum ex S. Gregorio Magno.

Lib. 3. Dialog. cap. 15.

EOdem tempore in Nursinæ partibus prouinciæ, duo viri in vita atque habitu sanctæ conuersationis habitabant, quorum vnus Eutychius, alter vero Florentius dicebatur. Sed idem Eutychius in spiritali zelo atq; in feruore virtutis se exercuerat, multorumque animas ad Deum perducere exhortando, satagebat. Florentius verò simplicitati atq; orationi deditam ducebat vitam. Non longè autem erat monasterium, quod rectoris sui morte erat destitutum, ex quo sibi Monachi eundem Eutychium præesse voluerunt. Qui eorum precibus acquiescens, multis annis monasterium rexit, discipulorumque animas in studio sanctæ conuersationis exercuit. Ac ne oratorium, in quo prius habitauerat, solum remanere potuisset, illic venerabilem virum Florentium reliquit. In quo dum solus habitaret, die quadam sese in orationem dedit, atq; ab omnipotenti Domino petiit, vt ei illic ad habitandum aliquod solatium donare dignaretur. Qui mox vt impleuit orationem, oratorium egressus, ante fores vrsum reperit stantem. Qui dum ad terram caput deprimeret, nihilq; feritatis in suis motibus demonstraret, apertè dabat intelligi, quòd ad Viri Dei obsequium venisset, quod vir quoq; Domini protinus agnouit.

Et quia in eadem cella quatuor, vel quinque pecudes remanserant, quibus omnino deerat qui pasceret & custodiret, eidem vrso præcepit, dicens: Vade, atque oues has ad pastum eiice, ad horam verò sextam reuertere. Cœpit itaq; hoc indesinenter agere. Iniungebatur vrso cura pastoralis, & quas manducare consueuerat, pascebat oues bestia ieiuna. Cum vir Domini ieiunare volebat ad nonam, præcipiebat vrso eadem hora cum ouibus reuerti, cum verò noluisset, ad sextam. In omnibus itaq; mandatis viri Dei obtemperabat vrsus, vt neq; ad sextam iussus redire, veniret ad nonam, neq; ad nonam iussus redire, veniret ad sextam. Cumq; diu hoc ageretur, cœpit in loco eodem tantæ virtutis fama longè lateq; crebrescere.

Sed quia antiquus hostis vnde bonos cernit enitescere ad gloriam, inde peruersos per inuidiam rapit ad pœnam, quatuor viri ex discipulis venerabilis Eutychij, vehementer inuidentes, quòd eorum Magister signa nō faceret, & is, qui solus ab eo relictus fuerat, tanto hoc miraculo clarus appareret, eundem vrsum, insidiantes occiderunt. Cumq; hora, qua iussus fuerat, non rediret; vir Dei Florentiūs suspectus est redditus, & vsque ad

horam

horam vespertinam expectans, affligi cœpit, quòd is, quem ex simplicitate multa fratrem vocare consueuerat, vrsus minime reuerteretur. Die vero altera perrexit ad agrum, vrsum pariter ouesq; quæsiturus: quem occisum vrderit sed solicitè inquirens, citius à quibus fuerat occisus, inuenit. Tunc sese in lamentum dedit, fratrum malitiam magis, quàm vrsi mortem deplorans. Quem venerandus vir Eutychius ad se deductum consolari studuit; sed idem vir Domini coram eo doloris magni stimulis accensus, imprecatus est, dicens: Spero in omnipotenti Deo, quia in hac vita ante oculos omnium ex sua malitia vindictam recipiant, qui nihil se lædentem vrsum meum occiderunt. Cuius vocem protinus vltio diuina secuta est. Nam quatuor Monachi, qui eundem vrsum occiderant, statim elephantino morbo percussi sunt, vt membris putrescentibus interirent. Quod factum vir Dei Florentius vehementer expauit, seq; ita fratribus maledixisse pertimuit. Omni enim vitæ suæ tempore flebat, quia exauditus fuerat, se crudelem, se in eorum morte clamauit homicidã. Quod idcirco omnipotentem Dominum fecisse credimus, ne vir miræ simplicitatis quantolibet dolore commotus, intorquere vltra præsumeret iaculum maledictionis.

Qua historia audita, subiunxit Petrus Diaconus. *Numquidnã valdè graue esse credimus, si fortasse cuilibet, exagitante iracundia, maledicamus?* Respondit S. Gregorius. *De hoc peccato, cur me percunctaris an graue sit, cum Paulus dicat:* Neque maledici regnum Dei possidebunt? *Pensa igitur, quàm grauis culpa est, quæ separat à regno cælestis vitæ.* Petrus. *Quid si homo non fortasse ex malitia, sed ex linguæ incuria maledictionis verbum iaculatur in proximum?* Gregorius. *Si apud districtum iudicem, Petre, otiosus sermo reprehenditur, quanto magis & noxius? Pensa igitur, quàm sit damnabilis, qui à malitia non vacat, si & ille sermo pœnalis est, qui à bonitate vtilitatis vacat.* Qua censura videtur S. Gregorius insinuasse, maledictionem hanc à Florentio non processisse purè ex zelo iustitiæ; sed aliquatenus saltem, ex cupiditate vindictæ. *1. Cor. 6.*

CAPVT

CAPVT VI.

Maledictiones, quos S. Ephrem in suo Testamento coniecit in Hæreticos & Apostatas à vera fide.

QVemadmodum S. Ephrem suo in *Testamento* bonos prosperrimis benedictionibus prosequi voluit; sic improbos, præcipuè hæreticos, dirissimis maledictionibus cõfixit. *Væ tibi Paullona;* (alloquitur Hæreticum) *cuius mater ex mulieribus maledicta. Væ ventri, qui te peperit: quoniam perditionis omnium hæresum particeps factus es, & prædonum ianua ingrederis. Opera enim tua omni nequitia atq; flagitio plena sunt, &c. Horribile prodigium Deus tuo ostendet in corpore, &c. confisus quippe es in arundine fracta, &c.*

Arrouadran vir effrænis atq; rebellis, quia voluisti congregationes Christi Ecclesiarum à Spiritu sancto congregatas demoliri atque exterminare, ex ea, quæ sub cælo est, deleatur memoria tua; & non inueniatur in libro viuentium, quoniam dereliquisti viam vitæ, &c. Meis præceptis atque doctrinæ sedulò operam dantes vt mei discipuli; à Catholica ne desciscatis fide, &c. neque ab illa in aliquo dubio aut Schismate deflectatis. Si quis verò dubitauerit, aut contra Deum sanctamq; eius Ecclesiam, impingens ac diffluens, separatus fuerit, spirans adhuc & viuus in infernum detrudatur, & particeps hæreditatis maledictionis Cain reddatur, gemensq; ac tremens sit super terram. Et quicunq; patre filium minorem fecerit, inhumatus, & absque sepultura, ipse etiam viuus in terram pariter descendat. Si quis verò aduersus Spiritum sanctum dissenserit, talis in iudicio misericordiam non obtineat. Et si quis aduersus Catholicam Ecclesiam sese extulerit, leprosus fiat instar dementis ac stulti Giezi. Quicunque porro rectam intelligentiæ fidem dereliquerit, constringatur iniquitatis funiculo proditoris Iudæ.

Hæc S. Ephrem zelo iustitiæ & amore Religionis orthodoxæ; quæ nimia non videbuntur, qui & hæreseos summam turpitudinem ac impietatem; & Psalmi centesimi octaui diras attentè considerauerit, vel cum istis Ephræmicis comparauerit, vel etiam illam maledictionem, quam S. Petrus in Simonem Magum vibrauit. *Pecunia tua tecum sit in perditionem. Qui enim non ait;* EST, *sed,* SIT, *non indicatiuo, sed optatiuo modo se hæc dixisse signauit;* vt ait S. Gregorius.

Actor. 8.

S. Greg. lib. 4. Moral. c. 5.

Cum

Cũ S. Theodorus Studita suo in *Testamento* exposuisset, quosnam ex Patribus, præsertim eremi olim indigenis, reciperet; nominassetque, Marcum, Esaiam, Barsanuphium, Dorotheum, & Hesychium; statim subdidit; *non quidẽ Barsanuphium, Esaiam, & Dorotheum illos, qui cum Acephalis Coacephali, id est, sine capite pariter fuerunt;* sed longè diuersos ab istis anathemare pridem confessis: *nam si illos ipsos esse liquebit, qui anathemate notati fuerunt, aut vt ab iis diuersi sint, hæresi tamen illa infectos; anathema illis, & catathema & pananathema à Patre, & Filio, & Spiritu sancto.* Tom. 9. Baron. Anno 826. N. 53.

Hæc feruenti zelo accensus & impulsus S. Theodorus, Apostolum imitatus, qui & ipse, vt ardorem suum aduersus Christi inimicos declararet, maledictionis missile duplicauit. *Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema, Maranatha. Genus cum sua specie,* inquit Caluinianus Drusius: nam anathema est aliquando nomen generis; cuius tres species; *Niddui, Herem, & Samatha,* quę hic dicitur Maranatha. Vtraque vox sonat: *Dominus venit.* Maran, *Dominus*; Atha, *venit.* Syriacum est Sem, *nomen*; id pro tetragrammato vsurpatur; vnde *Samatha, Dominus venit.* Ita iste Nouator. Alij aliter. 1. Cor. 16. Drus. lib. 6. præterito-rum.

Nec Conciliorum anathemata & anathematismi aliud sunt, quàm maledictiones, aduersus fidei Catholicæ & pacis Christianæ hostes ac perturbatores.

Oderat Chilpericus Rex Francorum Prætextatum Rhotomagensem Episcopum; Quocirca *rogauit* Episcopos in caussa Prętextati collectos, *vt aut vestis Prætextati scinderetur, aut centesimus octauus Psalmus (qui maledictiones Schariotícas continet) super eum recitaretur, vel certè in perpetuum communione priuaretur.* Quod tamen Episcopi facere abnuerunt, vt scribit Aimoinus. Videtur autem Chilpericus hoc petiisse ex more illius temporis; nisi enim tunc Psalmum illum vel super verè nocentes, vel super illos, qui falsò nocentes censebantur, recitare consuetum fuisset, quo modo hæc postulatio Chilperico in mentem venisset? Aimoin. lib. 3 de gestis Francorum c. 26.

* * *

CAPVT VII.

Alia maledictionis exempla & effecta.

Turon. lib. de vita SS. Patrum.

IN vita S. Quintiani Aruernensis Episcopi tale quid literis prodidit Gregorius Turonẽsis de eodem S. Quintiano. *Post peractam stragem cladis Aruernæ, Hortensius vnus ex senatoribus comitatum vrbis illius agens, quendam de parentibus Sancti, Honoratum nomine, in vrbis platea nequiter retineri iussit: quod celeriter beato viro nunciatum est: tum ille per amicos suos cœpit rogare, vt eum, data audientia, solui iuberet, quod ille nullatenus præstitit. Tunc beatus senex deferri se in plateam, qua ille tenebatur, iubet: allatus autem rogabat milites, vt eum dimitterent: illi verò timentes, obedire ausi non sunt Pontifici. At Sacerdos; ad domum, inquit, Hortensij, me velociter deportate, erat enim senex valdè & propriis pedibus ire non poterat: deferẽtibus autem eum in domũ Hortensij ministris eius, excutiens in eam puluerem calceamenti sui ait: maledicta sit domus hæc, & maledicti habitatores eius in sempiternum, fiatq; deserta, & non sit, qui habitet in ea. Et dixit omnis populus Amen. Et adiecit: quæso Domine, nunquam de istius generatione promoueatur quisquam ad Episcopale Sacerdotium, qui Episcopum non exaudit. Egresso autem ex ea Sacerdote, protinus omnes familiæ, quæ in domo illa erant, à febro corripiuntur, & parumper ingemiscentes spiritum exhalabant; quod cum iam die tertia ageretur, videns Hortensius sibi nihil de suis seruis reseruari, timens, ne etiam & ipse pariter interiret, ad sanctum virum mœstus ingreditur, proiectusque ad pedes eius, cum lacrymis veniam rogat, quam ille benignißimè indulgens benedictam aquam domui transmisit: illaq; per parietes respersa, omnis ægritudo protinus est depulsa, ac magna ibi virtus apparuit: nam & qui morbum incurrerant, sanati sunt; & qui sanati erant, vltra non incurrerunt.*

Tom 3. Surij.

Quàm periculosum sit aliis seu ex ira, seu ex odio mala imprecari docet nos hoc exemplũ ex vita sancti Zenobij Episcopi Florentini desumptum: nam inter cæteros; qui sanitatis adipiscendæ gratia, ad Reliquias sancti Zenobij confluxerant, *aderat etiam à cũcto populo spectatus puer quidam à dæmone miserabiliter obsessus: qui cum ad liberandum duceretur, nullatenus Ecclesiam intrare permittebatur:*

tur. Nam hic, cum olim febribus laboraret, & ob contractam sitim, matre offerente poculum, quadragies in nocte vna bibisset fessa iam illa & somno oppressa, cùm iterum à puero excitaretur, indignanti animo & irato, poculum cùm illi porrigeret, inquit: Vna cum hoc diabolum bibe: quo nec minus secutum est. Præsto affuit diabolus, illius corpus obsedit, & miserabiliter contorquebat. Et cum plura in vanum adhibita fuissent remedia, tandem à religiosa quadam fœmina edocta mater, vnà cum patre puerum Florentiam ad sepulcrum beati Zenobij deferunt, & cum religiosorum quorundam clericorum orationibus adiuti, illum tandem in Ecclesiam intulissent, perduxissentque ad altare Zenobij, tumefacto primum mirum in modum vtero, post temporis modicum cum fœtore horribili euanuit dæmon, nec vnquam, quoad vixit, ad illum reuerti ausus fuit.

Adde huc historiam nō dissimilem ex eadem vita S. Zenobij. Nam cùm mulier quædam pagana, illustris & diues valde, in hac Florentina ciuitate, mortuo viro, duos superstites haberet filios, quos delicatissimè enutrierat, & ad perfectam illi iam peruenissent ætatem, quodam die in iram versi, matrem propriam pluribus verberibus enormiter flagellarunt. Quod scelus ipsa impatienter abhorrens, corpora illorum horrendis imprecationibus detestata fuit, genibusq; procumbens, & terram manibus pulsans, Erynnem ceterasq; infernas pestes in rabiem filiorum, magno cum gemitu inuocat. Exaudiunt dæmones ab imis tenebris: iuuenes congrediuntur, illos in furias exagitant. Qui statim vt rabidi canes, mordaciter ad inuicem sua membra corrodunt. Concurrunt famuli, fit clamor ingens. Alij funes, alij catenas ferunt. Ligantur iuuenes, nec rabie contineri valent. Iam mater pietate commouetur in filios, iam facti pœnitet, & tantæ calamitatis euentum deflet; plangit, nec quid inde agat, cogitare valebat. Interim occurrunt memoriæ, quæ de Zenobio audierat, & accepto consilio, speque, pro filiis recuperandæ salutis, licet pagana sit, tamen credula, ad Zenobium filios adduci procurat. Cuius ipsa pedibus prouoluta, fatetur rem gestam, Deum suum exorare dignetur, precibus & lacrimis fideliter orat. Ille infelicem iuuenum captiuitatem miseratus, pieque commotus, ait ad mulierem: Constanter age mulier, & crede, quod Dominus noster Iesus, qui illos modò post orationem meam sanitati restituet, verus est Dei filius, & omnium Creator & Dominus. Et statim in basilica Saluatoris, vbi aderant, coram vexillo Crucis se prosternens componit: vbi cum duabus horis in oratione iacuisset, hoc est, à prima diei hora, qua illi ad-

uenerant, vsque in horam tertiam, surrexit ab oratione, & iuuenes signo Crucis benedicens, dæmones ab illis prorsus effugauit, vt in eo compleretur, quod scriptum est: Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar donec deficiant. Affligam illos nec poterunt stare, cadent sub pedibus meis: quia præcinxisti me virtute ad bellum. Illi verò sanißimi effecti, vnà cum matre, & omni familia, constituto tempore, baptismi gratiam susceperunt: qui vsque ad Simpliciani tempora, ipso attestante, in feruore fidei magna sanctitate persliterunt.

Cæsar. lib. 5. cap. 11. Refert Cælarius, energumenam quandam liberatam à Dæmone: *qui interrogatus, quomodo intrasset, nec ipse respondit, nec mulierem respondere permisit. Postea confessa est, ad vocem mariti sui, in commotione animi sui dicentis: vade Diabolo, quòd intrare illum senserit per auriculam.* Quæ maledictio Germanis perquam vsitata est. Zum Teuffel mit dir. Daß dich der Teuffel hole.

Cap. 12. Subiungit Cæsarius. *Homo quidam iratus, sicut audiui à quodam Abbate, dixit filio suo; Vade Diabolo: quem mox Diabolus rapuit, & nusquam comparuit.* Audito hoc euentu sciscitatur Apollonius Interlocutor in Dialogis Cæsarianis. *Quid est, quòd filius punitus est ob peccatum patris, cum scriptura dicat;* Filius non portabit iniquitatem

Ezech. 18. Patris. Respondet Cæsarius. *Eadem, quæ de supradicta muliere dixi, & hic dico, vtrumque fieri permisit Deus propter exemplum, vt dum iracundi in vexatione vxoris, mariti audierint cruciatus cordis & in raptu filij patris dolores, animi sui furorem cohibeant, & à stultiloquio linguas suas compescant.*

Cæsar. lib. 5. cap. 26. Idem Auctor de muliere quadam, quam Diabolus cum esset quinquennis *hoc ordine intrauit. Die quadam, cum lac manducaret, pater eius iratus dixit: Diabolum comedas in ventrem tuum. Mox puella sensit eius ingressum, & vsq; ad maturam ætatem ab illo vexata est. Hoc Anno primum, meritis Apostolorum Petri & Pauli, quorum limina visitauit, liberata est.*

Idem c. 27. Cæsarius de quodam iuuene; qui cum cupitis amoribus non esset potitus, *iratus dixit: Diabolus, qui me huc adduxit poterit me etiã hinc reducere. Mox inuitatus affuit, hominem rapuit, & in aëra leuauit, & vltra ciuitatem transferens iuxta ripam cuiusdam lacus incommodè satis deposuit. Ad quem ait: Si non quocunq; modo te signasses, modò occidissem te: tenuiter enim & imperfectè in ipso raptu signum sibi crucis impresserat. Dimissus à Dæmone, tam grauiter cecidit, vt in terra sine sensu iacens sanguinem vomeret. Tandem aliquantulum virium resumens, manibus*

nibus pedibusq; reptãdo ad aquam venit, faciem lauit, atq; ex eâ bibens, cum multo labore ad hospitium suum peruenit. Ingressus domum mox vt lumen aspexit, secundò in terram ruit, vocatus est Sacerdos, qui initium Euangelij sancti Ioannis super eum legit, aliisq; orationibus contra impetus diaboli illum muniuit. Postea per annum integrum ita corpus eius totum erat tremulum, vt scyphum manu tenere non posset ad bibendum.

Commemorabile est; quod Eusebius memoriæ prodidit, de calumniatoribus S. Narcisci, qui si falsum testarentur, (vt reuera testabantur) horrificas diras sibi imprecati fuerant. Accipe Eusebij verba: *Cum quidam perditi homunciones grauem & seueram eam rationem, qua per vniuersam vitam tum in hominibus acriter admonendis, tum in eorum vitiis corrigẽdis vti consueuit, neutiquam ferre possent, præ metu, ne ipsi propter infinita scelera, quorum sibi ipsis conscij erant, iudicati, ab eo pœnas luerent; cœperunt contra illum consutis dolis conspirare, & turpem quandam criminationis calumniam in eum coniicere: deinde quo magis auditoribus criminationis falso obiectæ fidem facerent, eam iureiurando confirmare. Atq; vnus sic deierare: si non verè dixerim, opto vt ignis incendio misere dispeream. Alter vero sic: si nõ verè dixerim, opto vt fœdo ac sæuo morbo corpus absumatur. Tertius autem hoc modo, Opto si non verè dixerim, vt luminibus penitus orbatus sim. Verũ quamuis nemo ex fidelibus, propter nobilitatam ac testatam inter omnes omnino Narcissi castimoniam, atque adeo ob vitæ rationem ex Virtutis regula traductam, illis vel grauissimo iureiurando se obstringentibus, animum, aut fidem adhibuerit; ille ipse tamen partim præ indignitate falso obiectæ criminationis, partim præ cupiditate vitæ in sapientiæ ac virtutis studio degendæ, quam iam diu optauerat, ab oculis vniuersæ multitudinis se penitus remouit, & in solitudine locisq; desertis ad multorum annorum spatium vitam transegit. Verum sublimis ille diuinæ iustitiæ vltionisq; obtutus, his sceleribus patratis, minime acquieuit; sed quam celerrime impios illos & nequam homines, qui inter iurandum tam diris execrationibus se contra seipsos obligassent, grauibus calamitatibus oppressit. Primus igitur illorum, scintilla perexigua noctu in ædes, quibus inhabitabat, ex nulla caussa antegressa subito ruente, misere cum tota familia, & stirpe sua rapido flammarũ ardore omnino conflagrauit. Alterius corpus eodem morbo, quem sibi tanquam mulctam fore imprecatus esset, ab extremis pedum digitis ad caput vsq; infectum, contabuit. Tertius, ærumnosos priorum euentus aspiciens, & Dei, qui oculis omnia intuetur, ineuitabilem vltionem admodum reformidãs, palam inter omnes maleficia communiter à se suisque*

Euseb lib. 6. cap 8.

que sociis per fraudem contra Narcissum admissa confessus est. Sed tamen dum pro delicto grauissimè condolescebat, tantis & tam acerbis lamentis se afflictauit, & vsq; eo lacrymas effundere non destitit, quoad vtrumque oculum sibi penitus extinxisset. Atque hi pro ea criminatione falsò contra Narcissum conficta, tales pœnas persoluerunt.

CAPVT VIII.

Plura eiusdem generis Exempla.

MAgni nominis fuit olim S. Maclouius (qui & Macuthus seu Macuthes) cuius vitam antiquitus scriptam, Sigebertus reconcinnauit, & aptiore stylo exposuit: Is summis Britonum quorũ erat Episcopus, iniuriis irritatus, maledictionis iaculum aduersus illos, cum inde cum suis abiret, intorsit, sic suos allocutus: *Agamus, fratres, instanter, cedamus, quaeso, patienter. Ita vir Dei execratus illam pessimam generationem, intulit illis meritam maledictionem, quia elongauerant à se benedictionem. Sic Moses ille mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra: sic Esaias, sic Ieremias, offensi ceruicosa ingrati populi duritia, obligauerunt eos deuotione pessima, scilicet imprecantes propter eorum impœnitentiam, ne attenderet Deus eorũ vota vel sacrificia. Eliseus quippe insultantes sibi pueros maledixit, & maledictionis pœnae eos addixit. Quid de Dominorum Domino dicam, qui in ficulnea propter infaecunditatem eius à se maledicta, & arefacta, deuotationi subiecit dignam maledictione Iudaeorũ perfidiam? Hoc exemplo B. Maclouius maledixit suis, vt traditi Satanae in interitum carnis, animabus tamẽ reseruata spe salutis, desisterent ab opere iniquitatis: & qui propter duritiam cordis sui thesaurizauerant sibi Dei irã, tandem emolliti per pœnitẽtiam, reconciliarẽt sibi Dei misericordiam.*

Quis verò effectus huius maledictionis? Audi Sigebertum. *Homines illi, qui in Britannia virum Dei exacerbauerunt, & improbitate obstinationis suae se, terramque suam ab eo maledici pertulerunt, maledictionis vindictam effugere non potuerunt. Terra enim in opere impiorum maledicta, tam in frugibus, quàm in pomis omnium generum, sterilis & infructuosa est reddita. Habitatores verò eius mille modis morborum deuotati, alij membrorum debilitate cœperunt contrahi, alij lepra squalebant, alij visu se priuari dolebant: isti oris officio se destitui, alij se auditu plangebant diminui. Nec aliquis erat omnium, qui caelestis vindictae effugeret iudicium. Tandem per culpae vindictam cognoscentes serò culpam*

suam,

suam, nec volentes, nec valentes vltra sufferre maledictionis & vltionis molestiam, communicato consilio deliberauerunt, à sancto viro humiliter implorare veniam. Missa itaq; ad eum legatione, poscunt cum cordis contritione, vt absoluantur ab illata maledictione, spondentes, si eos dignaretur sua reuersione, deinceps se ei obtemperaturos sine aliqua contradictione. Amator pietatis & misericordiæ Maclouius, vbi pœnitentiam patriotarum accepit, summam consilij ad Leontium venerabilem detulit. Leontius hanc ad ipsum Deum referendam censuit. Vterq; indicto sibi triduano ieiunio, exorant sibi reuelari à Domino, quid super hoc sibi esset opus facto. Inter orandum Angelus Domini Maclouio adstitit, eiq; ex ore Dei hæc suggessit: Oportet te, ô amice Dei, Britanniam reuisere, omnem maledictionem auferre, homines salutifera benedictione sanare, terræ vbertatem restituere. Deinceps debes Santonas repetere, quia illic habes propediem obire. Sanctus itaq; vir secundum Angelicam reuelationem repatriauit, terram hominesque sua benedictione sanctificauit, Deoque largitori omnium bonorum eos orando commendauit. Sicque omnis terra repleta est dapsili vbertate per eius benedictionem, quæ antea damnata fuerat per eius maledictionem. Ita factum est omnibus palam, quòd Pontifex pius hanc maledictionem non intulit per aliquam maleuolentiæ intemperantiam, immo per vtilem seueritatis beneuolentiam, vt per hanc necessitatem saltem inuiti traherentur ad pœnitentiam.

Probus in vita S. Patricij. *Cum aliquando venisset S. Patricius in regiones filiorum Amalgit, congreta est multitudo Magorum ad primum Magum Recraidum nomine, rogantes vt vlcisceretur se de inimico deorum suorũ: at ille statim surgens ambulauit cum illis, habens erga se artem magicam scriptam in vestimentis suis albis. Cumq; vidissent eos venientes ad S. Patricius & Endeus filius Amalgit, & Conallus filius Endei, dum iam baptizaret Patricius multitudinem barbarorum, arripuere arma sua Endeus & filius eius, vt repellerent magos à S. Patricio: Vir autem Domini Patricius eleuauit manum suam sinistram in cælum, & maledixit Recraidum præfatum principem magorum, qui venerant cum eo, & exustus est ante faciem omnium eorum, & in signum vindictæ Dei, terra deglutiuit eum: quo viso, cæteri dispersi sunt per totum campum Damnon, & territi sunt vehementer à facie Dei cæli.* *Lib. 2. apud Bedã Tom. 3.*

Idem Probus de eodem S. Patricio. *Virum aliquem valdè durum & auarum in campo Hanyr habitantem, in tantum stultitiæ auaritiæque incurrisse crimen periti ferunt, vt duos boues à carro Patricij auferret violenter, & ad suum vsum transferret: cui irascens S. Patricius, cum maledictio-*

lediction e dixit, Madebrot. Quod potest intelligi, Male fecisti, nunquam proficiet tibi, sed ager hic tuus neq; tibi, neque semini tuo in æternum vnquam vtilis erit. Et factum est ita. Inundatio enim tam abunda maris eodem die circuiuit, atq; perfudit eiusdem viri agrum, vt nunquam amodo faceret fructum: posit aque est iuxta Prophetæ verbum, terra fructifera in salsuginem, à malitia inhabitantium in ea. Arenosa ergo & infructifera eadem terra facta est à die, qua maledixit eam S. Patricius vsq; in hodiernum diem.

Huc adde illud maledictionis exemplum, quod ibidem Probus percenset. *Nunciatum est* S. Patricio aliquando, *nequissimum opus cuiusdam Britannici Regis, nomine Chairtic, infausti crudelisque tyranni, qui erat maximus persecutor, & interfector Christianorum. Sanctus igitur Patricius per epistolam suam ad viam veritatis eum reuocare tentauit, sed ille salutaria eius monita deridebat. Quod vbi nunciatum est homini Dei, flexis genibus orauit, & dixit, Domine, si fieri potest expelle perfidum hunc de præsenti sæculo & futuro. Nec multo post præfatus ille tyrannus Musicam artem à quodam sibi præcantari fecit, à quo audiuit, quòd citò de suo regali transiturus imperio esset: omnesq; charissimi eius in hanc ipsam vocem proruperunt. Tum ille, cum esset in medio foro, ilico, vulpeculæ miserabiliter arrepta forma, profectus est in præsentia suorum, quò eum impetus animi duxit: & ex illo die, ex illaque hora velut à diabolo raptus, nusquam apparuit.*

Est Excommunicatio species quædam maledictionis; quia anathema est. Hanc in prædones & latrones quosdam vibrauerat S. Laurentius Archiepiscopus Dublinensis in Hibernia. *Quod cum illi cognouissent, & quemadmodum fieret excommunicatio, inquisissent, dixerunt: Excommunicemus & nos Archiepiscopum. & accipientes exta bouis furto ablati, loco stolarum, & accensis lignorum faculis loco candelarum, instar luporum vlulabant, Clericos irridentes, anathema legentes, & in derisum Ecclesiæ etiam in aqua ipsas faculas extinguentes. Exijt vnus postero die, licet quadruplici tectus veste, frigore satis temperato & tolerabili extinctus est. Tertio inde die malitiæ eorum dux itidem peremptus est, atq; ita alij post alios intra annum vnum perierunt.*

In vita sancti Laurentij cap. 25.

Ibidem hæc historia memoratur. *Quidam ex ministris Archiepiscopi, quandoque, non absque sua fortassis culpa, Dubliniæ ad patibulum trahebatur. Cumq; iam ad suspendij locum peruenisset, rumor eius rei ad Archiepiscopum perlatus est. Illico surgit ille, sequiturq; hominem, vt eum liberet. Videns autem vnus è carnificibus præsulem venientem, timensque*

ne in-

ne infelix ille ex eorum manibus auferretur, caput misero pracidit. Id cernens Episcopus, multumq; dolens ereptum sibi hominem, in eius percussorem maledictionis fulmen intorsit. Cumq; ille cum sociis Dubliniam rediret, in ponte cadens, coxam fregit, & ex eo vulnere breui vitam amisit, manifesto diuinæ vltionis iudicio.

Cum quidam Ecclesiasticarum rerum inuasores pleno cursu ad Ecclesiam Lincolniensem deprædandam tenderent, S. Hugo eiusdem Ecclesiæ Episcopus, *iussit omnes, in vicinis parochiis, pulsatis campanis, excõmunicatos denunciari. Videntes ergo illi solita benignitate virum sanctum stare pro ouibus suis, nutu diuino territi, discesserunt omnes, valde enim timebant, ne in Satanæ potestatem traderentur, morteque reproba à Diabolo præfocati perirent, sicut pluribus iam euenerat, quos sanctus Episcopus percusserat anathemate.* Tom. 6. Surij.

In eadem S. Hugonis historia hæc leguntur. *Cum rebelles quosdam & contumaces Satanæ tradidisset in interitum carnis, subitò non comparuerunt. Miles quidam propter quoddam mendacium ab Episcopo sancto reprehensus, cum admonitionem eius parui penderet, nec se emendare vellet, mox ab illo excommunicatus est. Vsurpabat namq; sibi bona quædam, quæ incitante eum vxore, quòd prolem legitimam non haberet, veris hæredibus per simulationem alienare consenserat. Tremenda res. Inuasit eum diabolus nocte sequenti, extorquens subito animam mendacem.*

Alius quidam in eodem scelere ei succedens, cum lætus & temulentus lecto exciperetur, sopori mortem socians, etiam miserè extinctus est.

Forestarius quidam propter facinus plexus anathemate, viri Dei sententiam non metuens, intra paucos dies horribili morte decessit è vita.

Quidam diaconus, liuore impellente, militem quendã nequiter accusans de crimine regiæ proditionis, Hugonis sententia ob spem emendationis percussus, cum peccatum suum non modò non vellet agnoscere, sed etiam ab Archiepiscopo absolutionem impetraret, rediensq; ad virum sanctum, purgationis, vt putabat, suæ chirographum secum afferret; rursum, non obstante mandato, ab illo excommunicatus est. Vt autem Dominus ostenderet, vtrius sententiam approbasset, Diaconum horrendum in modum percussit, nec eum diutius viuere passus est, &c.

Clericus quidam propter tyrannidem quorundã potentium ius suum, quod ei erat in quadam Ecclesia, obtinere non potuit. Pecuniis quoque ac aliis rebus penè omnibus in curia Romana consumptis, iam summa egestate cœpit vrgeri. Audiens verò sanctum Hugonem oppressorum consolatorem

rem piissimum esse, ad illum tandem venit, etiam longè extra fines diœcesis suæ, & cum lacrimis eius auxilium implorauit. Motus ergo vir Dei omnes excommunicauit, licet eius iurisdictione non tenerentur. Quid plura? Alij in amentiam versi, alij repentina morte extincti sunt: quorundam oculi cum ingenti cruciatu exciderunt, donec legitimo possessori restituta est Ecclesia.

Alios etiam viros septem quandoque excommunicauit vir sanctus, quod furem à cœmeterio dolo abstraxissent, & mox sine dilatione suspendissent. Timentes verò illi, ne accideret ipsis, quod iam multis euenisse constabat, ad pedes Episcopi pariter venerunt. Sex satisfactione dura illa quidem sed breui, expurgati sunt: septimus, quia noluit satisfacere, absolutionis gratiam non impetrauit. Tam vero dura fuit ea satisfactio, vt etiam brumali tempore penè nudi furem à patibulo depositum, per longum iter humeris portare, atque in eo, quod diximus, cœmeterio, vnde illum extraxerant, tumulare compulsi sint. Res prorsus stupenda. Iam septem anni transierant; & ecce redit miserabilis ille, cum lacrimis petens absolutionem: Domine, inquit, postquam sententia tua me perculit, acciderunt mihi mala multa. Gratiam Regis continuò perdidi: exulare coactus ad inopiam redactus sum: corporis molestia contabui, plurimisque aduersis casibus subiacui. Sed ne peiora his succedant, dignare (obsecro) vel serò pœnitentem releuare. Misertus ergo vir pius tantæ calamitatis quod ex fortunato & diuite ærumnosus & morbidus factus esset, clementer eum absoluit, & ne dolorem dolori adderet, mulctam ei mitiorem irrogauit.

Tom. 6. Surij. S. Radbodus Episcopus Traiectensis, visitans aliquando creditum sibi gregem, in Frisiam profectus est, vt si qui illic pristini erroris emergerent frutices, eos spiritali vomere extirparet, doctrinaque fidei credentium animos irrigaret. Occurrunt autem Dani, eiusq; conatus impediunt. Sed ille tamen nihil mortis periculo absterritus salutares eis adhortationes adhibet, vt repudiatis erroribus complectantur veritatis viam. At illis obduratis animis in malitia persistentibus, mortemq; ipsi minitantibus, anathematis in eos sententiam vibrauit. Tum verò diuina vltio confestim eos persecuta est. Nam peste horrenda, tanquam fulminis ictu, percussi, omnes ferè extincti sunt. Nec vnquam impune tulerunt, quoties molestia eum Traiecti affecere. E vestigio enim, Dei iudicio, plectebantur, vt persæpe testati sunt ex illis paucissimi, qui se viuos euasisse lætabantur.

Therasia, Alphonsi VI. Regis Castellæ filia, à filio suo in carcerem coniecta, cum nullis nec suis nec alienis precibus nec sum-

mi Pontificis iussu, liberationem & libertatem obtinere posset, indignatione permota, *maledixit filio dicens: Quia crura mea vinculis alligasti, & mihi abstulisti honorem à patre relictum, Deum precor, vt ab hostibus sis captiuus, vt ego sum, demùm crura tua fracta conspicias, sicut mea ferro vinxisti. Quod paulò pòst expletum est, nam cum bellum apud ciuitatem Pacensem cum Ferdinando Rege Legionis Alphonsus confereret, exiens per portam ciuitatis ad prælium iam cœptum, tibia vectis ferro inuoluta est pariter & rupta: Ille verò in bello victus & captus est. Itaque eadem inobedientia ad mandata Apostolica simul & maledictio materna eum comprehenderunt.* Hæc Rodericus Sanctius libro primo de rebus Hisp. cap. 14.

Quomodo S. Eligius Episcopus Nouiomensis maledixerit ob inobedientiam plus quam quinquaginta hominibus, eosque à Dæmone arreptos, per aquam benedictam curauerit, dictum iam est alibi. *Lib. 2.*

De eodem ista prodidit Audoënus in Historia vitæ. *Quidam Presbyter Diœcesis eius pessimè apud vicinos audiebat. Eum Eligius crebro verbis castigans ad sanitatem reuocare non potuit. Cumque mala eius fama latius serperet, beatus vir tam nefanda audire amplius non sustinens, accersit eum ad se, percontatur de crimine, quod fama vulgasset, comiter hortatur ad emendationem & confessionem. Ille prorsus negat, se illud admisisse flagitium, audacterque pergit excusare sese, videlicet plus hominem, quàm diuinam vltionem reformidans. Eligius sentiens nulla via adduci eum posse ad confessionem, ferit eum anathemate, vt sic publice agat pœnitentiam, nec ausus sit ad altare sacrificaturus accedere. Addit minas, si id faciat, se seuerius in eum animaduersurum. At ille abscedens, eiusq; minas flocci pendens, pergit, more suo, viuere dissolutè, atque post paucos dies, neglecta beati Episcopi excommunicatione, ad altare, sacrificium oblaturus, non veretur accedere. Cumque primas altaris partes intrepidus attingeret, mox diuinitus percussus, & magno impetu humi prostratus, expirauit. Ea re factum est, vt beati viri indignatio magno omnibus terrori esset, dictaque eius, oraculi instar, haberentur.* *Lib. 2. cap. 25. Tom. 6. Surij.*

Albertus Krantzius in sua Saxonia. *Chorizantes in Kolbecke, villa Halberstattensi, insolenter sacra nocte Dominicæ Natiuitatis, in Cœme-* *Lib. 4. cap. 33.*

terio sancti Magni, iuuenes & viri cum fœminis, inconcinnis clamoribus ebrij duxere choreas. Rogati à sacerdote sacra facturo, ne diuinum officium interrumperent, nihil fecère minus. Ille ad impatientiam versus, correptusque zelo & indignatione diuinæ iniuriæ, & contemptus in religionem, quando, inquit, mecum diuina religio contemnitur, sit vobis circuitus iste annalis. Exinde vltio diuina contumaces insequitur, sine cessatione, sine vlla quiete; per dies & noctes, absque cibo girabantur. Miserum spectaculum, dum rotarentur girantes. Stupuère, qui viderant. Aliquot sancti viri interposita prece, orabant pro illis. Nihil minus girabant. Sororem quidam suam extracturus de circulo girantium, brachium fertur euulsisse. Illa perseuerabat girans. Impressère alta terræ vestigia, quod necesse fuit. Anno demùm euoluto, quieuere. Maior pars spiritum efflauit: pauci, qui superfuère, recreati, insigni se pœnitentia macerarunt.

Cap. 17. Addamus & hoc ex Flodoardo Historiæ Remensis lib. 1. de S. Remigio. *Senescente iam S. Remigio, Deiq. spiritu sibi reuelante, quod abundantiam tunc præsentem fames secutura foret; de frugibus villarum Episcopij nonnullos iussit aceruos fieri, fame laboraturæ postmodum profuturos plebi. Quorum in villa, quæ Celtus vocatur, facti sunt plures. At homines illius villæ seditiosi & rebelles erant. Qui die quodam inebriati cœperunt inter se dicere, quid ille Iubelæus, (ita virum sanctum propter ætatis prolixitatem vocitantes) facere vellet ex his quas aggregauerat metis; an ciuitatem de ipsis facere cogitaret, quia sicut turres per muros ciuitatis, ita per circuitum cortis dispositi cernebantur acerui. Tandem suadente diabolo se mutuo cohortati miserunt in eos ignem. Quod cum beato Præsuli nunciatum fuisset, in propinqua villa, quam Basilicæ cortem vocant, tunc fortè consistenti, ascenso protinus equo, celeriter ad tantam compescendam præsumptionem deuenit Celtum. Quo cum peruenisset, ardentesq; fruges reperisset, ad ipsum calefacere se cœpit ignem. Semper inquiens, est bonus focus, si non super potest. Veruntamen omnes, qui hoc egerunt, & qui de ipso germine nati fuerint, viri ponderosi fiant, & feminæ gutturis calamitate plectantur. Quod ita quoq; constat impletum. Vsque ad tempora siquidem magni Caroli, qui huiuscemodi homines de Celto, quoniam Vicedominum Ecclesiæ Remensis in eadem villa necarunt, exterminauit, cædis auctoribus interfectis, & consentientibus per diuersas prouincias dispersis, atq; perpetuo condemnatis exilio, ac de cæteris huius Episcopij villis eandem restaurari fecit; ita viri fœminæque generationis huius mulctati permanserũt, vt sancti viri sententia promulgauit. Et aptè quidem vir Dei, quoniam posteros eorum rebelles ac seditiosos fore proui-*

dit. huiusmodi vindicta non solum præsumptores, sed etiam genus ipsorum plecti decreuit.

CAPVT IX.

Etiam res rationis expertes fuisse aliquando maledictioni à viris sanctis subiectas; vtique non propter se, sed propter homines.

ILlustre huius rei exemplum suppeditat nobis Audoënus Rhotomagensis Episcopus in commentario de rebus gestis S. Eligij Episcopi Nouiomensis. *Quandoq; iter necessarium suscipiens, peruenit ad locum quendam propinquum Compendio, regali palatio. Fessus ex itinere, diuertit in agrum cuiusdam coloni, vbi erat arbor nucibus onusta, è quibus ministri eius illo in diuersorio manentes, quasdam decerpserunt. Accurrit ocyus arboris dominus procaciter improperans, nuces sibi eripi. Id vbi comperit B. Eligius, vocat ad se virum, & blandè ac comiter illum appellans, orat ne propter paucas nuces, cum plurimæ illi relictæ essent, tantas turbas cieat: ait se pro nucibus ablatis liberaliter satisfacturum. Sed ille tumido animo bonitatem eius spernens asperis in eum verbis inuehitur, eadem sæpius iterans. Tum vir Dei, animo mutato, famulos quidem, quod id fecissent, acriter obiurgat, homini illi tres aureos numerari iubet: sed ad arborem conuersus, vt olim Saluator noster ad ficulneam, ita ait. Quandoquidem adeò tuâ caussâ infestamur, nunquam deinceps ex te fructus nascatur in æternum. Confestim ad vocem eius arbor exaruit, hodieq; sic perseuerat. Tenebat fide plenißima illam Domini sententiam; Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet: atque ita cum fiducia imperauit arbori, Dominicum, vt diximus, secutus exemplum.* *Lib. 2. cap. 20. Tom. 6. Surij.*

De S. Brigida Virgine Hiberna, hæc Auctor quem Surius edidit. *Quædam mulier poma attulit sanctæ Virgini Brigidæ; simul autem accedebant leprosi, stipem ab ea emendicantes. Iußit ergo poma illa dari miseris. At mulier id audiens, poma ad se retraxit, dicens: Non leprosis hæc mala attuli, sed tibi, & Virginibus tuis. Displicuit id sanctæ Virgini, aitq; ad illam: Non rectè facis, dum hoc misericordiæ officium impedis. Itaque arbores tuas noueris æterna sterilitate damnatas. Abiit mulier; & ecce* *Tom. 1.*

hortum suum, quem pomis plenum reliquerat, vacuum inuenit, & deinceps perpetuò sensit sterilem.

Dist. 2. cap. 32.

Non silendum est, quod Syluester Gyraldus in Topographia Hiberniæ his verbis prodidit: *Est in Lagenis prouincia quædam, quæ Fernigenan dicitur, quam à Guesefordia solùm Slanensis aqua distermi-nat. Vnde mures maiores, qui vulgariter Ratti vocantur, per imprecationem sancti Yuori Episcopi (cuius forte libros corroserant) prorsus expulsi, nec ibi postea nasci, nec viuere possunt inuecti.* Etiam Reliquiæ & pulueris tumuli, quo sepultus S. Vdalricus, glires fugant, imò & necant; quod num ex maledictione his animalibus inflicta à S. Vdalrico acciderit; an Deus peculiari ratione S. Vdalrico hanc gratiam concesserit, dicere non habeo, vtrunque accidere potuit, & experientia in promptu est: cui cur reluctemur, cum ipse sensus nos conuincat? Bruschius in Catalogo Monasteriorum de Vtenbura. *Effecit idem Episcopus* (S. Vdalricus) *vt nulli magni mures sint in Cœnobio, imò vt & aliunde importati viuere non possint, sed illico exspirent ac intermoriantur. Qua verò industria id factum, ignoratur. Eodem beneficio affecisse dicitur totum Episcopatum suum Augustanum.*

In vita S. Cœngini, quam manuscriptam vidimus; exstat maledictio eiusdem Sancti in coruum. *Prædictus pater* (sermo fuit de filio cuiusdam Reguli ægrotante) *cum lac concupisceret, vir Dei feram de monte ad cellam iubet venire, cuius lac in vsum infantis fecit mulgeri. Sed coruus veniens, munus lactis cum vase effudit. Quod Dei famulo valde displicuit, eique dixit: Nec in area inobediens extitisti mihi in ore displicuisti; ideoque dico tibi: vade nunc quidem; sed in die natalitij mei hic requiem non habebis. Quod & nos* (en testem oculatum) *ocu-lis impletum cernimus. Nam per tres dies Patris Cœngini, ales illa nec tantum ciuitati valet proximare, sed etiam in vertice montis se lacerare non cessat.*

CAPVT

CAPVT X.

Maledici in sanctos puniti.

Maledici in Sanctos illi vocantur, qui vel Sanctis mala imprecantur; vel contumeliosa aliqua appellatione afficiũt. Vtriusque generis maledicos, à Deo grauiter punitos, inueniet plurimos, quisquis Ecclesiasticæ antiquitatis monumenta percurrere volet. Nostri consilij non est vel omnia, vel plurima diuinę vltionis exempla conglobare: Omnia enim qui possem? Nec plurima opus; quia id iam ab aliis præstitum; nominatim quod attinet ad maledicta in Deiparam Virginem iacta; pœnas ab his virulentis linguis repetitas inuenies in Historia Ioannis Bonifacij, de vita & miraculis beatæ Virginis, & apud Matthæum Tympium in *Theatro vindictæ diuinæ*. Ergo paucula duntaxat libabimus.

Quidam petulantis & infruniti oris S. Malachiam, Hiberniæ Primatem appellauerat *simiam. Et Malachias quidem doctus non reddere maledictum pro maledicto, obmutuit;* (verba S. Bernardi in vita S. Malachiæ) *& non aperuit os suum, dum consisteret peccator aduersus eum. Sed non Dominus oblitus sermonis sui, quem dixerat: Mihi vindictam & ego retribuam. Eadem die domum reuersus homo, luit linguæ effrenis temeritatem, ipso vltore, quo instigatore laxarat. Arreptũ in ignem proiicit dæmon: sed mox manibus assistentium extractus est, adusta tamen corporis parte, & mente captus. Et dum insaniret, vocatus Malachias venit, reperitque maledicum spumantia ora torquentem, horrendis vocibus & motibus terrentem omnia, ac toto corpore agitatum, vix posse teneri à pluribus: & orans pro inimico vir totius perfectionis, exauditus est, sed ex parte. Nam dico quidem sancto orante, ille aperuit oculos, & sensum recepit. Relictus est autem ei Spiritus Domini malus, qui eum conturbaret, vt discat non blasphemare. Credimus eum viuere vsque adhuc, & vsque ad hæc tempora latere peccatum grande, quod peccauit in sanctum: incertis temporibus tamen ferunt lunaticum esse.*

Contra S. Trudonem Presbyterum & Confessorem multa euomuerat publicæ annonæ dispensator, eumque ceu tantum fruges consumendis natum, procul pellendum existimabat; Quem cum alij defenderent ac debitis laudibus prosequerẽtur, eumque, *Tom. 6. Surij.*

vi

vt in scripturis sanctis sese exerceret, adesse dicerent, ducto initio à Psalmis; oggessit ille non sine irrisu: *Imprecor, vt cum hic memoriter habuerit Psalterium, pœna in me non redundet alia, quam dolor dentium. Audiuit Dominus, & prouocatus ad iracundiam, interim tamen serui sui distulit vlcisci contumeliam. Annus quoq; defluxit, & capacissimus iuuenis secundum operantem in se spiritum, memoriter perfecit Psalterium: dispensatorem verò secundum cor impœnitens, & deuotationem labiorum suorum, inuasit dolor dentium. Crescebat in dies malum, extendebatur pœna, vt vel ex tormento cogeretur honorare, quem ex spiritu superbiæ non erubuerat infamare. Vox incondita, manus incontinens, præterea totus homo traditus in interitum, testabantur in eo magis dæmonium, quàm dolorem dentium. Nec requieuit pœna, donec expleta dierum suorum sufficienti malitia, extorqueretur & anima. Audiant hoc vel exemplum, vel pœnam, quos nec patientia Dei ad pœnitentiam, nec diabolus adducit ad veniam.*

Tom. 6. Mai. 7. Nec impune tulit linguæ procacitatem miles quidam Arnoldus nomine, in S. Engelbertum Archiepiscopum Coloniensem maledicta iacere ausus, ita aduersus illum sacrilegè debacchans. *Multi, aiunt, Dominum hunc, qui complures læsit, damnis affecit, & exhæredauit, sanctum esse, & miracula facere. Hoc si verum est, quod tamen ego non credo, hæc mihi Deus faciat & addat, vt antequam moriar, insanus efficiar. Mulctauerat illum B. Episcopus quadraginta marcis ob culpam filij eius qui fœminam vi oppresserat. Qua tamen in re multum ei pepercerat, vt facinus morte plectendum, tam modicæ pecuniæ damno mulctaret. Vt verò ostenderet Deus, quàm periculosum sit, homini ponere in cælum os suum, eodem die maledico vertiginem capitis immisit: & cum paulò pòst aliena loqueretur, vxorem cum cæteris cædere cœpit, itemque sacerdotem, qui ad confessionem eius audiendam vocatus erat. Quid plura? Tenetur, vincitur, custoditur, tanquam furiosus, & sequenti die post multa blasphemiæ verba, sine viatico & confessione animam insanus expirat. Induerat enim maledictionem sicut vestimentum. & intrauit sicut aqua in interiora eius. Itaq; nemo debet sibi malum imprecari: quia licet benignus sit spiritus sapientiæ, non tamen semper liberabit maledictum à labiis suis. Hæc mihi retulit miles quidam, qui has Arnoldi blasphemias audiuit, nec tamen compescere potuit blasphemantem: & vix est quisquam in ea vicinia, quem tantum lateat miraculum.*

Quomodo obtrectatores quosdam S. Ambrosij Episcopi Mediolanensis, Deus puniuerit, docet his verbis Paulinus Presby-

ter

ret in eius vita. *Donatus quidam natione Afer, Presbyter tamen Ecclesiæ Mediolanensis, cum in conuiuio positus, in quo erant nonnulli religiosi viri, detraheret memoriæ sacerdotis, aspernantibus illis, & deserentibus linguam nequam, subito vulnere percussus graui, de eodem loco, in quo iacebat, alienis manibus subleuatus, in lectum positus est, atq; inde ad sepulchrum vsq; perductus. In vrbe etiam Carthaginensi, cum apud Fortunatum diaconum fratrem venerabilis viri, Aurelij Episcopi ad conuiuium venissem vna cum Vincentio Colositano Episcopo, Murano etiam Episcopo B litano, sed & aliis Episcopis & Diaconibus, Murano Episcopo detrahenti sancto viro, retuli exitum presbyteri superius memorati: quod ille de alio dictum, de se oraculum, maturo suo exitu comprobauit. Nam de eodem loco, in quo iacebat, cum subito vulnere ingenti esset percussus, alienis manibus ad lectum portatus est, atq; inde ad domum, in qua hospitabatur, reductus diem clausit extremum.* Hæc eo fine Paulinus abs se literis prodita dicit, *vt quicunq; forte huiusmodi captus est consuetudine, cum legerit, qualiter in iis, qui sancto viro detrahere ausi sunt, fuerit vindicatum, ipse etiam in aliis emendetur.*

CAPVT XI.

Vtrum per maledictionem diuinam serpentis natura fuerit mutata.

AFfirmat Lutherus in caput tertium Geneseos. *Quia serpente Satan ad peccatum abusus est, ideo partem pœnæ serpens cogitur portare; qui sic maledicitur, vt inter omnes bestias sit odiosissimus. Talis initio non fuit, sed nunc per maledictionem accessit aliquid naturæ serpentis: nam quod nunc serpit humi, maledictionis est, non naturæ. Et tamen nostri Sophistæ,* clamat Lutherus, *etiam adhuc hodie audent dicere, quòd naturalia post peccatum manserint integra, etiam in Dæmonibus; si enim serpens, quo Satan abusus est ad peccatum, hanc pœnam fert, vt qui antea fuerat bellissimus, nunc subito ante oculos Adæ viperinam caudam trahat, & humi repat, ac iam Adæ formidabilis fiat; quid de homine dubitabimus, qui ipse peccauit? &c. Gloria est, quod oues, boues, & aliæ bestiæ vescuntur herbis, etiam arborum fructibus, & deinde generant ex se homini ad cibos vtilia, butyrum, lac, carnem, &c. hanc gloriam serpens cum aliis communem habuit.* Quæso; num lac, butyrum aut caseum serpens homini suppeditasset? Num

m carnem

carnem edendam præbuisset? Forsan oua, gallinarum instar, nobis peperisset.) *Nunc ab ista Societate, & quasi ex mensa & conuiuio hoc, propter peccatum eiectus est, vt ne quidem abiectissima herbula liceat vesci, non poma, non pira, non nuces, quibus etiam mures vescuntur, gustare audet, sed crudam terram vorat.*

Vnde ergo illud Poëtæ: *Coluber mala gramina pastus.* Cur lacti adeo insidiantur serpentes?

Quis ergo ante maledictionem fuit serpens, qui diris cælestibus adeo deformatus est, cunctisque inuisus redditus? Audi mira. *Qui nunc horribilior & magis inuisus est, quàm omnes aliæ animantes; ante maledictionem fuit suauissima bestiola.* II. *Fuit pulcherrima bestiola, & homini gratissima, sicut hodie sunt hinnuli, oues, catelli.* III. *Eua non aliter cum serpente loquitur, quàm nos cum delicata auicula, aut blando catello. Nec mihi dubium est*, inquit Lutherus, *serpentem fuisse pulcherrimam creaturam, cum singulari hoc dono ornatam, vt inter reliquas bestias haberet primam laudem calliditatis, sicut calliditatis laudem habent vulpeculæ, mustelæ, &c.* IV. Serpens *proculdubio, sicut initio conditus fuit, rectus incessit, sicut hodie cerui & pauones incedunt. Erectus ingressus est*, ait Lutherus. *Sed, quod dixi, serpentem ante maledictionem incessisse erectum, non ita intelligendum est, quasi erectus incesserit, vt homo, sed sicut ceruus aut pauo.*

Luth. in cap. 1. Genes.

Si incessit erectus, vt ceruus; fuit ergo serpens quadrupes. Si vt pauo; fuit ergo bipes. Sed vbi duo vel quatuor illi pedes erant? In qua parte serpentis? Quàm verò alti? Si vt ceruini; tunc sanè satis alti fuêre. Si vt pauonis, tanto demissiores fuisse oportuit, quàtò pauo humilior & demissior est ceruo.

Deinde, cum varia sint, eaque longè diuersissima serpentium genera, an omnibus hæc pœna subeunda fuit? An certæ tantum speciei? Quænam ista species, quæ antea pedibus gaudebat & valebat; nunc ventrem humi trahere & repere cogitur, ex gradiente repens effecta? Scio non deesse ex antiquis Scriptoribus, qui ante maledictionem serpenti pedes rectumque ac erectum incessum fuisse tradiderint, quorum vel primus Iosephus; nec abnuere videtur S. Basilius. Quibus accedit Moses Barcepha in Commentario de Paradiso, qui pro eadem opinione adducit S. Ephræm Syrum.

Ioseph. lib. 1. Antiq. cap. 2. S. Basil. in Homil. de Paradiso.

Sed quidquid sit de horum sententia, certum exploratumque esse debet, serpentem, naturâ & corporis constitutione, non fuisse alium, quàm modò sit, & planè Lutherum delirare, cum tam pulchram,

chram, formosam, speciosam & amabilem bestiolam ex serpente nobis procudit, cui *victus cum homine communis fuerit*. Nam quod Eua serpentem non horruit, id eò factum est, quia certò sciebat; sibi nullum nocumentum à serpente illatum iri, aut etiam inferri posse, & hoc ratione loci & status, in quo viuebat: vbi omnia tuta erant, nec fera in feram, multoque minus in hominem grassabatur; Nam quòd nunc serpentes fugimus & execramur, id ea caussa fit, quia nocere nobis possunt, & solent quoque. Cur leones, vrsos, lupos & similes truculentas belluas odimus & auersamur, earumque occursum vehementissimè formidamus, nisi quia obuios inuadunt, dilacerant, & deuorant; quorum nihil erat in statu innocentiæ, vbi Eua leonem non magis metuebat, quàm serpentem, nec serpentem magis, quàm Leonem, secura omnis periculi & damni.

Dices: Si serpenti ante maledictionem erat eadem corporis constitutio & forma, reptatio, cibus, & naturalis ab homine auersio, quorsum ergo diræ illæ diuinæ: *Maledictus es inter omnia animãtis, & bestias terræ; super pectus tuum gradieris, & terram comedes cũctis diebus vitæ tuæ*. Respondeo I. quidquid maledictionis in serpentem iacitur, id primario pertinere ad Diabolum, qui serpente pro instrumento deceptionis vsus fuerat; osque serpentis in sermonem articulatum formauerat.

Respondeo II. Cum Delrio in cap. 3. Genes. Quæ serpenti à natura competebant, hæc eadem Deum illi in pœnam & supplicium vertisse; Quare nihil hac maledictione serpenti nocitum, quàm quod infame iussum est esse, quod infame non foret, si iussum non fuisset: Sicut è contrariò CRVX quæ prius erat ignominiosa, & qui in ea appensus, maledicto obnoxius putabatur; postquam à DEI Filio electa, per quam nos redimeret, cœpit esse optabilis, & gloriosa, & in benedictionem transiuit: nõ absimiliter serpens cœpit hominibus esse abominabilis & maledictus, quia ruinę hominum fuit instrumentum: atq; ita, quæ fuit semper antipathia naturalis inter serpentum & hominum sæcla; post hanc præuaricationem per DEI maledictionem, qua ruptis repagulis & habenis laxatis, in bellum noxium & infestum vtrinque erupit, quod priùs ne mutuò noceret, singularis DEI prouidentia reprimebat. Cur quæso serpenti naturalia dona tollerentur, quæ nec Dæmonibus propter peccatum ablata fuerunt?

Quare inania & prorsus friuola sunt cum alia iam ex Luthero recitata, tum hoc: *Post verbum maledictionis emissum, serpens mutatus est ex pulcherrima forma in turpissimam & abominabilem.* Quod delirium Lutherus eò auidius arripuit, quia credebat alteri cuidam suo somnio hinc firmamenti aliquid accedere posse: huic nempe; Naturalia in hominibus & Dæmonibus non mansisse integra. Si enim serpens ea, quæ sibi naturaliter competebant, per maledictionem amisit; *quanto magis homo & Dæmon.* At iure sciscitetur quis ex Luthero, quid tandem naturâ sibi debitum homo aut dæmon amiserit? Forma & materia, ex quibus homo essentialiter componitur; adhuc nisi fallor, integrè durant. Si potentias & sensus tam internos, quàm externos aut partes *quantas* seu *integrales* in homine quæras; omnes reperies; neque enim antea habebat homo tres oculos, tres aures, quatuor pedes; binas vel quaternas manus, duos intellectus, duas voluntates. Quid ergo, dic obsecro, ex naturalibus, quibus homo constabat, amisit? Num quod post maledictionem perdidit, corporeum fuit, an spirituale? Si illud; edatur nomen. Si hoc, rursus edatur nomen. Idem dico de Dæmone. Tota naturalis eius substãtia ad viuum resecetur, & quasi anatomiæ subiiciatur; nihil inuenies ad naturalem eius substantiam pertinens, quo post & per peccatum priuatus fuerit.

Obstrepunt: *Intellectum fuisse ignorantiæ tenebris obfuscatum, & voluntatem ad praua inclinatam.* Num ideo amissa aut hæc aut illa potentia? Etiam vino & somno obnubilatur intellectus: An idcirco amittitur? An Sectarij intellectu carent, effecti sicut equus & mulus, quibus non est intellectus? Iterum rogo Lutheranos, vt, quia Lutherus contendit naturalia in homine & Dæmone non mansisse integra; idque ostendere vult exemplo serpentis, qui per maledictionem pedes amiserit; monstrẽt tandem nobis, quid simile homo ad naturalem eius integritatem vel essentiam spectans, perdiderit; & similiter quid Dæmon?

Sed his omissis; aio, fundamentum Moysis Barcephæ infirmum esse. Nam Serpentem fuisse quadrupedem inde probat; quia appellatur *bestia*: quod nomen quadrupedibus conuenit. Sed hoc fragile est; nam *bestia* hic idem est, quod brutum, seu animal ratione carens. Quis verò abnuat, reptilia, brutis & animalibus ratione destitutis accenseri debere? Et vipera; quæ Melitæ S. Pauli manuui adhæsit, nominatur *θηρίον, bestia.* Num quadrupes fuit? *Actor. 28.*

Pro

Pro clausula referre placet, quid Franciscus Iunius Caluinista in tertium caput Geneseos scriptitans, de hac Lutheri opinatione scriptum reliquerit. Ait ergo. *Hæc quidem duo;* (super ventrem ire; & puluerem terræ comedere) *serpenti à Deo in documentum maledictionis fuêre imposita: quod documentum pleriq;* (audite tu Luthere, & vos Lutherani) *non intelligentes, illum ipsum serpentem putauerunt aut pedes habuisse, quibus incederet; sed iis mutilatum fuisse sentētiâ Dei, aut etiam (prout Iudæi fabulantur) erectum ambulauisse. Quæ res cum nullo ex testimonio scripturæ, aut ratione naturæ confirmari possit, per nos valere iubebitur.*

Qui mox vt ad ineptum quendam syllogismum cōtrariè sentientium respondit, sequentia subiungit. *Secundum creationis legem neq; super ventrem ire, neq; puluerem comedere, serpēti maledictum fuit: secundum verò sententiam, quam Deus hac culpa commissa tulit, ipsum ire super ventrem, pulueremque comedere, maledictione grauissima & acerbissima conditum est: & quod prius naturæ fuit, id pœnæ postea factū est, iudicio Dei.* De altero pœnæ genere, nimirum de cibo; non est, inquit, Caluinista, sententia Dei *ita accipienda, tanquam si nihil aliud serpentes comederent* (quàm terram, seu puluerem terræ) *cum ex contrario serpentum sit ea voracitas, vt ranas, cancros, pisciculos, integros deglubant; sed potius hoc de difficultate victus oportet intelligi, nempe tantam fore serpenti incommoditatem comparandi victus, vt ipso puluere terræ cibum sibi parare necesse habeat.* Hæc Caluinista Iunius contra Lutheri de serpente deliramenta.

Forsan magis lubebit audire Seuerianum Gabalorū Episcopum, qui Oratione sexta in Cosmopœian super illa verba: *Terram comedes;* ita scribit. ὅρα, οὐ τοῦτο περὶ τοῦ ὄφεως λέγει, ὅτι ἔσται σοι σιτίον ἡ γῆ, οὐδὲ γὰρ ἀεὶ τοῖς ὄφεσι τὸ ἐσθιόμενον γῆ, ἀλλὰ καὶ κρέασι τρέφονται, καὶ καρποῖς ἐνωχοῦνται, καὶ σπερμάτων ἐφάπτονται, καὶ βοτάνας θηρῶσιν, ἀλλὰ διὰ τοῦ εἰπεῖν, γῆν φαγῇ, τοῦτο λέγει, δαπανήσεις φησὶ, τὴν γῆν, ἐπ' αὐτὴν ἐνδιατριβόμενος. *Vide; non dicit de serpente, cibum eius terram fore, neq; enim semper terrâ vescitur, sed & carnibus nutritur, & fructus depascitur, & semina mandit, & herbas venatur; sed dicendo:* Terram comedes; hoc indicat; *Terram absumes in ea iugiter commorans.* Qui etiam Lutheri somnium de pedibus serpentinis ita refellit. οὐχ ὡς ποσὶ κεχρημένου τὸ πρότερον νῦν ἀποφαίνεται θεὸς τὸν ἐπὶ τῆς κοιλίας περίπατον, ἀλλ' ἐπειδὴ ὀρθὸς ἑστηκὼς τῇ γυναικὶ διελέγετο, οὐ γὰρ ἦν ἄλλως αὐτὸν τὴν πρὸς τὴν Εὔαν ποιεῖσθαι διάλεξιν, αὐτὸ τοῦ διαλέξεως σχῆμα μεθ'

οὗ εὔαν ἠπάτησε τῷ κατὰ τῷ στήθει περιπάτῳ κολάζει, καὶ τῆς ἀνεστηκυγμένης ἐκβάλλει βαδίσεως, εἰ γὰρ καὶ ἄπους ἐξ ἀρχῆς διεπέπλαστο, ἀλλὰ κύκλοις γοργῶν τινῶν κάτωθεν ἑλιγμῶν ἀνορθούμενος, πεταμένοις τοῖς στήθεσι ἵππευε. διὸ καὶ νῦν ὁ ὄφις πολλάκις θυμούμενος ἀνίστησιν ἑαυτὸν, καὶ κυκλικῶς ἑλισσόμενος τρέχει, προβὰς δὲ ὅσον δεῖξαι τοῦ παλαιοῦ βαδίσματος τὴν μνήμην, πάλιν τῷ τῆς ἀποφάσεως καταβάλλεται νόμῳ: *Non quasi serpens prius vsus fuerit pedibus, Deus incessum supra ventrem denunciat; sed quia erectus stans cum muliere sermocinatus fuerat; (non enim aliter poterat cum Eua colloqui) ipsam collocutionis speciem, qua Euam deceperat, incessu super pectus punit; & ordinario gressu priuat: nam licet ab initio sine pedibus conditus fuerit; attamen spiris quibusdam sinuosorum voluminum infernè erectus, elato pectore inuehebatur. Eam ob caussam nunc quoque sæpius ira concitatus seipsum erigit, & in orbem actus currit: incedensque, quantum opus est; vt veteris incessus vestigia demonstret; rursus diuinæ sententiæ decreto subiicitur.* Caruit ergo serpens ex Seueriani mente pedibus: sed anteriore sui parte erectum incessisse arbitratur, idque à natura; sed longè verius est; serpentem tunc, quando cum Eua sermocinabatur, ab inhabitante Dæmone erectum fuisse: neque tunc naturaliter magis erectum incessisse; quàm hodiè incedat; nam quòd serpens, ira præsertim tumidus, se priore corporis parte surrigit, id naturæ indicium est, non veteris incessus argumentum. Benè Didymus in Catena Lippomanni. *Quidam ex eo, quod serpens maledictus est, arbitrati sunt, arduum* (hoc est, erectum) *non animaduertentes, quòd non illum solum è reptilibus Deus rectum fecisset: sed quoniam eum Diabolus, allocuturus mulierem, erexit; ideo iussus est, vt in pectus & ventrem caderet.* Hæc Didymus.

Videtur tamen Seuerianus existimasse, serpenti ante maledictionem fuisse aliam formam. Ait enim: μὴ πρόσχῃς τῇ νῦν ὄψει ἣν καὶ φεύγομεν καὶ βδελυττόμεθα. οὐκ ἦν οὕτως ἀπ' ἀρχῆς. φίλος ἦν ὁ ὄφις, καὶ τῶν ὑποσαινόντων τὸν ἄνθρωπον ἐγγύτερος, τίς οὖν αὐτὸν ἐχθρὸν ἐποίησεν; ἡ τοῦ θεοῦ ἀπόφασις, ἐπικατάρατος γὰρ σὺ ἀπὸ πάντων τῶν θηρίων. *Ne attendas ad adspectum, qui nunc est; quia fugimus & abominamur. A principio non sic erat. Amicus erat serpens, & ex illis animantibus, quæ homini blandiebantur. Quis ergo inimicum fecit? Dei sententia. Maledictus enim tu præ omnibus aliis animalibus.* Nihilominus ex his verbis, nihil aliud extundere licet, quàm naturale illud odium, quo serpēs in hominem fertur; & horrorem, quo homo serpentem auersatur,

insta-

in statu illo innocentiæ, quasi ligatum fuisse. Verùm rupto hoc per peccatum vinculo, naturales illæ inimicitiæ & abalienationes in apertum proruperunt; hinc mutuo se fugitant, quia & serpens homini, & homo serpenti nocere potest ac solet.

FINIS.

Prætermissa suis locis inserenda.

PAg. 26. v. 10. *reddidit*, Adde. S. Zosimas Abbas & Presbyter cum vastissimam eremum oberraret, & in sanctissimam Mariam Ægyptiacam incidisset, priusquam compertum haberet, vir an femina esset, fugientem hac obtestatione insecutus est: *sta & tribue orationem & benedictionem seni per Deum, qui neminem aliquãdo proiicit*. Postea cum ad mutuum colloquium ventum esset, Zosimas *in terram prostratus poscebat benedictionem secundum morem accipere, prostrauit autem se & ipsa, & vtriq; iacebant in terra, alius ab alio poscens benedictionem; & non erat aliud ab alterutro audire, nisi tantum* BENEDIC. post multarum autem spatium horarum dixit mulier ad Zosimam: *Tibi competit benedicere & orare; tu enim Presbyterij honore suffultus es, & plurimis iam annis sancto aßistis altari, &c.* Verum his & aliis non absterritus Zosimas, institit vlterius: *Quia gratia non ex dignitate cognoscitur, sed ex animarum actibus significari consueuit, ipsa benedic propter Dominum, & orationem tuæ perfectionis tribue indigentiæ meæ. Peruerantiæ autem senis compassa, dixit; Benedictus Deus, qui salutem procurat animarum, &c.* Quæ post diuturnam de vita anteacta collocutionem, *orationem*, id est, benedictionem, *à sene postulans, ad interiorem solitudinem velocius festinauit*. Quę ad Zosimam, anno elapso, communionis percipiendæ gratia reuersa; eminus acclamauit seni: BENEDIC PATER BENEDIC.

P. 31. in fine. Adde. Ludouicus XII. Rex Galliæ, S. Franciscum de Paula *singulari deuotione suscipiens, seq; ab eo benedici postulans, illi, tanquam viro Dei, magnum honorem ac reuerẽtiam exhibuit.* A S. Gregorio Nysseno & sociis eius benedictonem postularũt sanctimoniales quæ visitanti ægrotam sororem Macrinam, honoris caussa, obuiam processerant. *Cum fecissemus & precandi & benedicendi finem, atq; illæ inclinato prius capite benedictioni, honestè discedentes abiissent, &c.* inquit Nyssenus in vita S. Macrinæ.

P.35.v.12. S.Gregorius de Libertino Monacho, negotiorum caussa, exituro. *Ad lectum Abbatis venit, orationem sibi humiliter petiit*, hoc est, benedictionem postulauit.

Greg. lib. 1. Dialog. c. 2.

P.36.v.28. dimittit. Adde. Duodecim illi Christianæ religionis Præcones, quos Ecbertus Archiepiscopus Eboracensis in Frisiam, aliasque Germaniæ prouincias destinarat, iter non inierunt, *nisi accepta tam eximij Archiepiscopi benedictione.*

P.38.v.17. *largitur*. Adde. Cum B. Carilephum Rex Hildebertus indignè tractasset; factum est, vt cum aliquousque cum equo suo & comitatu processisset; equus postea loco moueri non potuerit. *Itaque celer ad virum Dei dirigitur nuncius, qui & de præteritis veniam impetraret, & responsionem illius de his, quæ agenda forent, Regi deferret. Qui ait; vade, fili, & dic Regi, vt reuertatur, & quia sine benedictione recessit, ira permotus; benedictionem accipiat à Domino per famulum eius*; qui iussis obtemperans, velociter ad Sanctum reuenit, vt ex S.Carilephi Actis memorat Vincentius lib.21.cap.43. Specul. Historialis.

P.42.v.26. *dignetur*. Adde. Nec minus insignis est benedictio, quam sancta mater S. Gregorij Nysseni hinc excessura filiis suis tã præsentibus, quàm absentibus impertiit, inter quas erat Petrus decimus partus & Macrina, natu omnium maxima. Audi Nyssenũ. *Interim senex admodum mater in vtriusq; filij manibus moriens, migrauit ad Deum. Cuius, quæ benedictionis vox fuerit illius, qua erga liberos vsa est, non erit alienum commemorare: nam cùm de absentibus singulatim amanter mentionem fecit, vt nullus esset expers benedictionis, tum præcipuè præsentes ipsa precibus suis Deo obtulit. Etenim cum ei ex vtraq; parte lectuli aduersi assiderent, altera manu vtrunq; tangens, hisce verbis postremis Deum allocuta est: Tibi, Domine, & primitias & decumam dico fructuum vteri mei: primitiarum enim locum hæc obtinet primogenita,* (Macrina) *Decumæ verò, extremus hic decimus filius* (Petrus.) *Tibi autem lege vtraq; debentur, & tua sunt munera. In hanc igitur Primogenitam meam & hunc decimum veniat Sanctimonia, oratione perspicua designans filium & filiam. Ita benedictioni simul & vitæ finem statuit, cum prius mandasset filiis, vt se in sepulchrum paternum inferrent.*

Nyss. in Orat. de Vita S. Macrinæ.

De Lanzone Priore S. Pancratij in Anglia Wilhelmus Malesburiensis lib.5. de Gestis Regum Angliæ, cum iam à meta vitæ parum distaret. *Die illucescente in Capitulum ductus cum sedisset; fratres ante se omnes venire rogauit, quibus paternam benedictionem & absolutionem*

tionem impertiens, idem sibi ab iis voluit impertiri, &c. Fratres ante illum venientes sigillatim benedicebat; simili modo totum conuentum. At verò oculis in cælum erectis vtraq; manu Dominum Abbatem cum omnibus sibi cõmissis benedicere nitebatur. Rogatus verò à fratribus, vt apud Dominum ad quem ibat eorum memor esset, caput inclinando benignissimè adquieuit. Hæc & his similia cum fecisset, innuit sibi porrigi crucem, quam capite imo, toto corpore inclinato adorans, manibus amplexans læto ore salutare videbatur, & iucundo affectu deosculabatur.

Marcellinus de S. Swiberto Episcopo, cum fatali hora vrgeretur. *Discipuli accepta benedictione, iussu ipsius tristes ad Ecclesiam exierunt: appropinquante deniq; die obitus sui, perceptione corporis Dominici se muniens, ac sanctæ Crucis vexillo, se cunctosq; circumstantes signans, in mortis quiete dormiens transiit feliciter de mundo.*

Cum S. Franciscus de Paula, *tempus instare videret, quo sibi ex hac lacrymarum valle migrandum erat, fratres ad se conuocari iussit, eosque ad fraternam pacem, mutuamq; charitatem, &c. exhortatus est, illisque benedictione, more solito, impertita, migrauit ad Christum,* vt inquit Leo X. in Bulla Canonizationis Francisci de Paula.

Simili fermè cohortatione & benedictione valedixit discipulis suis morti iam vicinus Ceadda Episcopus, vt videre est apud Venerabilem Bedam. Huius eiusdem sacri moris luculentissima exempla suppeditat nobis vita B. Martyris Thomæ Mori, scripta à Stapletono; vltimã enim Epistolam suam, quam paulo ante Martyrium ad filiam suam Margaretham dedit, ita auspicatur. *Benedicat tibi Deus, dilecta filia, & marito tuo, & puerulo tuo, & tuis omnibus, & meis liberis vniuersis, & omnibus ex sacro fonte susceptis, atque amicis omnibus. Cõmenda me filiæ meæ Cæciliæ, Benedictionem illi meam impartio, omnibusq; liberis eius, &c. Mitto nunc filiæ meæ Clementi lapidem eius arithmeticum simulq; illi, & filiolo meo de fonte suscepto omnibusq; eius diuinam benedictionem & meam impartio. Benedicat Deus filio meo Ioanni Moro, eiusq; vxori optimæ, &c.*

Bed. lib. 3. Hist. Ecclesiast. c. 28.

Erat autem apud Anglos Orthodoxos olim vsitatissimum vt filij à parentibus benedictionem peterent. Quare cum Thomas Morus ex Iudicij loco ad carcerem reduceretur, accurrit vnicus filius Ioannes Morus, & ad Patris pedes prouolutus benedictionem paternam non sine lacrymis petiit. Ipse etiam Morus, quamuis iam maturus æui, hunc Patri suo honorem perpetuò habebat. *Etiam Cancellarius Regni factus,* inquit Stapletonus, nõ detrectauit publi-

cè in Palatio Westmonasterij (*loco iudiciorum publicorum*) à *Patre flexis genibus iuxta optimum gentis nostræ morem, benedictionem petere. Solent enim apud nos liberi quotidie mane & vesperi benedictionem flexo poplite ab vtroq; parente poscere, &c. Tametsi verò etiam apud nos viri iam facti, & vel coniugati vel ad aliquam Ecclesiasticam aut secularem dignitatem euecti, præsertim nobiles, hoc obsequij genus parentibus suis amplius non præstent, aut certe rarius præstent, tamen Thomas Morus pro insita sibi à teneris annis pietate & humilitate, etiam sceptra Regni Anglicani gerens, primus post Regem, senem patrem hoc honore prosequi non recusauit.*

Sulp. in vita S. Martini.

